




58,458/3 SUPP

BORSIERI G.



A very faint, light blue watermark-style illustration of a classical building with four columns and a triangular pediment occupies the background of the page.

Digitized by the Internet Archive  
in 2016

[https://archive.org/details/b28745371\\_0003](https://archive.org/details/b28745371_0003)

INSTITUTIONUM  
MEDICINÆ  
PRACTICÆ


QUAS  
AUDITORIBUS SUIS PRÆLEGEBAT

JO: BAPT. BURSERIUS,  
DE KANILFELD,

*Editio Quarta Veneta.*

VOLUMEN TERTIUM.

DE  
MORBIS EXANTHEMATICIS  
FEBRILIBUS.



VENETIIS, 1802.

Apud Josephum Orlandelli,

NOMINE

qm. FRANCISCI EX NICOLAO PEZZANA.  
CUM REGIA FACULTATE, AC PRIVILEGIO.



## AD LECTORREM.

**H**Abes, amice Lector, hoc in volumine *exanthematicos morbos febri*les, quos videlicet peculiare quoddam exanthematis genus plerumque febri conjunctum constituit, & designat, quosque ideo, quod nec febris eis assentialis, ut vocant, nec semper socia est, e febrium classe expungendos, seorsumque pertractandos esse censuimus. Quinam vero isti potissimum sint mihi, proximus capitum indiculus mox declarabit, prout nempe eos ex innumeris prope humani corporis affectibus secrevi, inque unum veluti agmen coactos, suo quemque loco, persecutus sum, atque explanandos suscepi. Tanta autem est inter ipsos convenientia, affinitatisque conjunctio, qua una colligantur, & consentiunt, ut statim cuique apertissimum fiat, non eos

arbitratu nostro, nec pro libito, sed propria natura, insitaque similitudine inter se conne-  
& eti, & quodammodo cohærere, ne *Peticulis* quidem ipsis, quas alioquin hinc rejicere nuperi quidam scriptores non dubitant, exceptis. In particulari enim morbo eadem ferme omnia, quæ in miliari, ita concurrunt, ut quam simillimi plane sint, atque adeo aut neutrū, aut utrumque eorum huc spectare confitearis oporteat. Primum vero illud affirmari unquam nequit, cum nemo hodie vel leviter in medicina præctica versatus, nisi is derideri, &, ut ita dicam, exsibilari velit, negare amplius audeat, exanthema miliare primarium, sive essentiale vere existere. Ergo, quoniam eadem est utriusque morbi ratio, nec differunt nisi exanthematis forma, ac materia, sequitur, ut uterque inter exanthematicos morbos, de quibus hic agimus, jure sibi locum vindicet. Quæ res evidentius patebit, si primo capite, in quo generalia, & singulorum communia enumera-  
rantur, perlecto, reliqua capita cuncta, si-  
cuti disposita sunt, ordinare, & sine præju-  
dicata opinione percurrere, eaque animi æ-  
quitate, & intentione, qua decet; expende-  
re te minime tædeat. Spero equidem, quo magis processeris, simulque omnia diligentius comparaveris, eo clarius tibi manifestum futurum esse, quam bene antecedentia a subsequentibus comprobentur, & quam ap-  
posite utraque adjutrices sibi mutuo manus porrigant. Novum prope opus, non dissile-  
mu.

mulo, auditoribus meis istud videbitur, cu-  
jus pauca tantum quasi semina in publicis  
prælectionibus spargere solebam, cum bre-  
vitas temporis, quo universa medicinæ pra-  
eticaæ moles comprehendenda erat, plura in  
lætam segetem effundere non sineret. Par-  
igitur est, ut nunc de singulis hisce morbis  
ea ratione differatur, qua in primo volumine  
febrium universam rationem exposuimus, i-  
dest copiose, & quantum licuit, accuratissi-  
me, undique, quæ ad propositum facerent,  
conquisitis, & judicio nostro qualicunque u-  
bique in rebus dubiis, aut controversis in-  
terjecto, quale videlicet aut ratio, aut ex-  
perientia nobis dictavit. Auctores, per quos  
aut profecimus, aut a quibus aliquid antea  
cognitum, vel traditum est, in primis cum  
experiencie responderet, opportune, & per-  
honorifice nominavimus, non quod inanem  
gloriolam ex eruditio[n]is ostentatione, ut  
moris est, captare voluerimus; sed, ut quis-  
que continuo intelligeret, quæcunque a no-  
bis aut præcipiuntur, aut probantur, non  
nostra tantum sententia, ac fide inniti, ve-  
rum ab aliis etiam præstantissimis viris jam-  
diu præcognita plerumque esse; aut si nova,  
quinam ea nuper testata fecerint, atque ani-  
madverterint. Turpe enim, & ingenuo, ho-  
nestoque homine indignum putavimus eorum  
insistere vestigiis, qui, ut omnia scire, &  
observasse per se ipsi videantur, quidquid  
scribunt, e proprio quasi penu desumptum  
efferunt, nullius unquam a quo acceperint,

men-

mentionem facientes ; propterea quod , si quantum aliis debent , grati testificantur , vix aliquid de suo sibi relinquere sentiant . Itaque neminem merito honore , contra quam vulgo fieri consuevit , privavimus , æquissimum rati , neque Recentiores sua laude in his , ut ait C. CELSUS , quæ repererunt , vel recte secuti sunt , fraudare , & contra quæ apud Antiquiores posita inveniuntur reddere auctoribus suis fideliter , & sine invidia . Exemplis subinde res illustravimus tam nostris , quam alienis , nec prætermissæ interdum sunt observationes quorumdam prope singulares , & quandoque rarissimæ , indicatis semper eorum scriptoribus , ut , quos penes fides sit , non ignorares . Nec , quia rarius quædam eveniunt , & a paucissimis notata sunt , prætereunda ea esse existimavimus . Quis enim omnia unus aut videre potuit , aut comprehendisse sibi persuadeat in tanta naturalium rerum immensitate , & medicinæ amplitudine ? Annotationibus vero , quas crebras , & interdum non breves ad calcem quarumdam paragraphorum adjeci , ea comprehensa sunt . quæ aut veritates minus notas , aut leviter dumtaxat in textu indicatas confirmare , aut opinionum commenta diluere , aut quæstiones , controversiasque , quibus ars implicatur , enodare , ac definire apta visa sunt . Demum , ne quidquam commodo dissentium deficeret , illud etiam curavimus , ut insignioris de quovis peculiari morbo tractatus , quos consulere ad ampliorem eruditio-

tionem possent, identidem, & passim com-  
memorari non laterent . Pauca hæc erant,  
de quibus te monitum , antequam legeres ,  
volebam.


Quod ab Auctore hactenus præfactum est de Vo-  
lumine Secundo Edictionis Mediolanensis , de III.  
ac IV. Venetæ Edictionis nostræ dictum intellige ,  
Unicum enim illud , studentium commodis inservien-  
tes , in duo divisimus .

## INDEX CAPITUM.

## T O M I III.

CAP. I.	<i>De morbis exanthematicis febrilibus generatim.</i>	pag. 1
II.	<i>De Erysipelate.</i>	16
III.	<i>De igne sacro ; quem Zosteria ; sive Zonam vocant.</i>	
IV.	<i>De Purpura Scarlatina.</i>	42
V.	<i>De exanthemate urticato.</i>	56
VI.	<i>De Essera VOGELII.</i>	103
VII.	<i>De Pemphyge Recentiorum, sive Morbo phlyctenoide.</i>	108
VIII.	<i>De Morbillis.</i>	110
IX.	<i>De Variolis.</i>	115
		178





## C A P U T I.

### DE MORBIS EXANTHEMATICIS FEBRILIBUS \* GENERATIM.

#### §. I.

**A** VERBO ἔξαρθέω, nempe effloresco, aut erumpo ducta est vox ἔξαρθνία, quasi efflorescentia, aut eruptio. Proprie ad papulas, sive pustulas, quæ ad cutim erumpunt, & supra eam elevantur, aut eam inæqualein quodammodo reddunt, denotandas a medicis adhibetur. Minus vero proprie, & laxiore significatu a viris etiam sumimæ auctoritatis (a) extenditur ad eas cutis maculas, quæ colorem ejus dumtaxat permутant, deturpantque, & planæ omnino sunt, nec eam attollunt, nec asperam faciunt. Itaque, ne vitiatio, quæso, vertatur nobis, si utroque sensu, & latiore modo vocabulum istud sumimus, eo que comprehendimus quamcumque eruptionem, quæ in exteriore corporis, cutisque facie profiliat, sive elata, & prominens sit, sive plana, & tactui insensibilis, sive exigua, & minuta,

*\* Exan-*  
*theo Ex-*  
*anthema.*

*Quid ex-*  
*hanthe-*  
*ma?*

*Quo sen-*  
*su a no-*  
*bis acci-*  
*piatur.*

sive amplior, & voluminosa, sive rara, sive fre-  
quens, sive unica, sive multiplex, dummodo  
eius generis fuerint, quæ, quoniam febrilem ali-  
quam accessionem subsequuntur, aut febrem plus  
minus sociam habent, aut concitant, febriles di-  
ci possint, quæque olim a plerisque febrium nu-  
mero includebantur.

\* *Synonyma.*

*Febres eruptivæ ALLENII, synops. univ. medic.*  
*§. 219. ed. Venet. 1762. Febres exanthematicæ AU-*  
*CTORUM, & NEIFELDII, Rat. med. §. 449. subsect.*  
*x, SCHÄCHTII, Instit. med. practic. Cap. xi. p. 47.*  
*Exantemata febrili BOERHAVII, & SWIETENII,*  
*Aphor. de cogn. & curand. morb. §. 723. Phleg-*  
*masiae exanthematicæ SAUAGESII, Nosol. class. 3.*  
*ord. 1. Exanthemata SAGARII, cl. x. ord. 1. & 2.*  
*(a) FERN. L. Pathol. l. 1. cap. 8. & l. 4i cap. 18.*  
*& SWIETENE in aphor. Boerhaav. ad §. 723.*

§. II.

*Distinctio* De his igitur dum ad dicendum aggredior,  
*in prima-* in memoriam revocanda primum est perneces-  
*ria, &* secunda- faria, & perutilis distinctio, qua exanthemata  
*ria.* in primaria, sive, ut ajunt, essentialia, & in  
*secundaria, sive non essentialia tribuuntur.* At  
*de secundiis, sive non essentialibus, utpote quæ*  
*ad febres, aliosque morbos, uti symptomata,*  
*aut epigenomena, aut accidentia, verius spe-*  
*ctare alias diximus, satis, atque opportune a*  
*nobis alibi jam actum est: ad hunc vero locum*  
*primaria, sive essentialia non inepte, ni valde*  
*fallimur, servavimus, cujusmodi sunt Variolæ,*  
*Morbilli, Purpura scarlatina, Exanthemata ur-*  
*cicata, interdum Miliaria, & Peticula, sepiissi-*  
*me*

me *Erysipelas*, aliique id genus morbi. Quia vero exanthematicos hosce morbos febris, quod minime inficiamur, modo antecedit tantum, modo & comitatur; modo scilicet immodo subsequitur, ut deinceps ostendam; idcirco *febriles*, appellari eos utique decuit, non vero *febres*. Caussam autem; cur a febribus proprie dictis cum plerisque veterum, & recentium Nosologorum eos se junxerimus, pluries indicavimus alibi, sed præcipue tum; cum *Febrium divisiones*, & *differentiae expositæ (a)* sunt; apertius, pleniusque aperuimus. Atque illud in primis animadversum ibi fuit, interdum febrem nec antecedere, nec comitari; quod in Variolis benignissimis (b), in *Erysipelite (c)*, in Exanthemate urticato; in Peticulis, in Miliaribus (d) non rarum est; & præterea, quando febris antecessit; plerumque evenire, ut ea, exanthemate ad cutim penitus protusso, desinat, aut certe plurimum minuatur, dum interim exanthema, sive morbus princeps permanet, suumque curriculum nihilominus, prout ejus natura fert, prosequitur, donec eo, quo finiti consuevit, perveniat. Id maxime perspicuum est in *Erysipelite simplici*, & benigno, in Variolis discretis, & mitissimis, in quibus scilicet febri, que antecesserat, & deinde post eruptionem desierat, non revertitur, nisi nova eruptione futura, aut quæ jam facta est, ad suppurationem tendente:

(a) *Volum. I. §. LVI.* (b) *Cæs. MARESCOT. Tract. de variol. p. 19. 20.* Is, quem ætate jam gravem, sed facilem, humanum, & ab omni eruditione paratißimum adolescens audivi, quatuor casus, in quibus

febris absuit, unum ex MARCELLO DONATO, alterum ex PHILIPPO INGRASSIA, & binos ex propria experientia adducit. (c) MEZA com. med. practic. Fasc. I. cap. XVII. (d) DUPRE' DE LISLE Dissertat. sur la fevr. miliarie de femm. en couche p. 7. & 18. qui testatur miliaria alba puerperarum saepe sine febre erumpere, & ferme sine febre etiam miliaria rubra benigna. Quod & nos pluries vidimus. Sed de his suo loco plura.

## §. III.

*Postrema  
ratio, qua  
seorsum  
pertra-  
ctentur.*

Accedit quod febris, quandcumque cum hisce morbis conjungitur, nullum certum ordinem, nullumque perpetuum typum observat, ut ad aliquod genus peculiare ea redigi plerumque possit; nam modo continua continentis, modo remittentis, modo anomalæ, & vagæ, modo intermittentis periodicae speciem, & morem induit; hocque postremum frequentissime cernitur in Periculis, & Exanthematibus Miliaribus, in quibus inter initia tertianam intermittentem mentiri persæpe visa est. Quas ob res proxime quidem post febrem recensionem, sed seorsum ab iis morbos hosce natura, incessu, & phænomenis non parum dissimiles pertractare æquius, satius que censuimus.

## §. IV.

\* Febris naturæ instru- mentum, quo a no- xio se li- beret prin- humori- bus & extor- sum ad cutim protrudi de- cipio. Videtur ergo in his febris esse motus quidam plus minus necessarius, quem excitat peculiare illud heterogeneum, quod, ut nervis, & cor- di, arteriisque intolerabile, a cunctis secerni bet, eoque motu natura utitur, quando natu- ralis

talis sanguinis circuitus per se satis non valeat, *Ratio febris ex-*  
*ad quamdam veluti criticam excretionem mo-*  
*liendam, cuius tamen effectum moliminiis cer-*  
*ta, & constanti fere lege in ipsa tantum cute*  
*terminetur, quæcumque denum sit hujus sin-*  
*gularis, constantisque phænomeni caussa. Quod*  
*si omne illud noxiū, quod naturam irritabat,*  
*ea febrili commotione secretum, in cute uni-*  
*versum confederit, nec malignæ admodum indolis sit, facile intelligitur, febrim desinere o-*  
*portere. Contra si pars ejus tantummodo seces-*  
*serit, & natura adhuc irritari pergit, aut ve-*  
*nenata, & perniciosa heterogenei illius princi-*  
*pii vis totum sanguinem infecerit, aut ejus plu-*  
*rimum sibi assimilarit, illud necessario consequi-*  
*tur, ut febris etiam post postularum eruptio-*  
*nem assidua persistat, aut inordinate, & per*  
*circuitus redeat, remittatque. aut, prout virus*  
*evolvitur, extricatur, irritatque, accessiones*  
*suis subinde repeatat intermittentium instar, &*  
*partitis vicibus illud expellat, nec ante dece-*  
*dat, quam tota humorum massa omnino repur-*  
*gata fuerit; sicuti luculentius apparebit deinceps,*  
*ubi de singulis ejusmodi eruptionibus sermo ha-*  
*bebitur.*

## §. V.

Cum vero *malignum*, & *benignum* per sepe *Divisio*  
*ad diversum morborum plerorumque ingenium,* *altera in*  
*aut characterem significandum usurpari soleat,* *benigna,*  
*idque in exanthematicis quoque differentiam* *& maligna.*  
*non levis momenti faciat, prætermitti haud pe-*  
*test altera exanthematum opportunissima divi-*  
*sio in benigna, & maligna. Maligna ea viden-*

*De his tur SAUVAGESIO* (a), quæ sub exiguis primis  
*Sauvage-*  
*fi scn-*  
*tentia.* pulsus, caloris, & urinæ mutationibus, quo-  
 tientia. dammodo latenter decipiunt, deinde repente,  
 & præter expectationem multo graviora sibi ad-  
 sciscunt symptomata, quin quæ ex pulsuum  
 magnitudine, ac vi metui ullo modo poterant.  
 Sed hæc, ut libere dicam quod sentio, aliorum  
 omnino morborum, qui maligni dicuntur, com-  
*Quæ ma-*  
*ligna*, munia sunt. Distinguunt porro idem doctissimus  
*que ty-*  
*phodia?* auctor a *malignis* ea, in quibus pulsus, & uri-  
 na, & calor sanis similes deprehenduntur, ita  
 ut ægri vix febricitare videantur, dum viribus  
 tamen maxime languent. Hæc non *maligna*,  
 sed *typhodia* vocare illi placuit. Ex *malignis* de-  
 nique, vel *typhodibus* conficit tertium genus  
*Pestilen-*  
*talia?* *Pestilentiarum*, quæ nimis epidemice grassan-  
 tur, atque ita perniciosa sunt, ut majorem par-  
 tem enecent ægrotantium. Monet præterea,  
*malignum* differre a *gravi* morbo, quod hic syn-  
 ptomata habet vehementiora, & per caussas me-  
 chanicas, perspicuas, intelligibilesque facile ex-  
 plicanda: dum contra *malignus* symptomata pro-  
 fert, quæ a caussis occultis, beneficis, putri-  
 dis, gangrenosis, & colliquantibus proficisan-  
 tur.

(a) *Nosol. cl. 3. ord. I.*

## §. VI.

*Quid sen-*  
*tiendum*  
*de Sau-*  
*vageshi*  
*distinctio-*  
*nibus?* Nihil tamen, ut ego quidem arbitror, ve-  
 tate, quo minus eruptiones, quas in *malignas*,  
 & *typhodes* *SAUVAGESIUS* distinxit, uno *maligna-*  
*rum* nomine complectamus. Id enim a complu-  
 ribus aliis factum est. Quid vero nobis *mali-*  
*gnum*

gnum sit , quidque apud plerosque hodie obtineat , patefacere non prætermisimus , cum de Febribus differeremus , eas malignas esse dicendas rati , quæ insidiose , subdole , & sub specie benignitatis clanculum aggrediuntur , vires illico sine manifesta caussa prosternunt , nervorum in primis , & cordis actionem laedunt , & symptomata insolita , repugnantia , atque a morbis simplicis , & puri in dolo non parum aliena secum trahunt (a). Exemplis tum etiam illustrare rem tentavimus , ne quis a fucata benignitatis specie se falli sinneret . Atque hæc quidem de malignitatis indiciis generatim intelligi debent , & speciatim ad febres proprie dictas videntur spectare . Et quanquam ipsa in morbos etiam exanthematicos cadere possint , & soleant , sic ut eorum malignitatem modo expositam , & communem indi- signapro-  
cent ; sunt tamen quædam alia exanthematum priabeni-  
veluti propria , & peculiaria ; quibus præsentis gnorum ,  
aut absentibus exanthematicos morbos be- gnorum ,  
nignos aut malignos cum plerisque scriptoribus exanthe-  
habendos , appellandosque ducimus , malignita- matum .  
tis vocabulo a communi illa significatione aliquantulum deflexo . Inter hæc autem primum locum sibi vindicat Febris , quæ exanthematum eruptionem antecedit . Hæc in benignis vel omnino deficit , vel , si ulla est , non admodum magna est , vel , quæcumque demum fuerit , statim ac eruptio facta est , minuitur , & mitescit quain maxime , quin imo ex toto desistentibus symptomatibus ; quæ prius terrebant , cessat , desinitque . Contra in malignis , qualiscumque ea antea extiterit , nequaquam post eruptionem , ut in illis assolet , cum suis symptomatibus mi- tescit , finiturve ; sed ultra progreditur , instat-

*Note pre-  
cipua ex  
febre.*

que ; quin etiam , si prius mitis , & moderata fuit , gravius plerumque excandescit , & perniciosa symptomata , uti delirium ; anxietates , tremores , rigores , spasmos , convulsiones , vitium vitalium defectionem , atque alia ejusmodi sibi adjungit .

(a) Vol. I. §. LII. & not. ibi adjectis.

### §. VII.

*Animad-  
versio de  
virium  
defectu ut  
signo.*

Quod vero de virium subito lapsu , aut defectu , utpote malignitatis pathognomonic signo universi traditur ; id essi , ubi se exhibit , maximam considerationem mereatur , non tam in omnibus malignis exanthematicis morbis perpetuo occurrit : nam saepissime hos perniciosissimos , & brevi lethales demiratus sum in ægrotis , qui viribus animalibus ita vabant , ut sine ullo labore e lecto surgerent , starent , incederent , alvum stantes dejicerent , atque ut sani in lecto facile in utrumque latus se se revolverent . Hinc vix ullum constantius , & certius in exanthematicis morbis malignæ , quam febris ab exanthematum eruptione continuacionem , aut vehementiorem excandescentiam .

*Certius  
maligni-  
satis si-  
gnum.*

*Graves  
morbi et-  
iam ma-  
signi.*

Hac igitur nota maligna exanthemata a benignis præcipue internoscenda voluntus , nec valde repugnamus , si malignorum nomine omnes etiam ii ex morbis exanthematicis intelligantur , qui graves , & periculosi a SAUVAGESIO dicuntur , quique ab aliis maligni ratione symptomatum vulgo appellantur ; nam hic malignitatem non stricte , sed laxius , & quodammodo ultra

ultra consuetudinem usurpari ut liceat ; veniam petimus , & postulamus . Sed præter benigna , ac maligna exanthemata est quoddam tertium genus , quod neque omnino benignorum notas , nec malignorum omnes habet , sic ut ambigatur vehementer , an ad primum , an ad alterum spectet . Hoc medium , sive mediae naturæ , quod inter utrumque medium sit , vocamus . De Pestilentibus vero , cum hac voce epidemica perniciosa , & lethaliora a Sauvagesio , aliisque comprehendantur , nihil attinet commentari ; Il . Iud solummodo animadvertam , etiam sporadicis , quando sumnum malignitatis , & pernicie gradum attingunt , denominationem convenire posse , quemadmodum a quibusdam adhibitam novem , cum ad pestis quodammodo feritatem , velocitatemque exitii propius accedunt .

### §. VII.

Tertia demum partitio exanthematum est in regularia , sive ordinaria , & in irregularia , sive anomala . Primi generis illa dicuntur ; quæ febri breviori , & consueto tempore perduranti ordinate succedunt , & solitis , propriisque symptomatibus stipata sua stadia percurrunt : alterius vero , quæ non prodeunt , erumpuntque , nisi tardissime , videlicet post febrem longiorem , anomalam , & ultra consuetos limites durationis ad plures dies , aut etiam hebdomadas protractam , insolitusque symptomatibus comitantur . Irregulares hujusmodi , sive anomali exanthematum incessus cernuntur in quibusdam præsertim constitutionibus epidemicis ; quanquam non prorsus absint quandoque a sporadicis ; ut clinicorum obser-

vata-

vata testantur. Frequentius id accidit Morbillis, Variolis, & Morbo militari, interdum etiam Purpuræ scarlatinæ, nonnullisque aliis anathematum speciebus. Hactenus de præcipuis exanthematicis differentiis. Restat, ut aliquid dicam de communibus eorum prænotionibus. Sunt enim quædam communia symptomata, ex quibus, antequam ad cutim se prodant, ipsa prævideri, & prænosci possunt, præter illa singulorum propria, quæ in cujusque historia tradentur. Multa a signa MORTONO (a) enumerantur, quæ in Variolis, communia Morbillis, & Purpura scarlatina ita crebro occursum currunt, ut pro pathognomonicis horum affectuum signis reputanda ei videantur. Talia sunt pulsus debilis, & rarus, respiratio admodum cito, & anhelosa, hypochondriorum oppressio, & angustia, urina pallida, & tenuis, vel saltē rubedine non multum tincta, aut contentis saturata, afflatus cerebri comatosus, vel vigiliae pertinaces, subsultus tendinum frequentes, non nunquam spasmi manifesti, & deliria prorsus efferata, gravativa palpebrarum debilitas, oculorum rubedo, punctura dolorifica, ac lacrymæ involuntariae, adeo ut ager oculos difficulter admodum aperiat, vel lumen aspiciat; in gutture dolor ulcerosus, raucedo clangosa, tussis perpetuo molesta, immanis, ac ferina. Verum hæc neque una, & simul, neque omnia semper convenire credas, neque omnibus æquæ exanthematicis morbis familiaria esse, ut communia vere dici possint, quin interdum deficiant. Quod probe animadvertem velim.

(a) Oper. T. 2. exercit. 3. cap. 3.

## §. IX.

Omnium vero frequentissimum, & prope commune indicium non sine experientiae suffragio ab ALLENIO prædicatur *ingens pectoris oppressio* cum anxietate, atque irrequie conjuncta, quæ tamen a peripneumonica pectoris angustia, & spirandi difficultate non parum dissentiet (*a*); Eam enim hoc potissimum distingui licet, quod non ita constans, æqualisque sit, ut in peripneumonia, sed subinde remittat, & quasi cèsset, licet per intervalla resurgat, & sine manifesta caussa ingravescat, desinat vero cum reliquis fere symptomatibus, si morbus benignus fuerit, & purus facta exanthematum eruptione. Neque in illa exspiratus ore halitus calens esse percipitur, saltem non ita, ut in peripneumonicis, neque pulsus durus est, ut in inflammationibus esse consuevit, nisi forte cum inflammatione complicetur malum. Quare videtur valde probabile, pectoris istam oppressionem non aliunde derivandam esse, quam a convulsiva diaphragmatis, pulmonum, & muscolorum thoracis affectione, aut epigastrii, hypochondriorumque irritatione, quam exanthematicus fomes plus minus nervos, fibrasque musculares irritando procreat.

*Signum  
commu-  
nibus ab  
Allenio  
prædic-  
tum.*

(*a*) *Synops. univ. med. T. I. Cap. I. §. 219. edit.  
Venet. 1762.*

## §. X.

*Pulsus quinam?* Pulsuum quoque consideratio lucis non parum affundit. In plerisque enim arteriarum motus ita varius reperitur, ut non unus, idemque diversis temporibus exploratus appareat; sed modo frequens, modo rarius, modo elatus, modo humicrebra lis & depresso; modo inæqualis. Ex hac igitur *torum mutatio, & pulsuum varietate & crebra mutatione ad laten- varietas.* tem morbum prænoscendum eruitur maximum *Coma, & adjumentum.* Eo etiam spectat utrumque *Coma, Pervigi- lium.* vigil nempe, & somnolentum, utpote quod ab ipso initio in hisce morbis deesse non solet; itemque *pervigilium,* & quædam insolita; & præter consuetudinem invincibilis impotentia ad obdormiendum cum mentis aliqua confusione. *Nausea & vomito.* Neque obliisci nos oportet nauseæ, vomitus; & vomendi conatus, qui plerumque ante exanthematum eruptionem ægros angunt, atque ab omni cibo, & potu arcent, desituri; quam primum exanthemata prodierint. Quod si dorsi, artuumque dolor, & sensus quidam torporis, & contusionis fractionisque ad hæc accesserint; vox quodammodo tremat, manusque dum portiguntur, & moventur, trepidare videantur, multo clarius exanthematica morbi natura patefiet.

## §. XI.

*Tempora, sive periodi.* His igitur de morbi genere, differentiis, & signis in universum, & summatim expositis, pauca dicenda superfunt, quæ ad diversa tempora, quibus totum exanthematum curriculum distinguuntur, atque ad eorum causas, curationemque re-

respiciunt, non minus, ut arbitror, quam superiora, observatu digna. Exordiar ergo a temporibus, quæ tria in quolibet exanthematico morbo constitui, & notari solent. Primum est illud, quod eruptionem antecedit, & quodammodo ad eam præparat, habetque varia nomina. Aliis vocatur *prima periodus*; aliis *tempus separationis*; aliis *febris eruptionis*, aut *status febrilis*; & deinde *de Variolis si sermo sit*, vel *similibus contagionibus*, a *BOERHAAVIO status contagii*, aut secundum non nullos *apparatus simpliciter* dicitur. Sed quocunque modo nominetur hæc periodus, parvi refert, duumodo accipiatur, intelligaturque spatum illud, quod a primo febris ingressu incipit, & perdurat ad exanthematum usque eruptionem. Erumpentibus exanthematicibus exorditur altera periodus, quæ nomine *eruptionis*, aut *efflorescentia* producitur eo usque, quo exanthema evanescere, aut resolvi conspicitur, succedente *tertia periodus*; cui *exsiccatio*, sive *desquamationis*, sive *resolutio* pro exanthematis diversa natura nomen est. In *Variolis tertia periodus* est illa, in qua pustulæ inflammantur, & suppurationem subeunt, ideoque istud stadium *inflammatorium*, aut *suppuratorium* quidam appellant. Hinc in his quartum locum sibi vindicat *exsiccatio*, sive *ultima periodus*. De singulis vero plura, & magis distincte in peculiari cujusque exanthematici descriptione.

*Primum tempus, sive prima periodus.*

*Alterum tempus.*

*Tempus tertium:*

*Variolæ habent quatuor tempora, non tria.*

## §. XII.

*Causæ.* Ad causas quod attinet, multiplex earum genus esse videtur, aut saltē variabile non parum pro diversa exanthematum natura, & ægrotantium ætate, constitutione, temperie, vietū, & regione; de quibus singillatim in sequentibus Capitibus. Id vero indubitatū, & prespectum existimo, aliquid acre (§. IV.) in hisce mōrbis vel intus genitum, vel extrinsecus receptum subesse, ingenio, vi, atque effectis varium in singularis. Re enim vera, quamquam in omnibus cutem, & vēlamenta corporis constanter appetat, tamen aliud magis unam sedem, aliud aliam occupat, & diversam unumquodque maculæ, aut pustulæ tumorisve figuram, molem, speciemque assequitur, ac retinet. Sic aliud vasa cutanea; aliud mucosum Malpighianum corpus; aliud cellulosa spatiæ, aut folliculos, aut glandulas aggreditur; aliud universam paullatim cutem; aliud peculiarem aliquam partem inflammat; aliud maculis diffusis, sejunctis, & discretis se exhibet; aliud consertim; aliud sparsim erumpit. Hoc minutæ quasi ecchymoses efficit, illud pustulas tam colore, quam magnitudine, atque habitu sui prope generis profert; exigua hoc phlegmones, aut vesicas, aut phlyctenæ, aut tubercula certa ratione, & mensura format, & sic porro; quemadmodum propria cujusque natura, & sedes (§. II.) tulerit.

## §. XIII.

## §. XIII.

Quæ demum cuique exanthematum generi, *curandi ratio generatim.* singulisque eorum periodis ( §. XI. ) conveniat curatio, in universum decerni vix potest. Quædam tamen generalia præcepta nobis suppeditunt, unde scire liceat, qua nos ratione gerere oporteat. In quavis anathematum suspicione, si natura nec vehementius, nec languidius, quam opus est, ad separationem noxii, atque heterogenei principii incumbat, cunctari prestat, & quiescere, ne ejus opus interturbetur. Sin contra, eam aut inhiberi excedente, aut incitari torpente, convenit. Quod si vel vasorum plenitudo, vel cacochylia gastrica, vel alia quæcumque caussa incidat, quæ naturæ motibus obnittatur; aut eos deflectere cogat, protinus ars in auxilium properare debet. Peculiariter etiam acritudini apta medicamenta præsto sint, ne ea exitium acceleret. Cavere item oportet ab omnibus iis, quæ eruptioni impedimento sunt; aut jam factam reprimere possunt, ne metastases funestissimæ fiant. Hinc regimine utendum moderate diaphoretico tanidiu, donec omnis nocuus humor penitus exhalaverit. Quibus autem auxiliis hæc cuncta peragantur, quibusque cautionibus opus sit, speciatim docebo in his, quæ proxime sequuntur. Non satis autem animadvertere possum, calefacientia quæque, alexipharmacæ, atque nimiuni acria, aut irritantia universim noxia esse.

## C A P U T I.

## D E E R Y S I P E L A T E .

## §. X I V .

*In quo  
differat  
a vera  
phlegmo-  
ne.* **D**E Erysipelate jam alibi , cum ejus affinitatem cum phlegmone generatum , breviterque ostenderem (a) , verba feci . A phlegmone enim vera ita discrepat , ut potius phlogosis , si- ve quoddam inflammationis spurium genus (b) dici debeat . Hic , quoniam ad morbos exanthe- maticos febriles pertinet , paullo uberior de eo differendum nobis est , jure prope nostro utenti- bus , cum id mali probe noscere , & curare me- dicorum non minus intersit , quam variolas , mor- billas , & miliaria .

\* *Synonyma*

*Bosa SENNERTI , de febr. l. 2.<sup>o</sup> c. 15. Febris ery-  
sipelatos a SYDENHAMII p. 174. HAENII Febr. Div.  
VI. Febris erysipelacea HOFFMANN. Med. System.  
T. IV. P. I. Cap. XIII.*

(a) *Commont. de Inflamm. §. IX.*

(b) *PLATNER Inst. Chirurg. §. 156. , & CALLIS-  
SEN Inst. Chirurg. mod. §. CCXVI.*

## §. X V .

*Erysipela-  
tis descri-  
ptio.* Hoc igitur nomine ( §. XIV. ) designatur ru-  
bor quidam , plerumque e roseo albicans ; rarius  
e purpureo , aut livido flavescens ; aliquando ex  
rubro nigricans , qui in hac , vel illa corporis  
parte cutim summam subito occupat , aliquantu-  
m eam attollens , sed tamen æqualis , & pla-  
nus ;

nus; lateque sine ulla spatii, aut figuræ circumscriptione sese diffundit, & quodanmodo serpit, ut plurimum pruritu atque ardore magis, quam dolore ingenti molestus. Id autem peculiare, & proprium ejus est, ut, si digitis comprimatur, ibi candicet, albidumque vestigium recipiat, sed mox, remota pressione, pristinum colorem, splendore inque recuperet.

## §. X V I.

*Verum & legitimum Erysipelas est, quando omnes notas habet, quas modo memoravi. Contra, cum ab his deflectit, spurium, sive notum audit. Multimodis autem a vero, legitimoque spurium.*

*Differen-*  
*tiae. Ver-*  
*rum. Ery-*  
*sipelas*  
*spurium.*

recedit, sed speciatim, tum, cum in eo cutis valde tumet, & tenditur, atque ita rubet, ut pressa non albiset, vel tumor altius se dimittit, partesque sub cute positas comprehendit; aut cum mollis is est, serosumque humorem continere videtur, unde etiam minus rubeat, minusque renitator, & facile soveas impressas retineat. Quod binis prioribus modis fit, phlegmonodes vocari solet; quod postrema ratione, oedematodes (*a*). His additur scirrhodes, quod scilicet scirrhi dutitiam exhibeat. Verum id improprie sic appellatur; nam a scirro vel longissime abest, vel scirrho tantum superveniens hanc denominacionem obtinet; nisi scirrhodes cum Platnero (*a*) vocemus illud, quod dutitiam majorem reliquis habeat.

*Phlegmo-*  
*nodes.*  
*Oedema-*  
*todes.*  
*Scyrrho-*  
*des.*

(*a*) L. §. 158.

## §. X V I I .

*Fixum.* Quod si rubor iste ( §. XV. ) eundem semper teneat locum , nec in aliud migret , *fixum* *Ambulan-* per teneat locum , nec in aliud migret , *fixum* *Simplex.* Erysipelas , *ambulans* vero dicitur , cum ab una ad aliam partem huc illud vagatur . *Simplex* quoque Chirurgi illud nominant , quod nullo *Compli-* gravi , aut periculoso symptomate stipatur ; *com-* *cum.* plicatum , quod contrario se modo habet , uti quando alicubi livet , nigrescit , & gangrena corripitur ; unde carbunculosum , & gangrenosum carbunculosum , ejam nuncupatur , quamquam prius illud rectius *& San-* benignum , hoc vero malignum dicerent . Sunt *granulosum.* *Læviga-* etiam nonnulli , qui lævigatum , atque æquale *tum.* intet ejus differentias ponant , cum videlicet pustulis , aut vesiculis caret : & contra tuberculosum ; scabrum ; pustulosum , sive miliare ; vesiculare , sive bullosum , cum tuberculis , pustulis , *Benignum* bullis , sive ampullis vesicularibus deturpatur . Ve- *& Malig-* rum hujusmodi differentiae prope inutiles , & supervacuae videntur iis , qui Erysipelas distinguunt in benignum sive simplex , atque in malignum ; sive complicatum ; vel tantummodo ad diversa ejus tempora , & varios ejus gradus denotandos accommodatae reputantur .

## §. X V I I I .

*Varia E-* Nam pro varia temporum , quæ percurrit , ra- *rysipelatis* stione , diversa quoque est ejus facies . *Initio* ple- *stadia.* rumque modice rubet , exiguum occupat locum , ac levi cum tensione , pruritu , & dolore con- *jun-*

jungitur. In *augmento* manifestius increscit, latius propagatur, & in a*majore* simul calore, tensione, doloreque distractuat. In *statu* omnia hæc persistunt: & cutis exiguis tuberculis, aut bullulis persæpe exasperatur, atque inæqualis evadit. In *decremente* demum rubor evanescit, cutis subsidit, & relaxatur, sicque malum epidemide resiccata, & frustulatim secedente resolvi consuevit; aut contra suppuratione, aut gangræna finitur (a): quamquam rarissimum est, Erysipelas in suppurationem desinere, nisi *phlegmone**des* ipsum extiterit. Quando vero gangræna ei supervenit, sæpiissime celerior erysipelatis cursus est, & plerumque aliqua cacochymia eam promovet. Discusso autem morbo, interdum ejus sedes tumore quodam aquoso, albo, & molli ob atoniæ relictam laborat, idque præsertim evenit, ubi erysipelas *œdematodes* fuerit; aut cutis, non perfecte discussa congestione, induratur, rigescitque, qui quartus est finis, quem, et si rarissime, consequitur malum.

(a) ASTRUC *Tract. de tumor. l. v. cap. I.*

#### §. XIV.

Longe vero utilior, commodiorque videtur *Erysipelatis divisio in Protopathicum, Fortificatum, ac Symptomaticum*; utpote quæ ejus non modo originem, naturamque distinguit, verum etiam ad rectam curandi rationem plurimum facit. *Protopathicum*, sive *primarium*, quod alii *idiospathicum*, sive *essentiale* vocant, sponte, & sine ullo morbo præcedente erumpit, caussaque peculiariter interius genitam, atque humoribus in-

sidentem agnoscit. *Fortuitum*, sive aliis *Accidentalē*, illud definiunt, quod non ab interiore sanguinis labe, aut depravato aliquo humore, sed a manifesta, atque exteriore caussa progignitur, vel potius movetur; uti a solis ardore, a nimio frigore, ambustione, acribus applicitis, punctura, cutis laceratione, &c. quanquam, ut libere dicam, non alienum a ratione arbitror, in his quoque casibus aliquid plerumque subesse, quod cum caussa proegumenta similitudinem habeat. Demum ab alio morbo pendet *Symptomaticum*, veluti quando vulneribus, membris luxatis, aut fractis, ulceribus, febribus acutis, anginæ malignæ, scorbuto, hydropi, œdematiis supervenit (\*).

(\*) Ad hoc genus a CALLISSENIO (*Instit. Chirurgiæ Modern.* p. 72. referri video erysipelas *phlegmone*s, œdematodes, *scyrrhodes*, *herpeticum*, atque alia, quæ ad *spurium* ab aliis, ut supra (§. 16.) tradidimus, ablegantur. Has ipsas species, quas alii ad *Spurium*. & CALLISSENIUS ad *Sympomaticum Erysipelas* revocant, GORTERIUS (*Chirurg. Repurgat. lib. X. Cap. IV. §. 1412.*) ad *Erysipelas compositum* redigendas existimat, quia ex dupli, aut etiam multiplici morbo coalescunt.

### §. XX.

*Qualis febris in ipso sit?* Erysipelas, pro diversa ejus ratione, febris ipsa vel antecedit, vel comitatur, vel subsequitur (a), uti quotidie experientia comprobatur. Interdum etiam accedit, ut ab eo, quando erysipelas levissimum est, quale plerumque fortuitum esse consuevit, penitus absit (b). *Protopathicum* et fere semper antecedit: saepius comitatur, aut sub-

subsequitur *symptomaticum*, fortuitumque, si  
 paullo gravius naturam lacestant. Ubi autem e-  
 jus eruptiōnem praevntiat, fere in hunc modum *Quæ an-*  
*exorditur, & progreditur: primum nec cogitani-*  
*tem frigus, horror, rigorque vehemens repen-*  
*te corripit, corpusque universum quatit ad ho-*  
*ras aliquot cum pulsu exiguo, frequenti, con-*  
*tracto, lassitudine, virium lapsu, pondere per-*  
*molesto circa cordis scrobiculum, gastrodynia,*  
*nausea, vomitūtione, immo vomitu non mo-*  
*do ingestorum, sed etiam bilis flavæ; interdum*  
*vero sine vomitu. Paullatim tremor, & rigor*  
*conquiescit; frigori ingens calor succedit, pallo-*  
*ri faciei rubor, sitis intensa, anxietas, spirandi*  
*difficultas, anhelitus, magna in somnum procli-*  
*vitas cum pulsu elatiore, s̄epe magno, vehe-*  
*menti, duro, crebro, mentis perturbatione, in-*  
*terdum delirio, & linguae tarditate, qualis in*  
*ejus imperfecta paralysi deprehenditur. Febris sic*  
*trahitur, aut semper increscens, epacmaſtice i-*  
*star, aut homotone, sive acmoſtice ſimilis eum-*  
*dem gradum ſervans, aut novis ſubinde accessioni-*  
*nibus invaleſcens, donec Eryſipelas omnino eru-*  
*perit. Erumpit autem mox prima die ad finem*  
*vergente, aut quod frequentius incidit, altera.*  
*Quandoque ineunte ipſa febri ſe exhibere inci-*  
*pit; alias tertia, aut quarta tantummodo die*  
 (\*), quod quidem rarius eſt, ſeſe prodiſ it in ali-  
 qua corporis parte, quæ ſeſe aliquantulum dolet  
 prius, & ruboris cujusdam lucidi ſpecie ſignatur,  
 qui rubor præſertim ubi in faciem irruptum E-  
 ryſipelas ſit, circa naſum, LE ROY obſervante (c),  
 appetet.

(a) HIPPOCRAT. l. 3. Epidem. & GALEN. Comment. 3. in eumid. n. 27. p. 364. in edit. in 12. Ubi verba Hippocratis hæc sunt : *Multis autem in febribus, & ante febrem, & a febre (Erysipelata) contigerunt.*

(\*) Cl. SWIETENIUS §. 593. in BOERHAAV. narrat se vidisse *in muliere quinta febris die in brachio erysipelas natum* &c. Mihi quoque non semel contigit observare tardiorum hujusmodi erysipelatis eruptionem in cruribus.

(b) MEZA Compend. medic. Pract. fascic. I. Cap. XVII. §. 156. ubi sic inquit: *Non nunquam Erysipelas absque ulla febri oriitur* &c. Id etiam testatur RICHA, Conf. epid. Tuur. alter. §. VIII.

(c) Melang. p. 64.

### §. XXXI.

Itaque simul ac rubor cutim occupat, si minus malum futurum sit; febris quoque incipit non nihil defervescere, sensimque, prout erysipelas extorsum propellitur, minuitur, atque evanescit, & una simul sopor, delirium, vomitus, & reliqua symptomata decedunt. Si vero magis vitium intus lateat, aut non tota ejus vis in cutem se effuderit, post levem, brevemque remissionem febris recrudescit, & nova materie ad cutim propulsa iterum mitescit, solviturque, sudore interea manante, atque urina crassa, & subsidente (a) emissâ, Quando, Rarissimum enim est, febrem ultra prefectam cur febris pro- erysipelatis eruptionem produci, nisi phlegmono- grahitur. des, aut malignum, & granulosum sit. In priore casu cum tumor altius insideat; & compressione non albicit, congestoque sanguine durior renitatur, vix tum sperari potest, ut resolva- tur; ideoque reliquum est, ut inflammatione pro-

protracta, atque in abscessum lente abeunte, febris, uti symptoma, protrahi debeat. In altero vero, gangrena orta, noxiisque tabo in sanguinem remeante, nil mirum, si febris non desinat, nisi vita viribus exsolutis. Ceterum ubi regulariter febris evanuerit, rubor, & dolor partis affecte remanet, sed paulatim subsedit, & discutitur, donec septimo tandem, aut nono die, omnino delitescat, secedente postea furfuris & lamellarum in modum ipsa epidemide. In ea Erysipelatum epidemica constitutione, quam anno 1721. Taurini vidit CAROLUS RICHA (b), saepe facile aut quavis alia parte, cui erysipelas infederat; detumescente, conturbabantur alvus, qua leniter fluente intra paucissimos dies integre morbus solvebatur. Non paucis inter initia sanguis e naribus erumpens salutem attulit. Hæmorrhagiam vero antecedebant hypochondria dura, tumida, dolentia, intensior capitis dolor, aut rubor oculorum, aut aurium tinnitus.

(a) PLATNER. I. c. §. 157.

(b) Constit. epid. Taurin. altera §. VIII.

## §. XXII.

Quælibet fere corporis pars Erysipelati patet, sed præ ceteris caput, collum, brachia, & crura eidem; præsertim protopathic obnoxia sunt. Ubi caput malum impedit, saepe frontem; palpebras, nasum, faciem, capillitum, collumque circuit, & peragrat; vehementerque dolent, & lancinantur partes, que eo afficiuntur. Immo quandoque enormiter intumescent,

ita ut profundior tunc morbi sedes videatur ; & cutis ipsa pustulis , vesiculisque inæqualiter exasperatur . Si ab alterutra aure incipiat , primum proxima loca discruciat , deinde serpit ad reliqua ; cumque ad palpebras pervenerit , ita h<sup>ec</sup> tumore quodam cœdematode inflantur , ut oculi vix , ac ne vix quidem detegi queant . Quandoque , dum priorem locum jam deserere videtur , novo veluti factō impetu in capillataī capitī partem inopinato irruit . Sæpe id malum certis anvi temporib<sup>us</sup> fere epidemice vagatur , quod jam HIPPOCRATES observavit (a) . Quocunque autem considererit , eadem prope symptomata , quæ supra recensui , infert , eodem quē modo increscit , minuitur , & decedit . Discrimen si quod est ; totum in majore , vel minore functionum , quæ cujusque partis laborantis propriæ sunt , læsione versatur . Illud etiam memoria probe tenendum est , quod crebris ex observationibus constitit , si erysipelas artubus inferioribus incubitur sit , inguinis , & femoris glandulas conglobatas , vasis cruralibus aditas , antequam se exserat , leviter dolere , atque intumescere consueuisse ; axillares vero , ac cervicales , si brachiis aut superioribus locis immineat (\*).

(a) Lib. 3. epid. text. 29. ubi sic : Vére autem valde multis contigerunt erysipelata , permanebantque & per aestatem , & sub autumnum .

(\*) Notum , perspectumque omnibus esse puto , cutis dolori lacerationi excoriationi , rubori , inflammationi , ulceribus , pustulis , aliisque cutaneis morbis sæpenumero supervenire tumores glandularum lymphaticarum , quæ membro affecto , & laboranti respondent , superiusque positæ sunt . Qui venarum lymphatica-

ticarum iniuiuin , & progressum nescunt , pene omnes sibi persuadent , puris , ichoris , aut alias noxii humoris aliquid a venis lymphaticis , absorberi , deferri que ad glandulas conglobatas , ad quas progreduntur , indeque has tumere ac dolere . Rechte hi quidem . Sed ubi glandulæ prius timent , ac dolent , quam humor ullus ab aliqua parte suppeditari possit , unde nam earum tumorem , doloremque deduxeris ? An aliquid per arterias ad glandulas , antequam in cutem pellatur , defertur , quo ipsæ intumescant ? An sola nervorum , & lymphaticorum vasorum irritatio sufficiat ? Vasa revera lymphatica irritabilia ita sunt , ut sola irritatione , teste HEWSONIO (*Descript. system. lymphat. Traject. ad Rhen. 1383.*) rubeant , inflamentur , & chordæ instar tantur .

### §. XXIII.

Summam autem cutim Erysipelatis sedem esse , omnino convenit inter auctores cum veteres , cum neotericis . Idque comprobari ajunt . 1. Quod manibus contrectata cutis , atque a subjecta pinguedine divulsa totum morbum continere comprehenditur , nec ulla alia particula tumere , dolere , aut reniti invenitur ; de legitimo , & simplici erysipelate si sermo sit . 2. Quod , ubi gangræna supervenit , solam cutis superficiem ipsa tenet , nec altius , saltem inter initia , descendit . 3. Quod robur compressione evanescit (a) . Quænam vero cutis pars potissimum afficiatur , non æque planum est omnibus . Alii enim extimæ cutis vascula rubris minora , cruori impervia , alii minimas fistulas , per quas tenuissimus halitus , vapor , aut sudor effertur , alii glandulas , sive folliculos sebaceos , alii *reticulum malpighianum* , & sic porro , magis laborare opinantur (b) . At vix statvi potest morbi sedes in una ex hisce

hunc partibus, quin simul aliae consentiant. Tanta profectio est earum omnium conexio, & complicatio. Itaque qui dixerit & vasa rubra, & alba, & textum cellulosum cutis, & corpus reticulare, sive, ut hodie vocant, mucosum, affici, non valde a vero aberrabit. Qui enim fieri potest, ut pressione rubor facile evanescat, locum saepe mutet, phlyctenarum excitet, aut œdematis speciem referat, nisi cellulosus textus, corpusque mucosum, quod cutini cum epidermide necrit, occuparentur;

(a) ASTRUC. l. 3.

(b) CALLISEN. l.c. p. 71. PLATN. §. 160. ASTRUG  
l.c. GORTER. L.c. §. 1423.

### §. XXIV.

*cauffa e-  
jus proxi-  
ma.* Color porro dilute roseus, & flavescens, (fus-  
gax, vagus; pruritus; calor acer; dolor pungens  
magis, quam pulsans; facilis de uno loco ad aliud  
transitus; vesicularum, quales ignis parit,  
excitatio; sanguis ex vena missus, rutilans, spu-  
midus, vix cohærens, quæ omnia in legitimo,  
& primario erysipelate observari solent, satis, ni-  
fallor, evincunt, ejus cauffam proximam esse  
*phlogosim*, quam procreat humor quidam tenuis,  
calidus, acerque, biliosæ sanguinis pari a veteri-  
bus dictæ quam simillimus, intus utcunque ge-  
nitus, & primum nervosum genus, deinde cor,  
arteriasque repente percellens, a reliquis paulla-  
tim liquoribus, motu febrili oborto, secedens,  
atque ad cutim alicubi propulsus, aut in ea pri-  
mario etiam defixus, & locum, in quo sistitur,  
vel latebat, peculiariter irritans, atque inflam-  
mans.

*Qualis  
humor  
morbum  
faciat?*

mans. Et talem eum reapse esse etiam ex hoc  
cl. PLATNERUS (*a*) colligit, quod nunquam ipse,  
ut sanguis in vera *inflammatione*, coquitur, nec  
in pus bonae nocte vertitur, sed, nisi diffletur,  
in sanie potius mutatur, quæ cutim rodat, &  
mala ulcera inurat.

(*a*) *L. c. §. 160.* Item GORTER. *Chirurg. lib. X.*  
*cap. IV. §. 1429. 1431.*

### §. XXV.

Quod si humor iste cum sero sanguinis uberiore, aut cum crux magna vi congeratur, erysipelas non simplex, & legitimum exsurget, sed *œdomatodes*, cut *phlegmonodes*. Nec a *Scirrhode* quod vocant, distabit, si iners, ac lenta quædam materia cellulas, & minima vascula oppleat, ut cutis aliquanto manifestius rigescat. Cum vero acritas humoris ad eum gradum pervenerit, ut sensus nervos, irritabilitate vascula, & fibras exuat, & quasi quadam yenata potestate destruat, erysipelas habebis *malignum*, & *gangrenosum*. Id alii repetunt a tali humoris congestione, ut omnis circuitus vitalis in loco affecto tollatur; quod interdum etiam ex hac caussa nasci posse non negaverim.

### §. XXVI.

Plurima autem genera caussarum existunt, quæ humorem illum (§. 13.) aut præparant, aut dignunt, aut excitant, inque motum adigunt, aut extorsum avocant, aut alicubi defigunt, aut ejus evolutioni occasionem suppeditant. Hæ vero etiam

*caussæ  
remotio-  
res.*

iam remotæ dicuntur, sive antecedentes, & partim corpori ipsi insident, & partim extrinsecus eide[m] adveniunt. Præcipue earum censemur temperamentum sanguineum, aut cholericum; habitus obesus, aut contra cachecticus; cacochymia; acritates variæ, præsertim oleosa, pinguis, & rancida, tam sola, quam cum aliis recrementis omnium corporis succorum copulata (a). cacochylia primarum viarum, in primis biliosa; bilis ipsa exuberans, aut commota (b); mensum; haemorrhoidum, ichoris cujusque manare soliti, expirationisve cutaneæ suppressio; metastases; scorbutus; hydrops; oedemata crurum; scirrhi; cancer; ulceræ; acria ingesta, aut applicita; spirituum vinosorum abusus; intemperatæ exercitaciones adipem solventes, atque acitudinem in humoribus exaltantes; fricationes asperæ, ignis, vel solis ardor; irritatio fibrarum cutis quæcunque tum a caussa interiori, uti a lympha acri, tum a causa exteriori, uti a compressione vehementi, aut punctione; luxationes, vulnera; epispastica; insectorum morsus; applicatio frigidi, aut calentis corporis (c); animi graviores commotiones, & præsertim ira, & terror (d), ex quibus erysipelas non solum moveatur, verum etiam subinde reddit, & quasi periodice recurrit, periodicumque tunc nominatur.

(a) PLATNER *L. c.* §. 1.

(b) VAN-SWIET, *comm.* §. 723.

(c) NICOLAS *Manuel du Jeun. Chirurg.* p. 343.

(d) PLATNER. *L. c.* §. 159. CALLISEN. *L. c.* p. 72.

## PROGNOSIS.

## §. XXVII.

Erysipelas leve malum, nulliusque momenti a quibusdam creditur; sit quamquam saepe innocuum, & salutare sit, felicemque exitum fortiaatur, non tamen semper periculo vacat, nec contemendum plane est. Immo HOFFMANNUS (*a*) non dubitat illud in multis symptomatibus, ac perniciofa natura cum pestilenti ipsa febre comparare. Simplex, benignum, fixum, item fortuitum, sive *accidentale*, & quandoque symptomatum minus discriminis habet, quam complicatum, compositum, malignum, ambulans, & primarium. Quod caput, faciem, palpebras, aut collum infestat, id apud plerosque male audit (*b*); nam prius illud gravius plerumque est, cerebrumque ipsum quandoque afficit: posterius vero hoc sic venas jugulares, laryngemque urget, & quasi injecto vinculo cohibet, ut sanguinis e capite reditus, spiritusve intercipiatur. Eoque majus periculum imminet, si a caussa interiori originem ducat, nec intra septem, aut octo dies resolvatur: nam tum suppuratio timenda est, aut etiam gangrena; quam postremam appropinquare indicant doloris, & ruboris repentina cessatio, & phlyctenæ in summa cute exortæ (*c*).

(*a*) *Med. Syst. Tom. IV. Sec. I. cap. XIII.*

(*b*) PLATN. *I. c. p. 161.*

(*c*) *Nicolas I. c. p. 344.*

## §. XXVIII.

*Le Roy* Ab aliorum tamen fere omnium sententia dis-sententias sentire non dubitat LE ROY. Is enim experien-tia confisus sua , faciei erysipelas benignum , & salutare omnino esse prædicat , atque in criseos bonæ modum procedere , intraque tres , aut qua-tuor dies tantum ad summum apicem pervenire ; plena vero facta eruptione febrim ; & cuncta re-liqua symptomata minui mirifice , & quandoque penitus cessare ; hincque paullatim ruborem , & tumorem discuti , ac postremo epidermidem des-quamari , & decidere (a). Contra non æque in-noxiū , & criticū idem vir celeberrimus ha-bet illud , quod crura aggreditur cum febre acu-ta , quodque senibus , aut cacochymicis superve-nit , utpote in gangrenas sæpe , aut abscessus pe-riculosos facile desinens . Etsi vero res sæpius se habeat , ut LE ROY exposuit , aliquando tamen hoc idem faciei erysipelas in gangrenam transire posse videtur , cum SYDENHAMIUS (b) testetur , huic malo fini obnoxium esse quocunque erysi-pelas , cuicunque parti insederit .

(a) *Melang. de Physiq. & de Med. p. 164.*(b) *Sect. VI. cap. VI. p. 321.*

## §. XXIX.

Generatiū quod cum mala , pernicioſaque fe-bri oritur , aut malignum est , aut phlegmonis naturam attingit , aut aliis morbis mali moris accedit , non caret periculo , quia plerumque gan-

gangræna, aut abscessu terminatur. *Ab erysipe-* *late autem putredo, aut suppuratio, inquit HIP-*  
ca Hy-  
procatica.  
 ROCKATES (a), *malum*. Item si erysipelas intro-  
 verti contingat, ut non raro fit, phrenitides,  
 aut peripneumoniae lethales, aliquae periculosi  
 morbi consequuntur. Quod idem HIPPOCRATES  
 jam cognovit; nam scripsit: *erysipelas ab exte-*  
*rioribus verti ad interiora, non est bonum, ab*  
*interioribus vero ad exteriora, bonum* (b). At  
 multo clarius loquutus est Auctor Coacarum (c),  
 in hunc modum, *Erysipelas foris quidem extare,*  
*utile: intro autem vergere, lethale*. Cujus qui-  
 dem rei indicium est, *cum, rubore, evanescente,*  
*pectus gravatur, & agrius spiritum trahit ager*.

(a) Sect. VII. aph. 20.

(b) Sect. VI. aph. 25.

(c) N. 366.

### §. XXX.

Attamen non semper Erysipelas intrō versum exitium affert, si SVVIETENIO (a) fides habeatur; quaquam SVDENHAMII observatio, quam ibi adducit, verum erysipelas non exhibeat, nec proprie ad ejus introversione spectare videatur. Verum, etsi interdum fieri possit, ut eryspelas recedens, aut repercutsum a viribus vitæ subigatur, aut iterum extrorsum amandetur, hujusmodi tamen metastasis prudētem medicum terrere, ejusque soleritiam excitare debet, ne securum nimis, incautumque inexpectata ægri pernicies demum percellat. Evenit etiam interdum, ut febris, quæ erysipelatis eruptionem molitur, aliquandiu trahatur, quin tamen suo fi-  
ne

*Metasta-*  
*sis erysi-*  
*pelatis.*

ne potiri pessit. Tunc materia erysipelatodes in cerebrum, vel in pulmones delata aliud morbi genus efficit, eo perniciosius, quo interior nobiliorque est pars, quæ ab ea repente corripitur.

(a) L. c.

### *Curatio.*

#### §. XXXI.

Ad curationem quod attinet, hæc pro varia erysipelatis origine, ac natura, & pro vario ejus gradu differre etiam debet. In legitimo, primario, & febrim subsequente, cum Natura motu febrili, ut recte existimant HOFFMANNUS (a), PLATNERUS (b), LE ROY (c); JAUBERTUS (d), aliquique expertissimi scriptores, a pravo, & noxiō peculiari quodam humore se liberare nitarunt, totaque ad eūm versus cutim propellendum incubat; consequens est, ut Medicus Naturæ minister eodem curam omnem intendar, pro viribus cavens, ne motus, conatusque iste nimium excedat, aut deficiat, nam utroque modo posset effectu suo carere. Quærat igitur, num sanguinis missio, quæ primum artis præsidium in curationibus præstare solet, locum ullum habeat. Non levis vero hac de re dissensio occurrit inter Auctores. Alii, quibus nempe erysipelas pro *De vena* *sektionē* *dissidium.* vera inflammatione habetur, phlebotomiam non modo appiobant, sed etiam pluries repetendam jubent; inter quos ASTRUCIUS (e) agmen ducit, utpote qui ad erysipelas primarium resolvendum quinquies, vel sexies primis morbi diebus venam in-

incidi velit; nec minus in sanguine mittendo liberalius esset ad secundarium, sive symptomaticum discutiendum, nisi id jam præstitum fuisse principis morbi causa cogitaret. Alii contra, qui videlicet, a phlegmone erysipelas segregant putantque in eo summam sanguinis tenuitatem adesse, a principio quodam acri, ac solvente profectam, uti noxiā venæ sectionem rejiciunt (*f*), vel certe parcus instituendam esse, si unquam, præcipiunt.

(*a*) *L. c.*    (*b*) *L. c.*    (*c*) *L. c.*

(*d*) *Mem. de la Société Royal. de Médec. Année 1776. p. 529.*

(*e*) *De Tumor. l. 2. cap. 1. p. 69. edit. Ven.*

(*f*) *GORTHER chirurg. repurgat. lib. X. Cap. IV. §. 1443.*

### §. XXXII.

Verum; dum sic in utramque partem discepant, dicam libere, qua via incendendum mihi videatur. Itaque si febris vehementius excandescat, si plethora corpus gravetur, naturæque conatus impedimento sit; si æger temperamento sanguineo donetur; si pulsus magni, validi, duri deprehendantur, si dolor capitatis, aut spirandi difficultas discruciet, continuo post sedatum horrorem, rigoremve febrilem, exsertumque calorem, & antequam erysipelas appareat, aut ex toto prodierit; per venæ sectionem naturæ laboranti succurrere oportet; ut moderata aliquantulum febris vi, & relaxato sanguinis nexu, rese ratisque meatibus, facilius acer humor erysipelatodes se se expedit, exteriusque feratur.

*Quando  
vena se-  
cunda.*

## §. XXXIII.

*Quando iteranda sanguinis missio.* Immo si, post emissum sanguinem, symptoma ta adhuc urgere pergent, atque erysipelatis eru missio. ptio cunctetur, quod saepe contingit, repetendum id auxiliī genus est, præsertim ubi sanguis primo detractus lento rem phlogisticum ostenderit. Quod etiam non prætermittendum est, cum erysipelas caput, faciem, aut collum jam occuparit, si antea vena secta satis non fuerit; aut cum ejus generis sit, quod proprius ad phlegmonem accedit, neque post ejus eruptionem febris, & reliqua synptomata se se remiserint; nam tum, ut vera inflammatio, prudenter curandum est.

## §. XXXIV.

*Quando omitti debet.* Contra ubi vasorum plenitudo deficit, tempe ramentum, habitusque corporis adversatur, febris nitior est, nullisque gravibus comitatur symptomatibus, aut vires vitae languent cum pulsibus nec magnis, nec validis, aut cuncta, erysipelate jam prodeunte, placidius procedunt, aut erysipe las, legitimū, aut fortuitū, sive accidentale, aut œdematodes est, aut summopere malignum, carbunculosum, aut necroticum prævidetur, aut morbis malignis, & putridis, aut scorbuto confir mato, cachexiae, hydropi adjungitur; sanguinis missio omitti potest, ut minime necessaria, aut etiam vitari debet, ut perniciosa, & noxia.

## §. XXXV.

## §. XXXV.

Magni etiam refert sanguinis e vena missi diathesim diligenter inspicere. Nam si floridus, tenuis, biliosus, & solutos deprehendatur; parcius: si vero contrario se modo habeat, liberius eum detrahi licet: Si etiam ex iis, quæ præcesserunt, conjiciatur, acrimoniam plus, quam boni sanguinis cepiam prævalere, si rubor, & calor non magnus sit, si fugax, atque ambulans erysipelas videatur; si urinæ tenues, crudæ, aquosæ, aut croceæ, & minime subsidentes excernantur, si pulsus inæqualiter saliant, irritati quidem, at non pleni, & fortes; cautissime se gerere oportet Medicum in sanguinis missione siue decernenda, sive celebranda, ne scilicet mali caussam deteriorein efficiat, aut triticis molinibus noceat, aut metastasi ad interiora occasionem præbeat.

## §. XXXVI.

In ipso præterea morbi ingressu diligenter disquirere debet, an primæ viæ sordibus, præserit biliosis scateant, atque alvus respondeat, nec ne; ut illæ cito evacuari pro re nata possint, hæc vero moliri, & laxari. ASTRUCIUS (*a*) emetica, & cathartica suadet, præcipue in eo erysipelate, quod caput, & faciem teneat. Emetica quoque utilia prædicat Ls ROY, quando nausea, & vomitus biliosus inter initia ægrotantem exagitent (*b*). Sed in magno spasimorum confictu, et si colluvies bilaris, & cacockylia putrida turget, præstabit vomitum potu aqueo,

*sanguinis missi diathesis consideranda, ne in eo mitendo peccetur.*

terido, & mellito, promovere, quam projicere  
acri medicamento, quod summiopere noxium in  
primis esset, si ira (c) caussam proctarcticam  
walo præbuisset; alvum vero satius erit enema-  
tibus lenire, quam catharticis proritare. Quod  
si tamen saburra intestinalis poscere videatur me-  
dicamentum aliquod, quo ea validius deturbe-  
tur; tunc post sectam jam venam alvus ducenda  
est decocto Tamarindorum, aut Cremore Tarta-  
ri, aut sale quopiam neutrō magna aquæ copia  
diluto, aut similili blandiore Eccoprotico, & qui-  
dem antea quam Erysipelas foras proruperit. Nam  
propulso jam ad cutim erysipelate, cautissime al-  
vus laxetur, & tunc solum, cum putridæ, &  
bilaris suburræ signa non defint, aut depravati  
humoris quantitas morbum plus justo protrahere  
videatur, aut revellendi a capite, quando id  
graviter afficitur, aut intumescit, necessitas ci-  
tam opem postulet, nec satis sanguinis missione  
confidere quis possit. Alias metuendum esset, ne  
alvi ductio temere instituta opus naturæ perver-  
teret, aut intro erysipelas ipsum revocaret. Hoc  
vero resolvi incepto, atque ad finem properante  
audientius licebit alvum movere, & reliquum  
morbificæ materiæ epicratice, & leniter hac via  
expurgare.

(a) *Luc.c.* (b) *L.c.* (c) *HOFFMANN Dissert.  
de Medicina Emetica, & purgante post iram ve-  
neno. Oper. T.VI. p. 291.*

## §. XXXVII.

Humoris vero noxii , quem Natura expellit , *Quibus sustineri eruotio debeat :*  
 separatio , atque excretio adjuvari etiam debet  
 quiete in lectulo , potu aqueo largiori , attempe-  
 rante , & leniter diaphoretico ; cui , ubi calor ,  
 & motus circularis , aut intestinus excedit , ni-  
 trum , aut succus mali citrei , aut medici cum  
 pauxillo sacchari adjici potest , aut aceti aliquid  
 cum melle , quod pauperibus facilius , commo-  
 diusque est , Decoctum hordei diluit , & tempe-  
 rat egregie , dilutum florum sambuci , aut tiliæ  
 blandissime resolvit , & diaphoresim promovet ,  
 præsertim si tepide sorbillentur . Ubi erysipelas ,  
 calor , & febris sese remittunt , & sudor manare  
 incipit , curandum est , ut is se per totum cor-  
 pus diffundat , quod præstat sorbitio calida , quies ,  
 & stragulorum prudens additio . Quorum actio  
 sustinenda est victu tenui , humectante , & refri-  
 gerante ,

## §. XXXVIII.

Extrinsecus multa proponunt admovenda scri- *Quæ so-*  
 ptores , in primis Chirurgi ; sed pleraque , si non *pica con-*  
 noxia , certe supervacanea mihi videntur . Ple- *veniant .*  
 rumque sufficit locum a frigore , aut atta&tū ae-  
 ris arcere ; itemque ab actu nimium calidis . Sic  
 paullatim humor resolvitur , & per cutis meatus  
 expiratur . Si pars acerbius doleat , tendatur , &  
 nimium caleat , aut areseat , ea fovenda est lin-  
 teis ex aqua spermatis ranarum repente , aut de-  
 cocto florum sambuci , & malvæ expressis , &  
 subinde , ubi frigent , aut resiccantur , renova-

tis. Si demulcere magis opus sit, aliquid lactis recentis decocto utiliter admisceri potest. Si robor, atque ardor intensius urgeant, præsertim cum malum diutius trahitur, difficiliusque discutitur, lactis loco aliquid optimi aceti additur, quod aestum refrænat, potentiusque resolvit. Quod si nihilominus erysipelas die septimo, incisionibus uti liceat, octavo, nono, aut decimo non minuitur, me- tuinque incutit, ne pars affecta ob nimiam cutis plenitudinem, & distensionem emoriatur, incisionibus crebris pertundendam non nulli præcipiunt; quod multo magis fieri conveniet, si color ejus ad purpureum, aut lividum vergere jam incepert.

### §. XXXIX,

*Quomodo suppura-tio tra-standa.* In Erysipelite phlegmonode, si frustra tentata fuerint ea, quæ ad resolvendum valent, nec quidquam sanguinis missiones iteratae, aut alvi ductiones, & reliqua profuerint, reliquum est, ut suppuratio expectetur. Quam jam fieri indicabunt dolor pulsans, tumor alicubi manifestior, & fixus, febrisque exacerbantis & remittentis continuatio. Quod ubi incidit, cataplasmata ex mica panis, & foliis malvae lacti incoctis superponenda sunt, donec, facto pure, & subter fluctuante, ferro abscessus aperiri possit. Quo in casu Chirurgo reliquum curationis committi debet. Committui ei quoque omne negotium debet, si pustulæ in summa cute extitæ, aut extima suppuratio facta in ulcus degeneraverint, saepè molestum, & diuturnum. Sed dum extrinsecus chirurgica medela adhibetur, atque ulcus detergitur, & exsiccatur, non negli-

gen-

genda tamen pro cauſarum varietate curatio et-  
jam interior est.

## §. XL.

Erysipelati œdematodi sufficiet decocto simplici florum sambuci, & chamæmeli foveri. At si ni-  
mia laxitas timeatur, eidem parum spiritus vini  
cum camphoræ momento adjici poterit, vel de-  
mum sacculi cum farina fabarum, aut hördei ca-  
lenti, aut pulvere florum sambuci imponantur.  
Aqua etiam calcis egregie discutit, & resolvit.  
Lente vero ad resolventia, & reprimientia deve-  
niendum; nam si justo citius discutiatur, repellit  
ad interiora cum magno vitæ periculo posset.  
Quam ob rem vitentur frigida, adstringentia,  
styptica, aut cutis poros obſtruēntia, licet paſ-  
sim ab auctoribus commendata. Quæ, si unquam  
opportūnè adhiberi possunt, tunc ſolum locum  
invenient, cum jam erysipelas ſua ſtadia percur-  
rerit, & ſola partium atonia, & laxitas reman-  
ſerit emendanda.

Quæ Ery-  
sipelati  
œdemato-  
di cura  
conve-  
niat.

## §. XL I.

Quod ſi humor, qui erysipelas facit, acerri-  
mus, & venenatae prope indolis fit, ut partes  
affectæ liveant, nigricent, aut phlyctænis atris  
repleantur unde gangræna imminere videatur;  
quod in *maligno*, aut *carbunculoſo* intra paucas  
horas interdum evenit; tunc citiſſime scarifica-  
tionibus \* exitus venefico ichori parandus eſt,  
utendunque tam intrinſecus, quam extrinſecus  
alexipharmacis, antifepticis, in quibus excellunt  
*Cortex peruvianus*, radix *Serpentaria*, Cam-

*Maligni*  
*curatio-*

phora , Spiritus Mindereri , Elixir vetriolicum Londinense , & resinosa balsamica extrinsecus . Sed hic quoque prudentis, atque experti Chirurgi consilio , & opera opus plane est .

(\*) Non modo in *maligno* , & *carbunculo*so Erysipelate scarificationes indicatur , verum etiam in eo , ubi cutis onere gravatur , & intumescit , a Cl. FREN-DIO (*Histor. medic. Edit. Venet. in 4. pag. 29.*) ut præsentissimum remedium proponuntur hisce verbis : *In erysipelate præsertim , sed &c in aliis quoque casibus , ubi inflammatio adest , experientia docet , per ipsius partis affectæ scarificationem , cum membranæ onere gravatæ crassiores appareant , frequenter malum omne mira cum celeritate dissipatum evanescere .*

### §. XLII.

*Quomodo curandum fortuitum* , sive *accidentali* erysipe-lati succurrat , facile ex superioribus quisque intum , & telliget . Generatim caussas removere oportet , & symptomat-  
ticum . inde natam phlogosim , quæ ut levior , sic facilis resolutu est , leniter discutere , & demulcere . De *Symptomatico* vix attinet dicere , cum ejus curatio ex morbo principe , a quo pendet , omnino petenda sit . Erysipelas intro versum , quod non infrequens est , postulat venæ sectionem , cucurbitulas tum siccas , tum scarificatas , epispistica , vesicantia , foimenta , balnea , diaphoretica , & nisi hæc prosint , & extrotsum illud avocent , etiam cathartica .

### §. XLIII.

## §. XLIII.

Sæpe accidit, ut qui semel erysipelati obnoxius fuit, levi negotio in idem malum relabatur, & quasi periodice, statis nimirum intervallis. Ad prophylaxim multa multi proponunt. At in peculiares, & proprias cujusque proegumenas caussas inquirere oportet; quibus detectis non arduum est decernere, quænam auxilia opportuna futura sint. In universum antiphlogistica, attemperantia, & præsertim serum lactis, succi cichorei, fumariæ, taraxaci, nasturtii aquatichi, aquæ medicatæ, balnea aquæ dulcis, & potissimum cathartica refrigerantia subinde repetita palmarum referunt. Cauteria item, setacea, aliaque ulcera manantia, sive ut vocant, emissaria quam plurimum prodesse visa sunt. Crura post erysipes œdemati plerumque obnoxia fiunt. Huic male prospiciunt ocreæ ex tela cannabina, aut ex corro canino rite præparato confectæ, & cruribus nudis, dum inane detumuerint, ad amussim accommodatae, ut laxas partes sustineant, & firmant, diuretica, atque hydragoga, quæ humores revellant, deriventque, & topica discutientia, & roborantia, quæ atoniam emendent. Novi Medicos, Chirurgosque, alioquin suæ artis non imperitos, qui ab ocrearum, quas proposui, usu indiscriminatim quam longissime abhorrent. Sed bona eorum venia, quando pedum œdema ex hac tantummodo caussa oritur, nec a malo totius corporis habitu est, quicunque ipsorum metus extiterit, prorsus contemnendus est, nam nullam inde noxiam unquam vidimus.

*Prophylaxim  
œdemati  
reliquo  
quæ re-  
medio  
fint.*

## C A P U T III.

DE IGNE SACRO, QUEM ZOSTERA;

SIVE *ZONAM* \* VOCANT.

§. XLIV.

**E**st quoddam exanthematicum genus, quo exteriores corporis partes corripi solent, interdum cum febre conjunctum, aut eam subsequens, paucissimis motum, quod, quia magnam cum erysipilate affinitatem quibusdam habere videtur, atque exanthematicis morbis febrilibus accensetur, nequaquam hoc loco prætermitti licet. De eo vero ita obscure, & breviter Veteres verba fecere, ut disceptari adhuc queat, num iis reapse innotuerit. Excipiens fortasse inter ipsos est PLINIUS, qui etsi paucissimis verbis, quamdam tamen ignis sacri speciem commemorat, cui *Zoster*, sive *Zona* nomen est, & magna cum nostro convenientia (*a*) tribuitur. Ignis autem sacri duas species descripsit C. CELSUS (*b*), quartum prior a GORTERIO una eademque habetur cum *Erysipelite bulloso* (*c*), posterior vero cum *erysipelate*, quod *ulcerosum* ipse (*d*) appellat. Nec a GORTERIO dissentit JODOCUS LOMMIUS (*e*), qui ignem hujusmodi sacrum cum C. CELSO (*f*) *malis ulceribus* adnumerare videtur. FRIDERIC. quoque HOFFMANNUS id morbi genus ad peculiare *Erysipelatis* genus referendum existimat (*g*), eamdemque in sententiam migravit LORRYUS (*h*) GALENI etiam permotus auctoritate (*i*). Multi, ut GORTERIUS ipse fatetur, herpetibus adnume-

merandum esse censem, atque ex his non nulli, ut PLATERUS (*l*) & TULPIUS (*m*) ad herpetem speciatim esthiomenon, sive exedentem spectare ejusmodi malum non dubitant. Neque ab eorum sententiis deflectit PLATNERUS (*n*) qui ad Erysipelas referri posse scripsit rarum illud morbi genus, quod Veteribus Zoster, Zona, vel Herpes dictum est. Verum HAENIUS, qui illud saepe in Batavia, & semel etiam Vindobonæ, quale est, de quo hic agitur, se vidisse asseverat, omnino ambigit, an notum priscis temporibus, & peculiari nomine donatum fuerit, aut illud vere habendum sit, quod ignem sacrum, vel ignem Sancti Antonii vulgo vocant, cum de vera hujusmodi vocum interpretatione non satis liquere, jure, ni fallor, ipse (*o*) contendat \*\*.

\* ζωτηρίς sive ζώνη græce, cingulum, sive fascia latine.

(*a*) Nat. Hist. l. XXVI. cap. XI. ubi inquit: Ignis sacri plura sunt genera, inter quæ medium hominem ambiens, qui Zoster appellatur, & execat si cinxerit.

(*b*) Lib. V. cap. 22. §. 4.

(*c*) Chirurg. repurg. §. 1420. (*d*) Ib. §. 1421.

(*e*) Observ. Med. l. 2. De vitiis, quæ non cert. part. aliq. sed variam occupant. pag. mih. 200. ubi sic ait: Ceterum ubi exulceratum est Erysipelas, quod proprie sacer ignis appellatur, cutis alias summa afficitur &c. (*f*) L. c.

(*g*) Oper. omn. T. 4. P. I. sect. I. cap. XIII. §. VI.

(*b*) De morb. cutan. P. I. Sect. 2. Cap. I. art. 2. De sacro igne, & Zona sacri ignis specie p. 401;

(*i*) Ibid.

(*l*) Oper. Omn. T. 2. p. 3. ubi sub nomine Maculae latæ sive papulæ feræ describitur.

(*m*) Observat. Medicinal. l. 3. cap. 44. ubi nomine exedentis præcordiorum herpetis donatur.

(*n*)

(n) Institut. Chirurg. Ration. §. 166.

(o) Thes. de febrib. Divis. VI. §. 7. p. 3.

\*\* De Igne S. Antonii, pessimo Ignis sacri genere, disquisitio absolutissima legi potest in Memoir de la Societé Royal de Médecine Vol. I. p. 260. in qua a quatuor cl. viris JUSSIEU, PAULET, SAILLANT, & TESSIER decernitur, morbum illum esse veram siccum gangrænam, sive Necrosim SAUVAGESII, interdum etiam humidam QUESNÆI, ut ex allatis undique exemplis, historiisque ostensum est.

## §. XXV.

Tulpi  
obserua-  
tio.

Sed quinam hic affectus intelligendus sit, quibusque notis differat a reliquis morbis, quibuscum similitudinem habet, non melius, clariusque patébit, quam si primum unam vel alteram aliorum hujuscem morbi historiam breviter in medium afferam, deinde ejusdem pleniorem descriptionem, collectis in unum, atque ordinatis cunctis phænomenis, prout etiam a nobis observata sunt, ob oculos cujusque ponam. Vir pleni habitus, & calidi jecinoris vehementer circa præcordia doluit cum acri pruritu, insigni dolore, & frequentibus pustularum conglomeratarum circulis, primum rubris, mox albicantibus, & comparente in qualibet earum crusta nigra, qua convenienti litu separata, qualibet degeneravit in humidum ulcusculum cum acri dolore, sudore effusso, & interdum tam impetuoso virulenta materia raptu ad interiora, ut animus non secus aliquoties deficeret, ac si ipsum occupasset contagiosa aliqua pestilentia (a).

(a) Ex Tulpio HOFFMANN. l. c. observ. VI. in epicrisi pag. 140. edit. Genev.

## §. XLVI.

Post TULPIUM hanc habet observationem FRI-  
DERICUS HOFFMANNUS (a) : Professor celeberri-  
mus, quinquaginta & aliquot annorum, purpura  
scorbutica crebrius afflictus, post corporis inten-  
sam refrigerationem, corripiebatur subito languo-  
re virium, inquietudine, somni, appetitusque de-  
fectu, horripitatione, astu, cui juncta quædam  
mentis turbatio. Durabant hæc per tres fere dies,  
quibus elapsis, nocte antecedenti sensit intoleran-  
dum plane ardorem in præcordiali regione ad  
dorsum usque excurrentem; mane autem, inspe-  
cto loco dolente, insolitum comparuit exanthema,  
rubicunda nempe area, ex præcordiis ad dorsum  
cinguli instar extensa, cui insidebant consertim  
pustule partim albæ, partim rubræ nigrescentes.  
Inde quidem symptomata remiserunt, excepto ex-  
quisito ardente dolore, qui tantus erat, ut nec  
somnum capere, nec locum affectum contingere  
posset. Medici, quorum consilio utebatur, quid  
hoc rei, nesciebant, & purpura peculiare genus,  
aut scorbuticum quoddam exanthema esse vole-  
bant. Ego vero illico cognovi pejorem erysipelatis  
speciem, & interne diaphoretica temperata, &  
externe in fine oleum ovorum adhibui, quibus  
aliquandiu usurpatis, intra quatuordecim dies do-  
lor conquievit, pustulae aruerunt cuticula aspera  
facta, fissæ, & desquamata.

Hoffmanni obser-  
vatio.

(a) L. c. observ. VI.

## §. XLVII.

Haenii  
obserua-  
tio.

HAENIUS; qui apud Batavos frequenter hujusmodi morbum viderat, semel (a) inquit, Viennæ occasionem habui eum auditoribus demonstrandi, idque, quod hic usque nunquam videre mihi contigerat, in sola facie. Nam antea, quantum numerosi me casus docuere, non nisi alterutrum abdominis latus; post febrem, non raro validam, die jam primo vel aitero, vel tertio occupaverant macula rubræ ea in plaga, nempe externa, cito admodum grandescentes, dolentesque, variolis discretis majoribus persimiles, sed alios, & racematim uno in loco secum cohærentes, tum & interstitia vacua, magnaque inter se relinquentes. Hac tamen perpetua lege, ut ab anteriore parte abdominis nunquam lineam albam, nunquam a postica spinam transcederent. In hac porro distantia inter lineam albam, & spinam dorsi sunt non nunquam paucæ racematim cohærentium pustularum insulae, alias vice multæ, aliquando etiam ita ut Zona spithamam lata, paucis liberis plagiis dumtaxat relictis, medium abdomen perfectè cingat. Viennæ igitur vir odontalgiam passus dentem sibi evelli curat; unde dolore curabatur quidem, sed vacuo in maxilla loco molestum sibi aeris conquerebatur ingressum. Hoc totum quod anamnesis docebat; que tamen, num sequenti malo faverit, omnino dubito. Oritur posthac ipsi media in fronte tuberculum, triduoque post febris horrifica cum tumore sinistre frontis, palpebrarum, genæque ejusdem lateris, tumque pustulae, quales supradescriptæ omnia lo-

ca-

ca dicta exacte implentes, sed ultra medium facie i lineam minime excurrentes.

(a) L. c. p. 112. 113.

### §. XLVIII.

Ex his igitur §. XLV. XLVI. XLVII. satis patere arbitror, Zonæ nomine exanthematum quorumdam genus intelligendum esse, quod, ubi erumpit, racemos pustularum vehementer dolentium, & rubrarum sic exhibet, & disponit, ut ad aliquot digitorum transversorum mensuram cinguli instar corpus ambiat. Verum ut hujusce morbi exanthematici, rarius descripti, amplior cognitio habeatur, operæ pretium me facturum spero, si non modo ea omnia, quæ alii de eo scriptis tradiderunt, sed etiam ipse, qui pluries eum curavi, adnotarim, in unum colligam, atque in Tironum commodum proferam. Eruptio plerumque aliqua febris cum horrore, modo brevior, modo longior, modo levior, modo gravior antecedit. Hæc interdum gravibus stipatur symptomatibus, uti delirio (a), vigiliis, anxietate, inquietudine, corporis jactatione, vomitu (b) aliisque eruptionum febrilium phænomenis. Quandoque exigua est, ut vix pulsus acceleret, & nocte tantummodo se exserat calore, agrypnia, siti, atque irrequie. Interdum omnino abest, aut abesse videtur (c), vel vesperi dolentibus, & suppurantibus pustulis supervenit levissima, quæ mane tamen decedat.

(a) HOFFM. l. c. PLATNER. l. c. HAEN. l. c. §. 166.  
(b) HOFFM. ib.

(c)

*Quid zonæ nomine intel. ligi debeat.*

*Descriptio & sign.*

(c) GEOFEROYUS *Hist. de la Soc. Royal de Médecin.* an. 1777. & 1778. T. 2. *Mémoir.* p. 27.

### §. XLIX.

*Febris definit eruptio-* Ubi febris eruptionem antecedit, eruptione  
*fa-* se, quod post unum, vel alterum diem con-  
*ptione fa-* tingere consuevit, ipsa illico cessat, ac desinit,  
*ta.* nisi, quod rarissimum est, tanta sit morbi vis,  
 tantaque inflammatoria sanguinis diathesis, ut ul-  
 tra illum terminum exardescere perget. Ægri ve-  
 ro ante eruptionem, etiam tum, cum febris eos  
 non corripuit, se male habere per plures dies  
 queruntur, & puncturas eo in loco, in quo ex-  
 anthema proditurum est, molestissimas sentiunt.

*Pustulae corymbo-* Deinde pustulæ parvæ, elevatae, rubræ, variolis  
*sæ.* interdum valde similes, circulum inflammatum  
 habentes, partim discretæ, partim in corrymbos  
 collectæ, & phlyctænas repræsentantes, plus mi-  
 nus copiosæ cum lacinantibus doloribus, &  
 quandoque intolerabilibus, ardoreque igneo co-  
 mitatis erumpunt.

### §. L.

*Progressus pustula-* Paullatim hujusmodi (§. XLIX.) pustulæ mo-  
*rum.* le augentur, & in apicibus formant vesiculas,  
 sive ampullulas aqua pellucida plenas, & trans-  
 parentes, quales aqua fervens excitat. Gra-  
 datim aqua, quam continent, turbida fit, at-  
 que opaca. Vesiculæ aut rumpuntur, aut com-  
 planantur, & in plicas se contrahunt, fuscum,  
 atrumve colorem acquirunt ob cutem gangræ-  
 na emortuam, & in parvas escharas commu-  
*Exsiccatio-* tantur. Escharæ demum exsiccantur, & in cru-  
 stas

fas siccias, duras, nigras abeunt, cito decidentes, quæ tamen vestigium altum in cute relinquunt, ut variolæ mali motis. Sæpe vero istiusmodi eruptio fit successive, & partitis vicibus, & successive pariter exsiccatur, & decidit (*a*). Interdum pustule suppurationem subeunt, & sponte aperiuntur, manentque apertæ, cavæ, pus fundentes triduo, quatriduo, immo quandoque ad dies usque quatuordecim (*b*). Dolor ipse interdum non conquiescit nisi post decimum quartum diem; tumque pustulis exsiccatis epidermis finditur, exasperatur, & in squamas soluta excidit (*c*). Sed neque tum aliquando dolor (*d*) omnino evanescit.

(*a*) GEOFFROY *l.c.*      (*b*) HAEN. *l.c.p.* 114.

(*c*) HOFFM. *l.c. observ.* VI.      (*d*) GEOFFR. *l.c.*

### §. L I.

Sedem morbi plerique statuunt abdominis, & hypochondriorum regionem. Alii supra umbilicum eum sic collocant (*a*), ut medium corpus ambiat cinguli instar ex præcordiali regione dorsum versus latitudine ut plurimum aliquot digitorum transversorum, insidentibus ibi pustulis acribus, instar ignis urentibus, quæ intensissimum dolorem comitem habeant. Alii vero *ab umbilico ad genua usque cutim* in hoc affectu per pustulas lividas exasperari, rubere, & multum rodi (*b*) docent. Sed hoc perpetuum non est: nam vidi non semel pectus, dorsum, scapulas, brachia, crura hoc exanthemate correpta; immo frontem ab eo non immunem ex H A E N I O (§. XLVII.) accepimus. Illud ferme pro-

*Quas se-  
des occu-  
pare so-  
leat.*

prium ejus reputatur (*c*), quod pustularum racemii in Zonæ, sive cinguli speciem transversum extensi nunquam lineam albam anterius, posteriorius vero spinam dorsi transgrediantur. Hinc unum latus corporis tantummodo affici affirmant; sic humerum unum, aut femur; sic unum pectoris latus, & tunc a spina pustulas incipere, & ad sternum antrorsum terminari; nec ultra hosce fines progredi; sic capitis unum dumtaxat hemisphærium occupari, non alterum (*d*). Num vero aliquando ab hac lege desciscat Zoster, numque semper Zonæ speciem referat, non facile definivero. Hoc unum certum est raceinatum pustulas apparere, & sparsim saepe distribui, sed ordine non exacte servato.

(*a*) HOFFM. *l. c.* §. VII.

(*b*) PLATNER. *l. c.* §. 166.

(*c*) HAEN. *l. c.* GEOFFROY *l. c.*

(*d*) GEOFFROY *l. c.*

## §. LII.

*Ab erysipelate* Ex fidelí, quam tradidi, morbi descriptione quisque comperiet, arbitror quibus notis ab *quarantone differe* erysipelate tam simplici, quam bulloso, aut ulcerata. rato, itemque ab herpete, & speciatim *esthiomeno*, sive *exedenti* (§. XLIV.) discriminetur. In erysipelate rubor roseus summam cutim occupans, nec eam attollens primum apparet, in Zona contra pustulæ elevatae, & profundius insidentes se produnt, videnturque primarium esse phænomenon. Quæ vero pustulæ, & phlyctenæ erysipelati, quod bullosum dicunt, junguntur; hæc superveniunt eidem in augmento, dum in

Zona initio statim se exerunt. Sedes præterea  
erysipelatis intra summam cutim consistit: Zonæ  
vero altior, & profundior locus, nam non mo-  
do universam cutim, verum subjectum panicu-  
lum adiposum etiam affici, inflammari, & sup-  
purari (*a*) perspicuum est. Non leve item dis-  
crimen est inter erysipelas ulceratum, & Zo-  
nam. In eo ulcera latius proserpunt, & diu tra-  
huntur rebellia, in hac parva, si quando fiunt,  
circumscripta, cava, brevi sanescunt, & in es-  
charas exsiccantur. Herpetes vero generatiū pū-  
stulas multo minores, mitioresque habent; ne-  
que adeo dolentes, & inflammatas, nec cinguli  
ordinem tenent, & si quando exedentes cernun-  
tur, mala ulcera, depascentia, cancrōsis similia,  
diurna & chronica exhibent, dum Zoster acu-  
tus, & brevis ut plurimi morbus est. Nam  
quamquam LORRYUS & chronicum, & interdum *Anchro-*  
*nicus in-*  
epidemicum esse existimet (*b*) quod de igne sa-  
cro late sumpto fortasse ei concedendum est, hanc *terdum*  
*sit.*  
speciem tamen diutinam non vidi, nisi semel in  
vetula, quam stignata pustularum sub omoplata  
sinistra ad aliquot menses summo cruciatu, atque  
ardore pertinaciter divexarunt.

(*a*) LORRYUS l.c. (*b*) *Ibid.*

### §. LIII.

Ardor igneus, punctiones, dolor parvas phleg-  
monas comitans, facilis in phlyctenas, & gan-  
grænulas transitus ostendunt, caussam materia-  
lem non esse simplicem, biliosam, vel falsam,  
nec tantummodo sanguineam, & phlegmonodem,

*caussam*  
*materia-*  
*lis.*

*causa remota.* sed causticum , acrem , urentem , & naturæ putrefacientis participem , quæ simul ac evolvitur , nervosum genus irritans totius corporis œconomica perturbat ( a ) ; delata vero extrosum , locoque aliquo defixa nervos in primis cutaneos , vasa quævis , & cellulosum contextum inflammat rodit , & propemodum adurit . Variam in ea naturam , & indolem agnoscit LORRYUS , ab erysipelacea , & biliosa ( b ) diversam , & ex primarum viarum tamen sordibus , succisque vitiatis , & retentis insensibilis expirationis recrementis conflatam . Remote suppeditatur ab habitu corporis pravo , a scorbutica , arthritica , similivei dyscrasia , a cibis acribus , salmis , piperaticis , potuque vinoſo , fermentato ,

( a ) HOFFM. ( b ) L. a.

*Prognosis.*

#### §. LIV.

LORRYUS , & GEOFFROYUS nunquam periculofum , aut lethiferum esse hoc exanthematis genus perhibent , quia , quodcumque ipsi curandum susceperint , bene , feliciterque cessisse videbunt . At PLINIUS lethalem Zonam dixit esse , si totum corpus cinxerit , & circum ambi verit . Periculosam & lethalem duobus exemplis demonstravit LANGIUS ( a ) , uno Marchionis GEORGII AB ONELSPACHIO , qui ex ea interiit , altero Comitis Palatini ORTHENRICI , qui a lumbis ad genna usque hoc exanthemate affectus , & simul febre ad delirium usque exardescens morbi tamen vim elusit incisa utriusque

que pedis vena , aliisque adhibitis remediis , quæ febrim restinguenterent . *Omnium vero , inquit HOFFMANNUS , ut ita dicam malignissimum est , quod post magnum virium languorem in corporibus senilibus , eminentius cacoehymicis , non nunquam etiam in febribus malignis & pestilentialibus sub papilla , & cordis regione , vel etiam in manibus , aliisque exquisitoris sensus partibus prodit , lividum mox fit , demum atrum , morte cito subsequente , ut fuit illud PLATNERI . Nec periculi expers a PLATNERO reputatur (b) . Plurumque tamen , etsi atrox malum , & discrucians , vitæ discriminè vacat ; nam egomet ipse hactenus neminem ex eo periisse comperii . Interdum etiam exitum , si quod imminet , a perversa curandi ratione , aut a repentina ad interiora metastasi , præsertim si cerebrum , aut pulmo petatur , profluere probabile admodum est (c) .*

(a) HOFFM. ex Lang. (*Epist. medecin. p. 110.*)  
in epicr. ad observ. VI. (b) L. c.

(c) PLATNER l. c.

### *Curatio :*

#### §. LV.

Cum in hoc morbo viribus vitæ materia caustica , & fere deletrice ad exteriora vergat , ferraturque , & quodammodo critica excretionis speciem Zoster referat , nullo modo salutare hoc victricis naturæ conamen , beneficiumque turbari oportet . Ei igitur prudenter , & cautè obsecundandum plane est . Præstabit igitur acri-

moniam humorum diluentibus , temperantibus  
 Diluen- que demulcere , & quo natura vergit , ducere  
 zia . mitissimis diaphoreticis . Ad hoc satis erit po-  
 tū ex diluto florū boraginis , aut sambuci  
 cum nitro , aut oxymele ; serum lactis purissi-  
 mum , emulsa ex seminibus melonum , deco-  
 ñum hordei , aut radicis scorzonerae , dummodo  
 assatim , & tepide hauriantur . Quod si lenta vi-  
 deatur ad cutim propulso , aliquid potui stybii  
 diaphoretici non ablutii , aut Roob baccarum  
 sambuci , ut paullulum incitetur , adjici poterit .

Raro ve- Raro phlebotomia opus (a) esse consuevit . Si  
 na secari tamen febris nimium excandescat , aut , etiam  
 debet , eruptione facta , non remittat ; pulsus vehe-  
 mens , plenus , durusque deprehendatur ; respi-  
 ratio anxia sit , facies rubeat , caput doleat ,  
 nec delirium , si quod est , desinat ; aut pars ,  
 in quam morbi vis irrupit , nimium tumeat ;  
 & tendatur , dolorque ferociat ; tunc non modo  
 sanguinis missio , verum etiam antiphlogisticis  
 reliquis adjumentis (b) locus conceditur . Fate-  
 tur tamen GEOFFROYUS dolorem ardentem , a-  
 trociusque cruciantem ægre per venæ sectionem  
 leniri , utpote , qui , soluto etiam morbo , ali-  
 quandiu persistat , & identidem percipiatur :  
 HAENIUS considerata morbi inflammatoria dia-  
 thesi optimam methodum prædicat sineulla du-  
 bitatione venam secare , & curam antiphlogisti-  
 cam reliquam instituere . Sed tutius est non ita  
 propere ad phlebotomiā descendere , nisi in-  
 dicantia , quorum supra meminimus , urgeant .  
 Sæpe enim sine ullo detimento omittitur , uti  
 supervacanea . Recordor tamen me ea utiliter  
 usum esse , ubi zoster pectoris unum latuſ se-  
 cundum costas transversum protensus sic torque-  
 bat ,

bat, ne pleuritidis instar respirationem intercipere peret.

(a) GEOFFROY l.c. (b) HAEN. l.c.

### §. LVI.

Fortasse, ubi aut venam secare non satis tumultum, ne introrsum materies revocetur, aut minime necessarium videatur, sed tamen dolori *Hyrudines & Cucurbitae.* molestissimo solamen inveniendum aliquod, fortasse inquam hirudinum, aut cucurbitulæ altius scarificatæ applicatio exitum stagnanti, irritantique humoris parabit, nervorumque distensionem acerbit, quod quidem nos interdum sine noxa, & cum levamine, ut in aliis cutaneis exanthematicis morbis tentavimus. Dolori quoque sedando, anxietatibusque consopiendis opportunum erit hypnoticis, paregoricisque mitioribus subinde uti; dum deflagratio totius morbi *Hypnotica.* expectatur.

### §. LVII.

Nec perturbandus naturæ motus est alvum *Cautus atra-* ducentibus. Metus enim est, ne metastasis *vus laxanda.* introrsum fiat. Laxari tamen alvum licet blandissimis, iteratisque enematibus, ut si quis formes primis viis insidet, subtrahatur lenissime. Dum hæc aguntur, extrinsecus omitti non debent, quæ molliunt, quæ dolorem temperant, quæ exspirationem adjuvant. Fomenta igitur, *Topica.* & cataplasmata mollissima usui erunt. Foveti autem locus poterit decocto florum sambuci; & malvae, lacte tepido, sero lactis, similibus-

que s̄æpe repetitis, & moderate calentibus. Cā taplasimata item ex pane, malva, & lacte una decoctis comparentur, & desuper lege artis imponuntur. Interdum solutio gummi arabici in mucum densiorem redacta, vulgo mucilaginem vocant, dolori leniendo opportunissima est. Neque ab his desistendum est, pustulis quamvis exsiccatis, præsertim si partes quodammodo rigeant, donec mollescant. Ceratum Galeni recens paratum dolorem lenire dicitur (a), sed suspecta nobis videntur quæ exsiccant, & reprimunt, atque ex plumbō confici solent. Innoxium omnino oleum e vitellis ovorum recens expressum existimat, quo sub finem obbliniendas pustulas, escharasque, donec excidant, suadet HOFFMANNUS (b). His delapsis, morboque ferme depulso, ducenda demum alvus est idoneo medicamento.

(a) GEOFFROY l. c.

(b) HOFFM. l.c. observ. VI.

## C A P U T IV.

### DE PURPURA SCARLATINA \*

#### §. LVII.

*Nominis  
et 120.* **M**ULTO proximus ad Erysipelatis naturam, ac speciem accedit *Purpura Scarlatina*, exanthema videlicet, cui nomen imposuit color quidam, qualem exhibit purpura ipsa, vel pannus coccineus, vulgo *Scarlate*, cutim extimam ferme universam maculis intense rubris, multiformibus, & inox latioribus inficiens

ciens. Interdum hæ maculæ ita dilatantur quæ quaversum, ut una coalescant, & totum corpus erysipelatis instar universalis occupent. Quacunque autem ratione rubore isto sive sparsim, sive universim cutis afficiunt; planus is est, lævis, non asper, & pressus præsertim inter initia albicit, et si, remota pressione, mox priorem colorim recipiat; nec valde cutim ipsam (*a*) attollit. Quibus quidem notis multum similitudinis habet cum Erysipelite, sed ab eodem tamen differt primæ eruptionis intuitu, febris, & querundam symptomatum ratione, exitu, & successionibus, uti mox ex ejus historia apparebit. Quoniam vero duo præcipua ejus genera sunt, benignæ unum, alterum malignæ, de priore primum, deinde de altera, ut recte distinguantur, verba faciam.

\* *Synonyma.*

Purpura, & rubores FORESTI, Observ. L. VII.  
Obs. 59. in schol. Febris Scarlatina SYDENHAMII,  
Oper. med. sect. VI. cap. 2. & reliquorum auctio-  
rum. Rossalia HOFFMANNI, de febr. sect. I. cap.  
VIII. §. 3. Febris rubra quorundam. Rubeola Ve-  
terum GRUNERI, Morb. Antiquit. p. 62. 63.

(*a*) HEISTER. Compend. med. cap. 3. sect. VI.  
p. 34.

## PURPURA SCARLATINA BENIGNA.

### §. LIX.

Quovis anni tempore hic morbus, sed fre-  
quentius, SYDENHAMIO teste, autumni initio (*a*),  
aut, ut JUNCKERUS (*b*) mavult, æstivo & sereno  
tempore se ostendere consuevit. Raro poradice,  
Benigna  
descri-  
ptio.  
ple.

pleruinque epidemice excurrit, s<sup>e</sup>pe integras familias invadens. Juniores quidem, infantesque magis infestat; non tamen hinc parcit adultis. Plerumque incipit a febre, ut reliqui morbi exanthematici, sed quandoque eruptio scarlatina prius emicat, quam febris percipiatur (c). Febris vero remittentis ut plurimum typum tenet, & vespere, ac nocte qualibet suas accessiones repeatit, ingravescitque (d). Interdum sic remittit, ut intermittere videatur, aut veræ quotidianæ remittentis reapse morem induit (e). Quare nil mirum, si a febre nomen apud plerosque habeat,

(a) *Oper. omn. sect. VI. c. 2.*

(b) *Tabul. LXXV.*

(c) *HEISTER. l. c.*

(d) *VOGEL. de cognosce, & curand. morb. §. 151  
& seq.*

(e) *Andr. Bernard. KIRCHVOGEL Diar. med.  
pract. cap. 3. p. 29. Edit. Vindob. 1771.*

## §. L X.

*signa ann-* Febris autem ista exorditur leni ab horrore,  
*te eruptio-* aut frigore. Huic succedit calor pleruinque tem-  
*nem.* peratus, moderata sitis, faucium dolor, aut ar-  
dor aliquis, & virium deje<sup>c</sup>tio. Interim quædam  
pectoris oppressio, respirationem difficilem, atque  
inæqualem reddens supervenit, itemque capit<sup>i</sup>s  
gravitas vertiginosa, aut etiam acutus ejus dolor,  
& quandoque tussicula sicca, sed non ita mole-  
sta, nec constans, ut in morbillis (a). S<sup>e</sup>pe his  
nausea, vomitus, nariumque hæmorragia se ad-  
junguntur (b), sed haec posterior frequentius sub  
ipsa eruptione in plethoricis contingit (c), quam  
antea. Interdum coma aut epilepticæ convulsio-  
nes,

nes, sive eclampsia, in pueris præsertim, antecedunt eruptionem, aut ipsum eruptionis exordium comitantur (*d*). Die secundo, aut tertio (*e*), imo interdum quarto (*f*) facies intumescit; & maculae intensius rubræ, crebræ, primum parvæ, & multiformes, mox latiores, confluentes, & in majus sensim spatium expansæ eam totam contegunt; deinde in dorso, pectore, & demum artibus exdem erumpunt, & quidem satis amplæ, ut brevi universa fere cutis scarlatino colore (*g*) rubeat. Tum manus etiam digiti sic tument, aut tenduntur, ut non nisi difficulter infestri (*h*) possint. Interea tamen, detruso ad exteriora morbi somite, febris, & symptomata omnia insigniter mitigantur, vel etiam omnino degidunt.

- (*a*) JUNCKER *Tab. cit.*
- (*b*) VOGEL. *l. c.*
- (*c*) JUNCKER. *l. c.*
- (*d*) VOGEL. *l. c.* SYDENH. *l. c.*
- (*e*) VOGEL. *l. c.*
- (*f*) JUNCKER *l. c.*
- (*g*) *Id. ib.*      (*h*) VOGEL. *l. c.*

## §. LXI.

Postquam rubor ejusmodi ad duos, ad tres, aut quatuor dies persttit immutatus, paullatim minuitur; facies detumescit, & concidit; cuticula fore tota cum notabili pruritus molestia secedit, immo quandoque in magna frustra separatur (*a*), aut certe facilis, & levi negotio deglutitur; relictis quibusdam minutissimis squamulis farinæ instar cuti adhærentibus, quæ abeunt, & redeunt vicissim ad secundam interdum, & tertiam Desquama-  
tio-  
nem.

*Rerum* usque (*b*) vicem . Nec raro est , maculas ipsas post aliquot dies reverti (*c*) , sed tunc pauciores , minoresque esse solent , & nullo graviori symptome plerumque stipatae : Intera febris , quæ jam ab eruptione ipsa cooperat cum omnibus symptomatibus multum mitescere , si nondum cessaverit , ad inclinationem maxime properat , & aucta sautari diaphoresi cito , & penitus evanescit . Toto primo , & secundo stadio , sive toto initio , & augmento alvus adstricta esse consuevit ; in tertio vero , sive versus finem laxatur (*d*) .

(*a*) JUNCKER *l. c.*

(*b*) SYDENH. *l. c.*

(*c*) KIRCHVOGEL *l. c.*

(*c*) JUNCKER *l. c.*

### §. LXII.

Atque hæc est Purpuræ Scælatinæ species , quam HAENIUS (*a*) cum Rosalia PROSPERI MARTIANI (quo nomine non scarlatinam , sed morbillos certe MARTIANUS (*b*) vulgo appellari animadvertisit , ut ex ejus descriptione quisque colligit ) & MARTONUS cum morbillis confuderunt *Differt a* morbillis. (*c*) . Sed facile a morbillis videtur segreganda , quia hæc ruborem intensiorem , & per similem erysipelatodi præsefert , & maculas multo latiores , & diffusas , nullique figuræ addictas ostendit , nec cutim inæqualem , aut asperam reddit : dum contra morbilli veræ , & circumscriptæ pustulæ sunt , parvæ , elevatae , rubræ , & crebræ quidem , sed discretæ , & se junctæ , quæ non modo oculis tales cernuntur , sed etiam tactui asperitudinem manifestam , & granosam , saltem in facie , objiciunt .

ciunt. Deinde in morbillis permolesta tussis est, immo præcedit; oculi illacrymant; sternutamenta crebra centur; quod nequaquam evenit in Scarlatina. Non tamen negaverim, utrumque interdum exanthema una consociari, sic ut pro complicationis ratione duplex cum VOGELIO genus *Duplex* constitui possit, *morbillosum* scilicet, aut *milia genus.* re, prout purpura scarlatina cum morbillis, aut *simplex* miliaribus pustulis complicatur; de quibus infra *complícata,* *sive Maculosa & Pustularis.* opportunius. Quare simplex illa, quam descripsi, distinctionis caussa vocabitur *maculosa*, complica- ta vero *pustularis.*

- (a) *Febr. division. l. c.*
- (b) *In Hippocr. epid. l. 2. sect. 3. v. 20,*
- (c) *Oper. Omn. T. 3. cap. V.*

### *Cauffæ.*

### §. LXIII.

Cauffam si quæras proximam, ea videtur phlogosis erysipelatodes totius cutis, quam infert materia quædam acris e sanguine per motum febrem extricata, & partitis vicibus ad cutanea vasorum translata, ibique irritationem cutim, & corpus mucosum Malpighianum inflammans. Hæc autem materia acris vel in ipso sanguine gignitur, & colligitur, donec extimulata vis vitæ se ea liberare nititur, vel a perspiratione retenta suppeditatur, vel a primis fortasse viis etiam in sanguinem irrepit, vel a miasmate exteriore, quod in aere volitat, aut contagione & contactu suscipitur, communicatur; quod & frequentius est, & sere a quibusdam Scriptoribus unicum & perpetuum

tuum habetur. Nam omnibus hisce modis exanthemata, etsi ob diversitatem & gradum fomitis, & corporis constitutionem differentia, & varia, <sup>Causse procatarratice:</sup> cieri, probabile admodum est. Occasionem vero præbent generatim acritates humorum undecumque ortæ, vietus salitus, & calefaciens, motus corporis immodicus, æstivi calores, frigus repente obortum, & constitutiones epidemicæ, & contagiosæ.

### *Prognosis.*

### §. LXIV.

<sup>Benignus morbus periculi expressus:</sup> Levem morbum esse, & per se periculi expertem, quando benignus, in junioribus, & bonis humoribus præditis censetur, & talis experientia comprobatur. Nam saepe solo regimine diætetico, & cutis blanda expiratione intra paucos dies discutitur. Hæmorrhagia narium sub ipsa eruptione accedens insigniter morbum levat (a). Quamquam vero benignus, facilis, & brevis morbus est, tamen aut ob neglectam expirationem cutaneam, & frigus suscepimus, aut ob calefacentem nimis medendi rationem in periculum, & malignum vertitur. Summum enim periculum imminet, si purpura scarlatina retrocesserit; pessimæ tum phrenitides, anginæ, peripneumoniæ, convulsiones, tusses exoriuntur; plerumque malum eventum habituræ.

(a) JUNCKER L. c.

*Curatio.*

## §. LXV.

Itaque in hac specie , in qua Natura salutarem crism per se ipsam molitur , SYDENHAMIUS <sup>Benigna</sup> Clinicus longe felicissimus , & si quis <sup>que curar-</sup> alias , in <sup>tio:</sup> morborum indole indaganda perspicacissimus , quem ceteri fere omnes sequuntur , jure contendit ; nihil movendum esse , sed cunctandum , ut sanguis ab heterogenea , & nōxia acritate se liberet , & per cutis spiracula eam difflet . Hinc abstinentiam jubet a sanguinis missione , ab enematibus , itemque a medicamentis quibuscumque calefacientibus ; ne prioribus illis opus naturæ , quæ extrorsum malum protrudere tentat , impediatur ; his vero postremis nimius motus concitetur , febrisque ultra modum increscat , sicque se opponat moderato & pacato motui , qui ad lenem secretionem , successivamque morbifici somnis excretionem requiritur . Quamobrem viatum temperantem instituendum præcipit , carnium excessum , & liquorum vinosorum usum penitus ablegans . Potui autem lac cum triplo aquæ coctum , <sup>Nocet ae-</sup> hydrogalam vocant , dandum esse , nec sinendum <sup>apertus-</sup> ægros foras prodire , aut aeri libero se objicere , quamquam nolit tamen , ut perpetuo lectulo defigantur . Hac enim ratione sine molestia , & periculo morbum discuti asseverat , contraria vero excandescere , & mortiferum quandoque fieri . Ubi sub initium coma , aut epilepticæ convulsiones ( §. LX. ) accesserint , amplum validum-

*Coma, &  
convulsio  
epileptica  
quid po-  
stuler -*

dumque epispasticum posteriori cervici applicandum , & paregoricum , quod singulis noctibus ad finem usque iteretur , statim propinandum commendat . Cuite demum omnino desquamata , lenem alvi ductionem proponit , ut , si quæ morbi reliquæ supersint , penitus exturbentur ; qua in re aliquos omnes consentientes habet .

## §. LXVI.

*Curatio* *gravioris* Ac profecto usu comprobatum est , purpuram scarlatinam , quando levior , & benignior est , sola naturæ ope , idoneoque dietetico regimine sine medicamentis feliciter solvi . Verum si paullo gravior , & vehementior sit , Medicinæ aliquo adjumento egere videtur . Tunç diluentia , temperantia , & subacida a plerisque ut necessaria proponuntur , ut acritas peculiaris , & calida humorum demulceatur , atque emendetur . HESTERUS (a) pulveres , ut vocant , temperantes , & blande diapnoicos ( quibus ferme tota Stahliana , & Hoffmanniana schola maxime confidit , utiturque ) illis adjungi , unaque adhiberi , e re fore existimat . Quamquam ejusmodi pulveres , qui ex absorbentibus , cinnabri , & nitro parari solent , virium ita exiguarum nobis videntur participes , ut parum , vel nihil reliquam simplissimam curationem immutent . Illud potro , quod de sanguinis missione omittenda habet SYDENHAMUS , aliquique post eum doctissimi viri , non ita perpetuum , atque inconcussum præceptum habendum crediderim , ut numquam ei locus esse possit . Id auxili in maligna , ut postea videbi-

*De san-*  
*guinis*  
*missione*  
*judicium.*

bitur, a plerisque exercitatoribus Clinicis, tamquam præsentissimum prædicari solet. Cur non item in benigna, quando æger plethoricus sit, febrisque vehementior, aut grave aliquod symptomata capitis, aut pectoris urgeat? Apposite, & sapienter JOANNES FREINDIUS (b) inquit: *in erysipelate, variolis, morbillis, febre scarlatina & alijsque similibus vitiis, si vehementia sint symptomata, & caput, vel pulmonem afficiant, aut in alia quavis parte dolorem ingentem moveant, haud absque ratione, ac tuto vena inciditur.* Ego certe, quamquam haud aliud frequentius experimentum instituerim, ne semel quidem animadverti quamlibet harum eruptionum post missionem sanguinis retrocessisse, ubi affectus id auxiliū requireret. Neque ab eo dissentunt experimenta aliorum medendi arte præstantium. Timor autem retrocessionis rectius imminet ab aucto febris motu, aut a spasticis contractionibus, quas dolores, aut inflammationes inducunt: cui malo sanguinis missio præ ceteris omnibus efficacissime prospicit. Tum enim in tali motus sanguinis excessu, quamquam per sanguinis missionem refrænari quodammodo eum contingat, tanta ejusdem vis adhuc tamen supereft, ut versus cutim valide humores propellere queat, quin eis retrogrado motu, introrsumque remeare liceat. Cautio itaque adhiberi debet, ne sanguis eo usque temere profundatur, quo vires vitales nimium enerventur, ejusque projectio præter modum infringatur, & languet. Hoc dumtaxat casu retrocessio ob motum a tergo deficientem timeri posset.

(a) Compend. med. Pract. cap. IV. §. XXX.

(b) Hist. Medecin. p. 21. edit. Venet. ann. 1735.

## §. LXVII.

*De purgatione quid sentientiam.* Alvum quoque laxari SYDENHAMIUS, & JUO-  
CKERUS sic timent, ut alter vel enemata ipsa su-  
dum. specta habeat, alter diarrhaem, si supervenerit,  
sistere paret, addendo pulvri attemperanti, quem  
adhibere ipse solet, decem grana Cascarillæ pro  
qualibet dosi. Timor autem iste non semper pro-  
bandus est, nisi purgatio modum excedat, aut  
non debito tempore instituatur, aut alvi fluxus  
ejusmodi sit, ut vires vitales prosternat. Immo  
primis mox diebus, antequam eruptio ad cutim  
facta sit, si signa gastricae saburrae non desint,  
cur alvum leniter ecoprotico medicamento laxari  
non liceat? Quid ab enematibus blandis, & ni-  
hil irritantibus, quæ sordes molliter avocent, de-  
trimenti metuendum: TARGONIUS TOZZETTUS  
*Observatio.* vir sane doctus & longa experientia probatissimus  
*Targienii.* non semel in hoc morbo diarrœam tam ab ini-  
*Tozzeti detio.* quam in progressu salutarem admiratus est,  
*alvi flu-* ut deinde quereret, num ita religiose, ut vulgo  
putatur, ab eccoproticis, & clysteribus abstinere  
oporteat (*a*)? Ego equidem, ubi gastrica saburra  
*Damna* sui signa profert, numquam eam cito subducere  
*gastrica* dubito, quod viderim sape, relictam intus vel  
*saburra.* majorem labem sanguini impertire, vel spasmos,  
& dolores in abdomine excitare, quibus moribidi  
fomitis secretio retardatur, vel jam secreti regres-  
sus promovetur.

(*a*) *Prim. Raccolto d' osserv. p. 102.*

## §. LXVIII.

## §. LXVIII.

Nihil vero perniciosius est purpura scarlati- *Noxe rī-*  
*na laborantibus*, quam ea præsente corpus de- *giminis*  
*tegere*, aut e lecto surgere, & diu extra mo- *frigidi.*  
*rari*, aut incaute aeri paullo frigidiori se expo-  
*nere*. Facile enim introvertitur magno cum vi-  
*tæ periculo*: Nec audiendi sunt regiminis re-  
*frigerantis laudatores nimii*, qui in hujusmodi  
*morbis indiscriminatim ægros extra lectum quo-*  
*tidie semel*, aut his per aliquod tempus mane-  
*re cogunt*, & toti pene ad aerem renovandum,  
*refrigerandumque incumbunt*. Quantum discri-  
*minis res ista habeat*, nemo melius norit,  
*quam diligens*; & ingenuus eorum, quæ hanc  
*methodum subsequuntur*, sine partium studio  
*observator*. Itaque ne quid mali obveniat,  
*cavendum plane est a quacunque vel levi cauf-*  
*sa quæ repellere purpuram possit*, aut exspira-  
*tionem cohibere*. Et si quando casu contingat, *Quid fieri*  
*extrinsecus corpus plus justo refrigerari*, ut *ri debent*  
*egressus timendus videatur*, illico potu dia- *in metu*  
*phoretico*, & calente, sicuti diluto florum sam-  
*buci*, aut tiliæ, aut simili uti expedit, quo cu-  
*tanea excretio leniter instauretur*. Huc spectat  
*quoque spiritus MINDERERI adeo in mor-*  
*bis exanthematicis propter vim diaphoreticam*,  
*antisepticamque commendatus*. Nec cautio ejus-  
*modi circa aerem ambientem adhibenda est tan-*  
*tum extante cutanea rubedine*: verum tum e-  
*tiam*, cum ipsa evanuerit, & epidermis jam  
*lamellatim deciderit*, alvusque, prout morbo  
*penitus soluto faciendum supra præcepimus*, op-  
*portune expiata fuerit*. Nam ægri adhuc per

*Exspira-*  
*tio quan-*  
*diu cu-*  
*randa.*

aliquot dies in cubiculo detinendi sunt , præser-  
tim tempestate frigida existente : nisi enim tran-  
spiratio libera conservetur , nequaquam perfecte  
restituuntur (a) . Immo in Etruria , in qua pur-  
pura scarlatina frequentissimus morbus est , sanio-  
res Medici , cum in quocumque anni tempore ,  
etiam æstate calida , aut temperato vere noxas  
renovati aeris pluries experti fuerint , quasi le-  
gein sibi indixerunt , non renovandum aerem ,  
neque cubiculum permutandum , nisi post quadra-  
gesimam diem exactam (b) . Quod eo sane spe-  
ctat , ut quæ mala a retentis , nec penitus diffla-  
tis morbi reliquiis sæpe ingruunt , quantum fieri  
potest , longe avertantur . Puto tamen de aeris  
incauta , & imprudenti renovatione , cubiculique  
mutatione intelligendum præceptum illud esse ,  
cum aerem humanis halitibus repletum , & , ut  
vocant hodie , phlogisticarum non modo mephiti-  
cum & noxiū fieri , sed etiam expirationi San-  
ctorianæ adversum redi , notissimum sit .

(a) HEISTER l.c. (b) Referente Jo. ALOYS. TAR-  
GIONIO in Vol. 3. operis inscripti : *Avvisi sopra la  
salute umana per l'anno 1778. p. 262.*

### *Purpura Scarlatina maligna.*

#### §. LXIX.

Sed præter Purpuram scarlatinam *benignam* ,  
& *regularem* , de qua haec tenus actum est , alia  
*Quid* *hic malignum?* est , quæ *maligna* , & *anomala* vocatur , quia  
vehementior , & periculosior , interdumque  
mortifera deprehensa est . Non enim *malignum*  
*hic*

hic stricto , & proprio sensu accipitur , sed lato ,  
 & gravitatem morbi , periculique magnitudinem  
 significante . Hanc s<sup>e</sup>pe dolor aliquis in aliqua  
 parte fixus , aut vagans , sine caussa evidenti ,  
 & sine ulla exteriore , & conspicua nota , aut  
 partis mutatione præcedens imminentem porten-  
 dit , quod aliorum etiam exanthematum mali-  
 gnorum , & præsertim variolarum commune non  
 semel deprehenditur . Exemplum hujusc<sup>e</sup> phæno-  
 meni malignam scarlatinam prædicentis protulit  
 ex propria observatione H A E N I U S (a) . Sed  
 multo frequentius , & quasi proprium est , tu-  
 sim ferinam , oculorum inflammationes , & ru-  
 bores , & quandoque alvi fluxum antecedere .  
 Deinde febris accedit post horrorem cum summo  
 cutis ardore , siti inextinguibili , capit<sup>i</sup>s dolore ,  
 pulso crebro , & vehementi , fauicu*m* inflamma-  
 tione , aut dolore , respiratione frequenti , &  
 diffici<sup>l</sup>i , & quasi peripneumonica , interdum vo-  
 mendi cupiditate , aut vomitu \* , comate , & de-  
 lirio ; & tres , quatuor , vel quinque dies cum  
 omnium symptomatum incremento interdum per-  
 sistit , antequam maculae erumpant . Plerumque  
 vero hæ parva erysipelata referentes , cito to-  
 tum corpus robore erysipelatode occupant , ma-  
 turius videlicet quam in benigna , sic ut quan-  
 doque sub fine primæ diei , aut secunda die \*\*  
 jam erumpant , & partes ipsæ rubore affectæ ma-  
 gis quam in benigna tument , & elevantur . Hoc  
 tempore sputa , & urinæ ipsæ interdum visæ  
 sunt , ut notat R O S E N I U S , sanguine tinctæ .  
 Rubor iste quatuor alias dies ut plurimum assi-  
 duus cutim tenet , & toto eo tempore febris  
 vehemens , cunctaque ejus symptomata non mo-  
 do non minuuntur , verum etiam augentur ,

signe  
maligna.

incallescuntque, ita ut phrenitides, suffocatio-  
nes, & peridneumoniæ lethales consequantur.  
Quandoque, ubi maculæ nunc plus, nunc mi-  
nus prodeuut, aut uno temporis momento plus  
rubent, in alio mox minus, facile tum super-  
venit ad caput metastasis, quam sequitur he-  
miplegia, aut subita mors. Sed si tunc pus  
cum sanguine remixtum ab alterutra aure e-  
xeat, aliqua adhuc spes effulget melioris even-  
tus, eodem ROSENIO teste. Illud saltem  
perpetuum est, quod febris diu potrahitur.  
Typum ipsa plerumque continuæ remittentis ser-  
vat, naribus fere occlusis, voce rauca, & cu-  
tis ardore intolerabili comitata. Interdum ta-  
<sup>Febris  
qualis?</sup> men febris adeo latet, & decipit, ut, si pul-  
suim micatus tantum attenduntur, ægri non  
febricitare videantur, quod veræ malignitatis  
quasi proprium est; vel ita quandoque manifestas  
remissiones habet, ut intermittere eam (b) cre-  
deres.

(\*) Id in epidemica constitutione Hanniensi ann.  
1779. & 1778. inter pessima signa habebatur. MEZA  
Comp. Pract. Fascic. I. Cap. XVIII. §. 163.

(a) Rat. Contin. P. I. Cap. VII. pag. 98.

(b) Id ib.

\*\* In modo memorata Hauniensi constitutione sta-  
tim ab initio cutis intense rubebat tota cancrorum  
coctorum ad instar. MEZA l. c. §. 164.

## §. L X X.

*Anoma-  
læ:* Prout vero sporadica, aut epidemica est, &  
prout ætas, temperamentum, habitus corporis,  
anni tempus, & aeris constitutio variantur, di-  
ver-

versa & ipsa ratione invadit, & multifariam ab eo quem descripsi, modo, atque incessu deflectit, & tunc non modo *maligna*, sed etiam *anomala* audit. Sic interdum macularum eruptio in lumbis & partibus inferioribus incipit, deinde ad superiores progredivit. Sæpe facies, pedes & manus tument, uti in variolis; & febris cum ipsa scarlatina rubedine non prius, quam duabus vel tribus exactis hebdomadis evanescit. Immo non desunt observationes, quæ doceant, febrei & scarlatinam eruptionem ipsam interdum ad Quadragesimam usque diem productas fuisse (*a*). Quandoque etiam observatum est, post discussam, desquamataque rubedinem scarlatinam alvi fluxum, qui eam comitabatur, cum amphenmerina lenta prosequi, & sic ægros (*b*) consuimi, & contabescere.

(*a*) HAEN. *l. c.*

(*b*) MORTON. *oper. T. 3. Cap. V. Hid. X.*

## §. LXXI.

Ad malignum certe genus ea spectat, quam aliquoties vidit, & jam ab anno 1619. descripsit SENNERTUS (*a*), cui & morbi nomen ignotum erat, & ignota parirer simplex, & benigna ejus species, quam supra exposuimus. Cum autem de nomine ipse ambigeret, ex eo, quod pueros tantum illa corripi vidisset, peculiarem morbillorum differentiam tandem esse statuit. Sed tradita ab eo morbi descriptio *scarlatina*, & quidem *malignæ* omnino convenit; nec quidquam ratio, ob quam ad morbillos eum allegat, probare videtur, cum certo aliunde constet, adultos quo-

*Bonilla Langii.* que eidem obnoxios saepe fieri. Epidemicam quoque pessimi moris scarlatinam, quae in Saxonia annis 1695. & 1697. grassata est, commemorat testis oculatus CHRIST. JOANN. LANGIUS (b). Malignam, immo pestilentem cum parotidibus, bubonibus \*, & faucium, orisque exulceratione conjunctam curavit, descriptaque MORTONUS (c).

*Petilens Mortoni.* Anno 1748. & 1749. summopere maligna, ac perniciosa scarlatina Hagæ Batavorum deserviit. Hæc cum valida angina inchoabat, & plurimos infantes, & multos juvenes, & adultos occidebat. Immo fauces, carnesque buccarum in ulcera maligna, ossa maxillarum in cariem pessimam convertebat, & similia etiam in cruribus efficiebat (d).

(a) *Med. pract. Tom. 2. l. IV. de Febr. cap. XII. de variol. & morbil. p. 178.*

\* In epidemica scarlatina Hauniensi, de qua paullo ante mentionem feci, parotides supervenientes, quamvis suppurrarent, lethum afferebant. Nisi enim primis morbi diebus ægros suffocabat, eos per quatuor hebdomadas excruciant, donec languore perirent.

MEZA l.c. §. 167. ROSENIUS vero in scarlatina epidemica ann. 1741. Upsaliæ observata testatur, tumores parotidum, & glandularum maxillarium non fuisse perniciosos, & paullatim sponte resolutos esse. *Trait de malad. des Enfans chap. XIV. p. 281.*

(b) *Teste HAENIO Febr. division. divis. VI. §. 2.*

(c) *L.c. hist. XI.*

(d) *L.c. p. 25.*

## §. LXXII.

*A. Na-  
zario de-  
scripta.* Magnam cum priori affinitatem habet epidemicæ scarlatina, quam Catalauni, & in quibusdam

dam Regni Gallici locis anno 1751. vidit NAVIERIUS (a). Quia vero nihil magis cum ad cugnoscendum, tum ad medendum confert, quam accurata eorum, quæ in morbis contingunt, enarratio; idcirco nec grave, nec inutile fore existimo, si in hac quoque breviter describenda consistamus. Per febrem admodum vehementem se manifestavit, quæ animi deliquiis, laffitudinibus spontaneis, capitis, fauicumque doloribus, deglutitionem impedientibus comitata erat. Secundo die, & saepe post viginti quatuor, vel triginta horas in toto corpore maculæ rubræ, vivo-  
do scarlatino colore, latæ, manus magnitudinem saepe excedentes, figuræ irregularis, & dorsum, pectus, femora; & nates saepe ita tegentes, ut unica tantum esse videretur, apparuerunt. Haec maculæ, quovis fere momento disparentes se in alia loca erysipelatis more conferre videbantur, in quibus antea non fuerant. Manus easdem tangens calorem vividum, & ardentem, præcipue in adultis sentiebat, & cutis ruberrima dito compressa albescens, remoto digito statim rursus rufescet. Pulsus parvus, & frequens erat; & respiratio difficilis, & intercepta, & singultuosa in plurimis esse videbatur. Halitus vapor e pulmonibus egrediens adeo calidus, & urens deprehendebatur, ut unusquisque hunc percipiens faciem ab ægro statim avertere cogeretur: Hæc febris etiam interdum cum manuum, & brachiorum inflatione conjuncta fuit, integrasque familias aut insimul, aut successive invaserit. Quibusdam lingua erat valde sicca, plurimis vero humida, & venter flatibus distentus. Iis qui ab atroci hoc malo evadabant, epidemis quinto, vel sexto die per squamas decidebat,

quin

*quin immo adolescenti tredecim vel quatordecim annorum tota manus , pedisque cuticula exceptis unguibus secessit quibus vero non illico in primo morbi imperio succurrebatur, escharæ gangrenosæ in fundo faucium versus arcum , & velum palati superveniebant , & ita celeriter proserpabant , ut œsophagum , asperamque arteriam ante occuparent , quam illæ percipi , curarique possunt . Quare non pauci e medio tollebantur . Notandum præterea est , non nullos hoc morbo affectos quarto vel quinto die non secus periisse , ac si gangrenosa pulmonum inflammatione suffocati essent . Alios post vehemens delirium morientes magnam saniei quantitatem per os , & narres reddidisse ; & rubra antea maculas post mortem in quibusdam prorsus violaceas evasisse . Hanc porro lucem , subjicit auctor , in infantibus longe mitiorem , quod minor , fuisse , faciliusque remediis obtemperasse (b) .*

(a) *Dissert. en forme de Lettre sur plusieurs maladies populaires &c. à Paris 1753.*

(b) *Comm. de reb. in Scient. nat. & med. gest. Vol. IV. P. 2. p. 338.*

### §. LXXIII.

*scarlatinae* Sub initium hiemis ann. 1770. & 1771. *Vinna* epidemicæ , post prægressam febrium intermittentiam ann. 1770. & tium constitutionem , malignæ & epidemicæ quæ 1771. *Vin-dam Scarlatinæ insurrexerunt , quarum HAENIUS* *dobonæ* .

(a) , & ANDREAS KIRCHVOGELIUS historiam nobis reliquerunt . Præcipua earum symptomata , quibus formidabiles reddebantur , fuerunt convulsiones , coma , delirium , & non raro etiam angina

gina inflammatoria, quæ, nisi propere apta mendandi ratione coerceretur, gangræna, & sphacello terminabatur, ægrosque citissime (*b*) jugulabat. Sed non adeo exitiose profecto hæ visæ sunt, utj illæ NAVIERII, neque semper cum angina gangrenosa conjungebantur. Plerique enim ex his decubentes, si rite curarentur, feliciter evadebant, & servabantur, quemadmodum KIRCHVOGELIUS testatur.

(*a*) *Rat. contin. P. I. cap. VII.*

(*b*) *Diar. med. Practic. cap. 3. p. 29.*

### §. LXXIV.

*Complicatæ*, sive mixti generis partim nempe *Exemplum mixti generis.*  
*muculosæ*, partim *pustularis* (§. LXII. ) exemplum deponimus ex illa epidemica Scarlatina, quam Cl. LORRYUS, constitutionem referens morborum ann. 1777. *erysipelas universale* nominavit (*a*). Perniciosissima ejus natura, & peculiaria symptomata, quorum cognitio Tironibus plurimum lucis afferet, merentur profecto, ut tota ejus historia, quam accuratissime memoriam prodidit idem vir præstantissimus, hic exscribatur. Crebri omnino fuerant antea, erantque adhuc illo anno morbi exanthematici febriles, videlicet morbilli, erysipelata, febris scarlatina, aliquæ cutanæ eruptiones. *Scarlatinæ* vero huic, de qua loquitur, non modo pauci, sed etiam qui in prima adolescentia constituti erant, quam maxime obnoxii fuere. Post brevem horrorem accedebat vehementissima febris cum summo & quasi igneo cutis ardore, lingua sicca, gutture rubente, inflammatoque, oculis scintillantibus,

labiis aridis , quorum superius etiam tumebat ; Mox obfuscabatur caput ; & quamquam ægri rite responsa darent interroganti , difficulter tamen adduci poterant ad loquendum . Respiratio interim erat sublimis , celeris , calida . Subinde vomititio e torpore , & silentio eos excutiebat ; immo vomitus etiam corripiebat , quo magno cum conatu ejiciebantur vere porracea , & quandoque manifesto acida , sed sine levamine . Alvis adstrieta nihil reddebat , & copiosæ urinæ aqueæ fluebant . In hoc prope statu quatuor ac viginti horæ exigebantur , quarum decursu aliquando febris exacerbari videbatur , nec deerat aliqua , etsi obscura , mentis aberratio . Primum morbi stadium hoc dicerem , sive initium .

( a ) *Histor. de la Societ. Roy. de Médec. T. 2.*  
*Mémoir. p. 7.*

### §. L X X V .

*Eruptio.* Transacto hujusmodi temporis spatio incipiebant apparere quædam maculæ rubræ sejunctæ , & discretæ in manibus , brachiis , lumbis , & facie . Nequaquam tamen ex hac eruptione symptomata minuebantur . Respiratio permanebat æque difficilis , celeris , ac sublimis , ut antea , de qua ægri nullo modo querebantur , quasi eam nec perciperent , nec agnoscerent , quod in morbis quibusque malum semper signum deprehendi . Pulsus tum erat durus , contractus , & frequensissimus ; urinæ vero crudæ , aquæ , calentissimæ . Pavillatum maculæ modo memoratæ dilatabantur , ita ut intra sex horas a prima earum apparitione universum corpus a capite ad pedes us.

usque rubore summio suffunderetur. Principio ru-  
bor iste pressione albicabat, non ita vero pro-  
gressu, tam immutabilis, & omnino constans  
siebat. Cutis tactui aspera, & granulis minutis  
conspersa, ardensque admodum reperiebatur. In-  
crescebatque malum celeriter inter duodecim ho-  
rarum intervallum, ut non solum tota exterior  
cutis facies valde tumida extaret, dura, tensa,  
& quasi corio similis, verum tota etiam cellula-  
ris tela intumesceret, & totius pene corporis for-  
mam alteraret. Hinc labia, nasus, collum in tu-  
morem enormem attollebantur. Tumor autem  
non erat mollis, & aqueus, ut in œdemate,  
sed renitens, & durus. Cutis ferme sensus ex-  
pess videbatur, sed tanto exardebat calore, ut  
digiti ad pulsum explorandum appliciti, si ali-  
quandiu ibi moram traherent, veluti ab igne  
adurerentur. In hoc altero morbi stadio, sive  
augmento, & vigore ægri nihil querebantur, sed  
stupidi, & plerumque taciti desipiebant. Os sic-  
cum, & linguam nigricantem etsi haberent, non  
tamen sitiebant, aut potum ullum petebant. Re-  
spiratio vix dici potest, quantum præceps, & ci-  
ta esset. Urinæ inscio saepè ægro profuebant.  
Pulsus quoque magis magisque crebri, & celeres  
siebant.

## §. LXXVI.

Elapsis in hujusmodi stadio circiter sex horis ~~Exitii si-~~  
ungues jam nigricabant. Interdum alvus, quæ ad-<sup>gna.</sup>  
stricta eousque fuerat, sponte laxabatur, prode-  
untibus excrementis partim viridibus, partim san-  
guineis. Saepè phylactæ in cute oriebantur,  
quæ si gangrenosæ essent, tumor subdebat, &

cutis ipsa flaccescebat. Generationi partes omnes paucis horis ante mortem detumescebant, & moliebantur; dein de leves convulsiones obortae proximam mortem portendebant. Post mortem livor cutini sedebat; quæ pustulis minutis conspersa, atque aspera speciem ejus exhibebat, quam injectiones anatomicæ repleverint. Pustulæ vero hujusmodi num ad morbillos, aut ad miliaria spectarent, non satis liquet ex Lorryana descriptione. Si tamen ad morborum tunc grassantium constitutionem respiciatur, inter quos morbilli certe non infimum locum habebant, ad hos potius referendæ viderentur.

### §. LXXVII.

*Boni exitus signa.* Quod si morbi perniciosa vis non tanta esset, ut omnem adimeret spem salutis, tunc paullatim symptomata mitigabantur, & plerumque narium hæmorrhagia superveniebat, quæ, etsi malum non integre judicaret, valde tamen sublevabat. Oculi, qui aridi, & prope ustulati erant, incipiebant humescere, & lacrymas fundere. Circa septimam tussis se se manifestius exserebat, sed nihil notatu dignum excreabatur. Interdum copiosus salivæ fluxus movebatur, & alvus laxata de jiciebat biliosa multa. Epidermis demum sensim decedebat, artibus interim, præsertim inferioribus perpetuo humido vapore, atque halitu mandibibus. Non tamen morbus finem attigebat, ante XIV. vel XXI. diem. Eo vero superato, tussis molesta, & diutinæ oculorum affectiones aliquandiu adhuc eos, qui feliciter evaserant, divexabant.

### §. LXXVIII.

## §. LXXVIII.

Non possum mihi temperare; quin aliam *Scar-* Alterum mixti generis exemplum.  
*latinæ*, mixti generis \*, nempe cum exanthemate miliarī complicatae historiam priori adjiciam; idque eo libentius duabus de caussis faciam, primum quod hæc multo minus exitiosa existit, deinde quod ab illustri, & medendi laude per celebri Medico, Archiatr. Cæsar. Comite. ANTONIO STORCKIO, cuius sæpe observationibus utimur, accuratissime scripta suppeditatur, nobisque ea videtur, quæ minus exercitatis quibusque quam maxime profutura sit. Exscribam igitur ferme totam ex ejus ipsissimis verbis. Mense Novembri ann. 1759. cum Vindobonæ in Nosocomio Pazmariano ex febri continua catarrhalī, cui sæpe miliaria exanthemata superveniebant, multi décumberent, alia febris non paucos corripuit, quæ primis diebus valde initis videbatur.

„Etenim levis tantum, & obtusus aderat capitis dolor, appetitus languit, pulsus fuit naturali paullo celerior, nec tamen plenus, nec durus, nec suppressus, sitis mediocris, lingua humida, alba, oculi solito minus vivaces. Alitus quotidie naturalis prodiit, urina crassam in medio nubem gessit. Incipiente QUARTO die omnia symptomata subito exacerbata sunt. Pulsus summa violētia exagitabatur, ita quidem, ut eodem die binæ, ternæve sat largæ venæsectiones debuerint institui, caput acutissime doluit, in pectore orta est anxietas, & respirandi magnus labor, lingua fuit aridissima, oculi rubore suffusi sunt, &

Principium.

Augmen-  
tum.

pro-

protuberarunt , fitis immaniter augebatur , totum corpus , maxime vero extrema , calor urens invasit ; urina fuit ruberrima , crassa , quasi multo sanguine tincta ; accessit delirium , sopor , corporis inquietudo . Factis necessariis venæ sectionibus , & dato copiosissimo potu diluente , nitroso sub finem diei quarti tota cutis aspera , seu angerina apparuit , & mox rubuit colore scarlatino .

*Eruptio scarlatina.* Nullum tamen symptomata inde levatum est , & ægri frequeuter tussitarunt , & noctem habuerunt admodum inquietam » .

\* Mixti generis fuit etiam scarlatina ann. 1751. a ROSENIO descripta , quæ , et si cum angina inflammatoria coniungeretur , non tamen valde mortifera visa est .

### §. LXXXIX.

„ QUINTO die , prægresso per univèrsum corpus largo sudore , remisit calor urens , & tussatio ; mox pruritus eutim occupavit , dein vi-  
*Eruptio militaris.* sæ sunt numerosæ pustulæ albicantes , opacæ , diversæ magnitudinis , & figuræ , quedam ex his confluentes sat magnas vesicas efformarunt . Pustulæ hæ densissimo agmine collum , pectus , & abdomen obsederunt ; in facie autem erant nullæ , in extremitatibus paucæ . Factis his eru-  
*Effectus varius.* ptionibus quidam ægri se multò melius habuerunt ; disparuit enim sopor , abiit delirium ; fitis , & pars velocitas imminutæ sunt . Immo pulsus in quibusdam fuit adeo bonus , & æqualis , & omnia symptomata adeo mitia , ut totum opus soli naturæ tuto tunc potuerit com- mit .

mitti. Aliqui autem manserunt soporosi ; continuo delitarunt ; eorum pulsus fuit debilis , inæqualis, intermittens ; urinam & fæces inscie dimiserunt , tendines subsisterunt , & artus convolutionibus exagitati sunt . **SEXTA** die in eodem statu persistere.

### §. LXXX.

, In principio **SEPTIMI** diei ortus est horror ; *Horror Cr* dein ingens frigus omnia membra perrepit , quod *frigus cri-*  
*sim pre-*  
*cedens.* ultra horam duravit , extremæ reddidit gelida , rigida , & tantam induxit virium prostrationem , ut mortem allaturum videretur . Cessante tamen hoc frigore mox ægri ad se redierunt , nec delitarunt amplius , pulsus fuit æqualis , liber , minus velox , & ab eo tempore vires auctæ sunt , nec ullæ convulsiones , aut tendinum subfultus amplius observabantur ; in quibusdam febris fere penitus desit . Eodem adhuc die pustulæ omnes *Nova man-*  
*teria mi-*  
*liaris sc-*  
*cretio per*  
*pustulas*  
*crystalli-*  
*nas.* magis elevatæ sunt , & redditæ pellucidæ ; etenim limpidissima lympha videbantur repletæ ; color scarlatinus cœpit evanescere , & sitis imminui ; urina fuit crassa , turbida , & copiosissimum sedimentum subfuscum depositum .

### §. LXXXI.

, Ægri qui **QUINTO** die magnum levamen *Horripi-*  
*lato no-*  
*vam eru-*  
*ptionem*  
*antece-*  
*dens.* perceperunt (§. LXXIX.), & habuere symptomata admodum mitia , ii **SEPTIMO** die levem tantum horripilationem perceperunt ; pulsus fuit paullo celerior , & pustulæ magis repletæ sunt , & cœperunt pellucere ; reliqua autem omnia optimo in statu permanserunt . **OCTAVO** die nihil

*Miliaria mutatum est, nisi quod is qui septimo die magna.* crystallo habuerunt, aliquoties alvus biliosa, liquida,

*Quibus alvus la- fœtida cum magna euphoria prodierit: iis vero xata, & alvus fuit naturalis, qui minorem septimo die quibus non?*

molestiam perceperunt. NONO die febris fuit admodum exigua; urina fere naturalis; alvi profluviū siloit; color scarlatinus sensim in naturalēm abiit; pustulæ partim ruptæ sunt, & limpidum serum fuderunt, partim conciderunt, &

*Purpuræ exsiccatae sunt, DÉCIMO die tota fere cutis naturalēm colorem habuit, & omnia erant meliora,* & pustularum finis.

& quidam ex his ægris ab omni febre liberi, jam per aliquot horas extra lectum fuerunt. UN-

*Finis fe- DECIMO die in omnibus desit febris, rediit appetitus, epidermis lamellatim secessit, intra paucos dies viguerunt vires, & valetudo fuit integerima (a).*

Mixti pariter generis *scarlatina*, *maligna*, & epidemica fuit, quam in Cephaloniae urbe, vicinisque locis anno 1763. grassante in vidit Amicus meus ANGELUS ZULATTUS (b). Cum magna primarum viarum cacoxylia, multaque lumbicorum congerie sic copulabatur, ut solo alvi fluxu vel spontaneo, vel arte concitato pessima ejus symptomata, ut delirium, convulsiones, parotidum tumores, fauciumque inflammatio feliciter, & plene tollerentur.

(a) *Ann. medic. secund. p. 46.*

(b) *Giornale di Medicina di Pietro ORTESCHI T. 2. Num. XXIX. Ubi absolutissima ejus historia inserita legitur. Quæ cum multa contineat, quæ morbum illum, causas ejus, curationemque plurimum illustrant, rem gratam tironibus me facere confido, si eam hic breviter transcripsero. Hiemi præhumidæ nec multum frigidæ successit ver siccum, & solito fri-*

frigidus. Siccitas autem tanta fuit, ut per quatuor  
 subsequentes menses nulli imbres deciderint, & ne  
 rores quidem nocturni, qui calorem, & siccitatem  
 illud Insulæ temperare solent, adfuerint. Mense  
 Majo ad finem vergente tempestas repente in cali-  
 dam, & opprimentem mutata est. Tunc præter fe-  
 bres tertianas duplices continuas Purpura scarlatina-  
 tam in urbe quam in vicinis pagis vagari cœpit,  
 pueros præsertim, & adolescentes utriusque sexus  
 corripiens, immunibus, qui annum vigescimus præ-  
 tergressi erant, relictis. In aliquibus morbus inci-  
 piebat ab horroribus vagis cum virium dejectione, &  
 acutissimo capitis dolore; in aliis a subitanea lassi-  
 tudine cum intolerabili totius corporis ardore. Fere  
 omnes querebantur apetitus defectum, sitim magnam,  
 atque inexplebilem, oris ariditatem, amaritiemque,  
 & membra veluti fræta. His præterea lingua erat  
 sordida, mucō albo, & viscido obducta, & nausea  
 perpetua, quam interdum excipiebant vomitus sponte-  
 nati aquosi, spumidi, flavi, atque amari. Secun-  
 do, tertio, aut quarto die a febris, quæ semper ve-  
 hemens erat, accessu collum prium, deinde totum  
 corpus rubore suffundebatur. Rubor autem magis,  
 vel minus intensus apparebat, prout morbus gravior,  
 vel mitior erat futurus. Rubore non minus erat cu-  
 tis ardor, & siccitas, quibuscum coniungebatur. Colorem hunc vere purpureum hic illic intersingue-  
 bant quædam minutissimæ bullulae, non valde elatiæ,  
 semina sinapis magnitudine æquantes interdum  
 etiam minores. Exanthematica ejusmodi eruptione  
 non febris, non ejus symptomata minuebantur, immo  
 atrocius mox capitis dolor intendebatur; pectoris  
 oppressio, anxietas, & inquietudo magis assidue  
 premebant. Non nunquam accedebat etiam delirium:  
 immo infantes inter brevem, interrumptumque so-  
 mnum subinde convellebantur. Punctiones vero, sive  
 mavis morsus, quos circa cordis scrobiculum per-  
 cipiebant, molestiores fiebant. In plerisque alvus  
 adstricta erat. Hi febri vehementiore, & graviori-  
 bus symptomatibus afficiebantur. In aliis jam ab ini-

tio fluebet, egredeturque fœtentissima, crocea lumbritis permixta; atque in his mitior morbus erat, Quibusdam pueris, qui videlicet facie pallebant, & macilentiores videbantur, lumbrici non pauci tam ore quam ano sponte, & sine aliis excrementis prodibant modo vivi & vegeti, modo mortui, & corrupti. Per utramque hanc viam spatio quatuor dierum amplius quinquaginta lumbrici a Puella duodecim annorum excreti sunt. Fere omnibus post quartum diem dolor, tumorque parotidum superveniebat. Quibus hujusmodi, tumor deerat, fauces inflammatione tenabantur, & difficilis deglutitio evadebat. Paucissimi ab alterutro incommodo liberi existere. Nemini parotides suppurrantur. Resolvebantur enim modo citius, modo tardius, prout rubor & febris evanescebant, & prout dejectionibus morbi fomes depellebatur. Satis erat eas inungere linimento aliquo, cui camphora adjecta esset. Eodem pariter ordine, eademque naturæ providentia faucium inflammatio minuebatur. Huic profuit magnopere aqua hordei leviter acetoso rosaceo imbuta. Die septimo, aut etiam ante, in breviori morbo; in longiori vero die undecimo, duodecimo, aut decimo quarto rubor quadam quasi tenuissima farina aspergi videbatur, qua sensim cuticula albescebat, principio in superioribus partibus facto. Tunc sic pruriebat cutis, ut scabere eam oblemento esset. Sic farina illa secedens, aut cuticula in squama soluta decidebat. Tum febris cito mitigabatur; interdum etiam ex toto cessabat, etsi adhuc ad aliquot dies rubor persisteret, Appetitus redibat cum somno longiori, & pacatori. Sudor vero nullus erumpetebat, nisi discussio penitus scarlatino rubore. Urinæ quæ inter initia parçæ, tenues, & aquæ fluebant; progressu, & inclinatione ubiores, & saturatores factæ sunt. Hinc vires, & sanitas redintegrabantur. Qua ratione curationis instituta sit, referam infra.

## §. LXXXII.

Quam dedimus Scarlatinæ malignæ, atque ejus *Diagnos-*  
*sis.* differentiarum descriptionem (§. LXIX. ad LXXXI.) *Causas*  
 sic puto exemplis opportune, & diffuso adductis  
 illustratam, ut plana atque expedita sit cuicunque  
 ad rectam diagnosim via. Superesset, ut de caus-  
 sis aliquid dicerem; verum hæ satis expositæ fue-  
 runt, ubi de scarlatina benigna (§. LXIII.) re-  
 tulimus. Nam, si quid discriminis inter eas est,  
 in gradu, copia, & potentia majori omnino pos-  
 tum videtur. Quare etiam illud consequitur, ut *Prognostis*,  
 maligna non modo plus gravitatis & periculi ha-  
 beat, sed etiam sæpe mortifera animadvertatur.  
 Jure igitur SENNERTUS scripsit, *malum hoc gra-*  
*ve, ac periculosum, & sæpe lethale esse* (a). An-  
 ginosa, sive aphtosa (§. LXXI.) & præ ceteris  
 epidemica, & mixta (§. LXXIV.) plerumque, ut  
 notavimus, in lethalem gangrenam & horribilem  
 strangulatum desinit. Quæ a LORRYO observata  
 fuit (§. LXXIV.) majorem ægrotantium partem  
 enecabat, nequidquam proficientibus quibuscum-  
 que artis selectioribus adjumentis. Non ita vero  
 contigit scarlatinæ mixti generis malignæ, & ver-  
 minosæ a Cl. ZULATTO descriptæ (§. LXXXI.)  
 quippe quæ rite curata neminem occidit.

(a) *L. c:*

*Malignæ Curatio.*

## §. LXXXIII.

*Purgatio.* Primis statim diebus , antequam Scarlatina erumpat , si cacoxyliæ indicia se prodant , lene eccoproticum dari oportet , aut vomitum , si breviori via expellenda videatur , aqua tepida cum oleo subacta , aut oxymele scillitico , aut Ipecacuanha pro cœritis , & virium ratione cieri . Sed nullibi magis emesis necessaria est , quam ubi a miasmate epidemico origo morbi pendere videatur ; subtrahito enim per vomitum fomite primas vias ingresso multò mitior morbus evadit . Id in primis perspectum sæpe est in epidemica Scarlatina , cui angina aphthosa , aut gangrenosa adjungitur . Cum autem febris vehemens , calor urentissimus , atque alia symptomata gravissima in hac esse soleant , inflammationisque metus ubique immineat , sanguinem non solum mitti licet , verum necesse etiam est . Id quoque post ipsam eruptionem quartō ; quinto die , immo tardius fieri interdum (*a*) debet . In pestilenti , nimurum ea , in qua parotides , & bubones eruptioni jam *sanguinis* factæ superveniebant (§. LXXI.) , sanguinem uti-  
misiō. liter mittendum curabat MORTONUS (*b*) , & ves-  
fificantia adhibebat . Quo in casu largiorem etiam Chinæ chinæ usum proposuit (*c*) HALENIUS . In reliquis methodus antiphlogistica omnino huic quoque accommodanda est , qualem benignæ paullo graviori (§. LXVI.) convenire supra traditum est .

*Alvi fluxus.* Alvi fluxus minime sistendus est , si primæ viæ sordibus scateant , & vires vigeant . At si immodicus videatur , tunc aliquantulum coerceri de-

cocto albo , absorbentibus , & China-china ad scrupulum unum cum Laudani liquidi SYDENHAMI guttis quatuor ter in die , habita xtatis ratione iterata (d) .

- (a) MORTON. l.c. Hist. I<sup>r</sup> HAEN. l.c.
- (b) L. c. Hist. XI.
- (c) HAEN. l.c. hist. I.
- (d) MORTON l.c. Hist. X.

### §. LXXXIV.

In ea Scarlatinæ epidemicæ constitutione , quam <sup>Navierii methodus.</sup> angina aphthosa comitabatur , a NAVIERIO ( §. LXXII. ) descripta , cito vena brachii incidebatur ; cum vero delirium , & coma urgeret , jugularium quoque sectio perutilis deprehensa est . Nec aliter in Scarlatina Vindobonensi anni 1771 . ( §. LXXIII. ) se gessit HAENIUS . Reticeri tamen haud debet KIRCHVOGELIUM in eadem ipsius <sup>Kirchvo-</sup> <sup>gelii the-</sup> <sup>rapia.</sup> <sup>Non tam</sup> <sup>men ve-</sup> <sup>na sectio-</sup> <sup>nem o-</sup> <sup>mnenm</sup> <sup>rejicit.</sup> <sup>Non tam</sup> <sup>men ve-</sup> <sup>na sectio-</sup> <sup>nem o-</sup> <sup>mnenm</sup> <sup>rejicit.</sup> <sup>Non tam</sup> <sup>men ve-</sup> <sup>na sectio-</sup> <sup>nem o-</sup> <sup>mnenm</sup> <sup>rejicit.</sup> <sup>Non tam</sup> <sup>men ve-</sup> <sup>na sectio-</sup> <sup>nem o-</sup> <sup>mnenm</sup> <sup>rejicit.</sup>

ponere observarem , cortice peruviano tam injicendo quam etiam interne illum dando absque vel unica in meis celebrata venæsectione , quos habui , feliciter euravi (a) . Mirum profecto , sed non inauditum , nec insolens videbitur , in eodem morbo , loco , & tempore HAFNIUM , & KIRCHVOGELIUM viros sane ab omni medicinæ scientia paratissimos in oppositam omnino de san-

*Monita  
de S. M.* guinis missione sententiam ivisse . Illud , ni fallor , tenendum est , nihil hisce de rebus , quod absolute perpetuum habendum sit , decerni generatiū posse , sed modo sanguinem recte mitti , modo ab ejus missione abstineri oportere , prout indicantium , aut contraindicantium potior ratiō est . In universum in morbis , quos virus aliquod , aut scerrinia , & caustica morbifici humoris indole gignit , etsi inflammatorii videantur , patcius , & ratius sanguinis missione uti expedit \*.

(a) *Diar. med. Pract. l.cs*

\* Multa jam in superioribus ad hujusmodi controversias dirimendas disceptata sunt ; quæ in memoriam redigantur oportet : multa etiam in sequentibus libris , & potissimum ubi de Angina , & Pleuritide sermo habebitur , ad rem illustrandam invenies .

### S. LXXXV.

*visitas  
purgationis , &  
vesicantium.  
Paregori-  
cas.*

Post sanguinis missionem serum lactis Tamarijndis , & refrigerantibus plantis alteratum potui ordinario dabant NAVIERIUS . Præ extensis clysteres iterandos suadebat . A vesicantibus intra scapulas impositis , vel ad suras admotis præclara effecta obtinuit , admiratusque est .

Paregoricis, si eis locus esset, ante alvi ductio-  
nem refracta tantum dosi utebantur; post purga-  
tionem vero, paullo liberaliori. Gangrenam fau- Gangrene  
faucium  
quid pro-  
fit.  
cium valide arcebat gargarismate ex oxymele &  
spiritu vini dephlegmato, ut vocant, per salem  
tarrari, in quo soluta esset congrua camphorae  
quantitas. Ad eundem finem, fauces acerbe  
dolebant, & colore cinnabarino rubescabant, il-  
lico decoctum corticis peruviani aut cicutae inji-  
ciendum; potui vero lac decocto aliquo refri-  
gerante dilutum, vel subinde emulsum paregori-  
cum nitratum dandum alii (*a*) jubebant. HAE-  
NIUS oris ulcera, si alba, & vesicularia erant,  
detergebat applicito succo sedi, sive sempervi-  
vi majoris cum melle ex rosis, quod tutissi-  
mum est. Ceterum magna cautio adhibenda est  
in ejusmodi remediorum delectu, atque usu.  
In summa enim faucium, orisque phlogosi, aut  
phlegmone, cui dolor intensior adjunctus sit, a  
calidis, irritantibusque cavere oportet, ne ma-  
lum exasperent, gangrenamque impendentem ac-  
celerent. Hinc plerumque praestat leniter garga-  
rizare ex decocto caricarum pinguium cum la-  
cte, aut ex diluto florum sambuci cum pau-  
xillo oxymelis, aut syrapi mororum, aut ex  
his aliquid in fauces, sed e latere, & leniter  
per fistulam infundi. Vaporem quoque ex spon-  
gia aqua calida, & aceto imbuta, & pectori  
imposita manantem inspirari proficuum est. Na-  
ribus vero siccis, & obstructis prodest linteol-  
um immitti, lacte tepido prius madefactum, id-  
que subinde repeti. Quæ de aphthis tradita  
sunt alibi (*b*), quæque tradentem in capite de  
Angina maligna, & gangrenosa, si huc tran-  
ferantur, quisque facile intelliget, quodnam  
Quid ul-  
ceribus  
oris?  
Cauela.  
cui-

cuique casui opportunius auxilium decerni debeat.

(a) KIRCHVÖG. l. c.

(b) Volum. I. §. CCXXVI.

## LXXXVI.

Nemo nescit, quantum adversus morbos vere putridos, aut gangrænosos valeat cortex peruvianus. Verum hodie non modo in illis, in quibus languor summus totum corpus occupat, verum etiam in acutissimis atque ardentissimis febribus, ubi certe virium vitalium actiones modum excedunt, fervorque quasi igneus excandescit vehementer, sine ulla cunctatione, & consilio adhiberi eum saepius vidimus. Quantum

*Corticis*  
*peruvianis* in effreni adeo motuum omnium insolentia,  
*usus mo-*  
*deratus*. & ferocitate praestet ab iis, quæ vim cordis, arteriarumque valentius incitant; atque adeo a cortice peruviano ipso abstinere, judicent æqui, expertique rerum æstimatores. LORRYUS certe in pessima, & plerumque lethifera scarlatinæ specie, quam ipse curavit (§. LXXIV.), non aliam methodum calidissimo, ardentissimoque morbo adhibendam existimavit, quam refrigerantem, atque antiphlogisticam. Neque satis intelligi potest, quomodo vir alioquin cautes & prudens ANTON. HAENIUS ingentem corticis vim quotidie ad plures hebdomadas suis ægris ingesserit.

*Refrige-*  
*rantia.* In constitutione illa epidemica, quam paullo ante memoravimus, ubi minor, ut ipse scribit, malignitas erat, non minus de ejus extracto dabant in die, quam semunciam; ubi vero major, unciam, & saepè duplam etiam dosim singulis di-

diebus. Fortasse frigidis in regionibus, atque in corporibus Germanorum audentius eo uti licet; aut qui ad eos peryeñit, ita effœtus, aut adulteratus\*, aut intus est, quod non sine causa suspicor, ut largiori etiam manu datus vix, ac ne vix quidem hominem moveat.

\* Et facilius lucri causa adulterati potest corticis extractum; nam HAENIUS cum plerisque aliis Germaniae medicis *extractum* adhibere consueverat. Genuum, & sincerum, quod paucum e multo cortice educitur; magno pretio venit. Additione igitur alienarum rerum, vel aliarum plantarum nostratum *extractis*, ejus quantitatem augent pharmacopole, sique majus sibi comparant lucrum. Neque ab ejusmodi fraudibus alieni sunt pharmacopolæ in Germania, quorum lucrandi cupiditas nuper certissimis documentis innotuit, & meritas pœnas dedit.

### §. LXXXVII.

Præter ista vero, quæ faicum gangrenam aut antévertunt, aut coercent, tam interne sumpta, quam in fuces injecta, aut gargarismatis forma usurpata, extrinsecus quoque quedam admoveunt, quæ morbi vim foras avocent. Idem HAENIUS vesicantia ex cantharidibus, aut cataphlasmata cum sinapi circa collum duci impérabat, antiquissimorum exemplum medicorum sequutus, qui acribus & salitis citem in fauci inflamatione exultare consueverant. Nós quando dolor & fervor nimiam irritationem adesse, & ex hac causa gangrenæ metum augeri ostendunt, foimenta anodyna, & simul antisепtica ex generè temperantium, & antiphlogisticorum ceteris anteponimus. Déco-

*Topica.*

*Cautio.*

cta

sta florum sambuci, & malvæ aceto mixta leni-  
ter calentia ad id aptissima censentur. Immo ca-  
taplasmata ex malva, & semine lini, & mica pa-  
nis lacti incoctis aptissima sunt, dummodo sæpe  
*limitatio*  
*purgatio-*  
*nis*  
*&*  
*phleboto-*  
*mia.*

iterentur, ne frigescant. Nec fertasse undique  
probanda est illa nimia in purpura scarlatina al-  
vum ducendi & mittendi sanguinem HÆNI libe-  
ralitas, quæ in historiis ab eo enarratis ubique  
elucet. Neque in his laudanda nimia ejus pro-  
clivitas, qua ferebatur in regimen refrigerans,  
ut nimis crebro ægris permitteret e lecto surge-  
re, & cutis exspirationem intercipere. His for-  
tasse de caussis factum est, ut ejus ægroti gra-  
vibus, insolitusque vicissitudinibus subjicerentur,  
& diutius, quam par fuisset, morbo confitareñ-  
tur. Temeritatis ejusmodi pœnas sæpe luisse mi-  
seros ægrotantes ex multorum fide, & testimo-  
nio compertum habemus. Subitæ enim, & mor-

*Regressu i*  
*scarlati-*  
*ve regimine frigido, sive alvi ductione, sive*  
*ne quomo-*  
*do succur-*  
*missione sanguinis temere; inconsultoque insti-*  
*rendum.* tuta, vel alio' quoqua' casu Purpura Scarla-  
tina retrocesserit, & periculosa symptomata inde  
enascantur, quantocius entendum est, ut revo-  
cetur extrorsum. Quem in finem sæpe feliciter  
vesicantibus extrinsecus, intrinsecus vero campho-  
pa, & potu calido usus est KIRCHOEGELIUS. Sed  
hic maxime administranda celerrime sunt, quæ a-  
lias (a) a nobis proposita & commendata fuere.  
Ceterum salubres naturæ motus, quando neque  
excedunt, neque deficiunt, observandi omnino  
sunt, iisque favere oportet potu acidulo, tepen-  
ti, & leniter diaphoretico, & victu tenui, anti-  
putrido & sustinendis viribus opportuno, donec  
morbus ad declinationem, & finem perveniat,

rubore evanescente paullatim, & secedente in lemmelas epidermide. Tunc deum, ut in benigna, alvus semel, iterumque leni medicamento dicenda est (\*).

(a) *Volum. I. §. CCXCIV.*

(\*) Quoniam supra (§. LXXXI.) historiam Purpuræ Scarlatinæ epidemicæ, malignæ, & mixti generis a Cl. ZULATIO conscriptam retuli, æquum sane est, ut ejus etiam curandæ ratio simplicissima, qua tuto, jucunde, & feliciter usus est, hic non prætermittatur. Mox ab ingruente ejusmodi morbo cognovit, eum ex multigena ventriculi, intestinorumque cacochylia originem ducere, ut ex amaro oris sapore, halituque fœtido, ex lingua sordida, & mucosa, ex appetitu dejecto, nausea, vomitibus spontaneis, vermium complurium excretione, dejectionibus olidissimis, & conferentibus patebat. Hinc eo animum direxit, ut primæ viæ ab hac sordium colluvie confestim exparentur, promota videlicet, ubi aderat, diarrœa, aut ubi abesset, leniter excitata. Quamobrem medicamentum catharticum, atque antelminticum, quod constabat ex Rhabarbari binis drachmis, Jalapæ drachma una cum dimidia, & seminum Santonici drachma una, tenuem in pulverem redactis, & unciis tribus aquæ fœniculi, Thericaliſ vero duabus in liquidam mixturam dilutis. Hujus autem mixturæ pro ætatis, roboris, temperamenti ægrotantium ratione, & pro vario morbi gradu dabantur quotidie tria, quatuor, quinque, modo plura, modo pauciora cochlearia, justis intervallis discreta, donec venter solveretur. Postea medicamenti dosis excretionibus accommodabatur, sic ut modum non excederent, sed pergerent faburram educere. Nec alio usque ad morbi finem opus erat auxilio. Post primas dejectiones continuo mitigabantur symptomata, præsertim capitis dolor, convulsiones, inflammatio faucium, & ventriculi morsus. Hinc quoque rubor ex intensissimo in roseum dilu-

tum desinebat. Nec pruritus, qui optime præsagiebat, diu cunctabatur accedere, & pulsus molliri, & dilatari. Quinque vel sex intra horas viginti quatuor dejectiones satis erant ad hæc bona præstanda in aliquibus: in aliis pluribus opus erat pro caco-  
chyliæ putridæ quantitate, ac vi. In parvis pueris plerumque una remedii præscriptio & non iterata omnem morbum debellabat; in grandioribus interdum iterabatur, sed nunquam tota absumebatur. Hæc erat communissima, & certissima, qua utebatur, curationis ratio. Fatetur tamen interdum etiam sanguinis missionem adhibuisse, ut aliquod symptoma periculosum averteret. Id autem auxilli genuſ utile fuit, quando pulsus durus, & plenus, & dolor capitis atrox exigebant aliquod moderamen. Sanguis eductus nunquam crustam phlogisticam exhibuit. Interdum quoque vesicantibus locus dabatur, nempe ubi sopor gravis oppimeret. Sed nihil catharsi fuit præstantius, & efficacius. Diæteticum autem regimen in eo consistebat, ut solis panatellis ex aqua decoctis, aut pane aqua pura intinto vescentur, Carnes enim, aut earum jura febrim, & ruborem augebant. Potui dabatur aqua pura, aut nitro imbuta, liberali manu. Stragulis moderate tegabantur in lecto; aer pluries recens, & purus per fenestras intra diem admittebatur. Et quidquid alexipharmaci, aut sudoriferi speciem haberet, exula-re jussum est. Sic tota febrium scarlatinarum cohors, quas curandas habuit, feliciter devicta fuit.

*Morbi secundarii,  
sive  
Alteræ Scarlatinæ periodus.*

§. LXXXVII.

At experientia demonstravit sèpissime, resolu-ta purpura scarlatina, desquamataque iam epider-mi-

mide, ægros e morbo convalescentes, si regimen *Noxa aeris frigidi.* diaphoreticum negligent, aut se aeri libero, aut frigidiusculo incaute objiciant, aut non perfectam crism habuerint, modo repente, modo paucis post diebus, modo circa diem vigesimam priuam, quandoque etiam serius (\*), incidere in alia gravissima mala, eorumque complutes e medio tolli. Neque id tantummodo acidit malignis, aut epidemicis purpuris scarlatinis, utpote huic infortunio frequentius obnoxiae sunt, verum etiam benignis, & regularibus, licet multo rarius, quemadmodum constat ex fidissimis clinicorum (*a*) testimoniiis. Hæc vocatur *secunda scarlatinae periodus*, sive *secundum stadium* (*b*), quemadmodum febris, quæ variolas confluentes, aut malignas subsequitur, *secundaria* nomen apud plerosque obtinuit.

(\*) Exemplum œdematis universalis, in quod die trigesima a morbi initio, cum jamdiu a febre, & scarlatina vacuus esset, homo quidam incidit ex eo, quod e cubiculo ad auram putiorem inspirandam prodierat, affertur a Medico Florentino solertissimo, ALOYSIO NERIO in quodam suo opusculo. Vid. *Avvisi sopra la salute umana Volum. 3. p. 262.*

(a) *Ibid,*

(b) HEIST. *compend. med. l.c.*

## §. LXXXIX.

Mala autem ista ( §. LXXXVIII. ), quamvis *multiplex morbi generis* ab una eademque cauſa manantia, multiplicis tamen generis sunt, prout nimirum acris humor, qui diffari per cutis spiracula debuisset, has vel illas partes aggreditur. In quibusdam ad articulos artuum extremorum delatus dolorem, & ru-

borem, ut in arthriticis (*a*), excitat: In aliis glandulas lymphaticas occupat, undæ hæ intume-  
 scunt, indurantur, & (*b*) dolent. Sæpiissime in pulmones fertur, & respirationem reddit difficil-  
 lem, & quasi suffocantem; si vero in caput, & cerebrum impetum faciat, mox deliria, convul-  
 siones, & mors (*c*) subsequuntur. Sed omnium  
 Freqnenc-  
 tior tu-  
 mor æde-  
 matosus. frequentissimus est tumor cœdematodes, aut leu-  
 cophlegmaticus, quo totus corporis habitus, vel  
 aliquæ ejus partes cum urina plerumque pauca,  
 turbida, & fusca, ac quandoque omniho suppressa \* tentantur. Id a SENNERTO jam animadver-  
 sum video, nam post cutis desquamationem, mox  
 pedes, inquit, ad talos, & suras usque intume-  
 scunt, hypochondria lœduntur, respiratio diffici-  
 lior redditur, tandemque abdomen intumescit,  
 ægrique non sine magno labore, & post longum  
 tempus pristinæ sanitati restituuntur; saepe etiam  
 (*d*) moriuntur,

(*a*) SENNERT. De febr. l. 4. cap. XII. de variol.  
 ♂ moobill. p. 178,

(*b*) HEIST. l. c.

(*c*) HAEN. l. c.

\* In hac altera periodo ROSENIUS vidit urinas non modo paucas, sed colore aquam, in qua recens earo lota est, referentes. Vid. Trait. cit. version. gallic. p. 281.

(*d*) L. c.

## §. XC.

Tumor iste Tumor vero iste, quo corpus inflari & tur-  
 duplicitis naturæ, gescere dixi, duplex esse consuevit, alter, ut  
 calidus, ita loquar, calidus; alter frigidus: quæ diffe-  
 ♂ frigi- rentia notari maxime debet, ut curatio diver-  
 dus. ſe

sæ ejus naturæ accommodari possit. Frigidum eum  
voco, qui veri œdematis, aut anasarcae speciem  
refert, & albus, & mollis, & aquosus, & ne-  
quaquam tactui calens appareat, & cum debilitate  
totius corporis, appetitus defectu, pulsu humili,  
languido, non duro, neque febrili conjungitur:  
contra calidum, qui magis ad leucophlegmatiam  
accedit, & durus est, & renititur, nec vestigia  
digiti prementis recipit, & manui calorem acrem,  
sive pungentem exhibet, stipaturque pulsu duro,  
crebro, celeri, & febrili, spirandi difficultate,  
stertore, lingua sicca, & alba, siti plerumque ar-  
denti, interdum non magna, urinisque paucissi-  
mis, & pene deficientibus. Primi, ni fallor,  
qui hanc perutilem, veramque differentiam ani-  
madverterunt, videntur fuisse Medici Florentini  
(a), quorum etiam ingenio excellenti, & cli-  
nicis, anatomicisque disquisitionibus, jam ab annis  
amplius sexaginta debemus non modo hujusce  
morbi veram pathologiam, sed optimam quoque,  
& prope certam curandi rationem. Cum enim  
Florentiae circa annum 1517. quam plurimi pur-  
pura scarlatina epidemica implicarentur, & omnes  
decima quarta circiter die simplici Sydenhamiana  
methodo feliciter sanarentur; observatum est,  
convalescentium aliquos circa vigesimam primam  
diem cœpisse queri de aliqua respirationis gravi-  
tate, modica tussi, atque aliquo oculorum, fa-  
ciei, & externarum gutturis partium œdemate,  
quibus phænomenis succedebat febris, iisque in-  
gravescentibus, præsertim œdemate, quod univer-  
sale siebat, cum levi thoracis dolore, abdominis  
tensione, & aliquando torminibus, & omnimoda  
urinarum suppressione ad interitum festinabant  
diureticis tractati (b). Medici hinc solertiores

Primi quæ  
morbum  
recte no-  
verint.  
Florenti-  
ni.

mortuorum cadavera secuerunt, inveneruntque pulmones, pleuram, intercostales musculos, dia-phragma, renes, & intestina plus, minusque inflammatione correpta. Quamobrem in eam ve-nierunt sententiam, ut peripneumoniam, quam metastasis materiæ morbificæ non ex toto evacua-tæ induxerat, pro primario morbo habendam cre-derent; tumorem vero leucophlegmaticum pro ejus symptomate, sive effectu secundario. Inflam-matis enim pulmonibus, ceterisque partibus re-spirationi dicatis, ac proinde humorum per præ-cordia circuitu pene intercepto, facile intellige-

*Cur sanguis mis-sus reme-dio sit?* bant, cur, retardato per venas tum sanguinem, tum lympham vehentes refluxu, & hinc inhibita serosi laticis e cellulosis cavis absorptio-ne, totus corporis ambitus retenta viscidio-re, & crassiore ejus parte turgeret, & præter morem intumesce-ret. Quapropter in aliis, qui in hujusmodi mor-bum inciderunt, sanguis mitti cœptus ex bra-chio, & si opus erat, etiam iterato, & sic om-nes sanabantur, felici eventu consilii bonitatem comprobante (c).

(a) *Avvis. sopra la sal. um. T. 3. N. 5.*

(b) *Jo. CALVUS comment. de hodierna etrusca Clinica. Extat in RONCALLI PAROLINI Medicina Europæ p. 333.*

(c) *Ibid.*

### §. XC I.

Neque in illa tantum epidemica constitutione id auxiliū ex voto cessit, verum etiam deinceps in reliquis annis, quotiescumque convalescenti-bus ex hujusmodi exanthematico morbo superve-nit

tit tumor iste leucophlegmaticus, febrim comitem habens, & reliquas notas calidi œdematis præferens; etsi non ab interna pulmoñum, a liorumque viscerum inflammatoria congestione ortus videretur, sed a solo telæ cellularis infarctu, quem retenta exspirabilis actis materies, ut quandoque usuvenit, peperisset. Hinc jam apud omnes Etruriæ Medicos invaluit, ut non alia hunc affectum, alias lethiferum, methodo oppugnent, quam antiphlogistica, sanguinis videlicet missione, nitro, temperantibus, & subacidis medicamentis (*a*).

(*a*) *Avvisi sopra la sal. uman. l. c.*

### §. CXII.

At vero si corpus, venter, crura, aut aliæ partes vero œdeme frigido, & molli, & sine febri corripiantur, alia omnino curationis ratio adhibenda est. Tunc omnia quæ serosam colluviem blande detrahent, convenientissima habentur; cujusmodi sunt cathartica subinde repetita, & diuretica tamdiu continuata, donec omne malum resolutum sit. Sed ex his ea eligenda monet HAENIUS (*a*), quæ simul temperant, & refrigerandi facultate prædicta sunt. Nobis ad alvum laxandam ut magis accommodata probantur manna, ejus syrpus, aut conserva, tremor tartari, sal polychrestus, cassiæ flores, aut ejus dilutum. Ubi cathartica ab ægris non admittuntur, & recusantur, clysteres injici possunt ex decocto foliorum senñæ, qui satis valide serofos humores dejiciunt. Ad urinas ciendas a multis hic proponitur Tinctura salis tartari bis, terve in

*Calido  
œdemati  
semper  
vena se-  
tiojuvit:*

*Frigidum  
œdema,  
quomodo  
curan-  
dum.*

*Cathar-  
tica, &  
diuretica  
primas ce-  
nent.*

die ad guttas decem, quindecim, aut viginti ex vehiculo ideoneo propinanda, cujus vires etiam non nulli augere nituntur additione liquoris terrae foliatæ tartari, aut spiritu nitri dulcis. Nitrum quoque largiori manu datum, decocta radicum aperientium, atque oxymel scilliticum syrupo aliquo graviori mitigatum non carent optato effectu. Interdum in contumaciore malo, ubi etiam non levis de Ascite suspicio erat, pueros in primis sic affectos restitui syrupo cichorei cum Rhabarbaro, & diluto baccarum Juniperi syrupo *Cortex peruvianus* aliquo aperienti edulcato. Si laxa videatur soli-  
*vesti-* darum partium compages deperditusque earum totantia, nus, ejusmodi remediis utiliter adjicitur *cortex quando in-*  
*dicentur.* *peruvianus.* Hujus usu reliquis auxiliis interjecto ascitem expugnatori narrat HAENIUS (b). Emplastrum etiam ex cantharidibus, que alias in Anasarca cum emolumento adhiberi solent, hic quoque a VOGELIO (c) suadentur. Sudoriferis porro nihil profici, quia cratis obstructa, & impervia eorum vim frustratur, pluries facta pericula (d) evicentur.

(a) Rat. cont. l. c.

(b) Ibid. (c) L.c. §. CLVI.

(d) HEISTER. & HAEN.

### §. XCIII.

Dolores Simili prossus medendi ratione doloribus arthriti- thriticis, & glandularum tumoribus Scarlatinæ ci, succendentibus (§. LXXI.) succurendum est. Nam tumores glandula- vel calidam, & inflammatoriam indolem ostendunt, & febri junguntur; vel frigidi, ut vocatione e- cant, & simpliciter lymphatici, & febris exper- gent.

tes sunt. Priori in casu antiphlogisticis, in altero catharticis, & diureticis uti oportet, ut resolvantur. Inter cathartica Jalapa, & mercurius dulcis, inter diuretica scilla, & millepedes primum locum merentur. Tumoribus glandularum colli, & parotidum non suppurantibus, & diutinis praeter cathartica mercurialia linimentum ex oleo amygdalarum dulcium, spiritu salis ammoniaci urinoso, liquore Cornu Cervi succinato, & Camphora multum profuisse in Hauniensi epidemia testatur Cl. MEZA. Celebratur a PLENICIO (a) auri fulminantis mirifica virtus in hisce morbi successionibus, & speciatim magno in pretio habentur pilule WEBERI de TURNBERG, Clinici Austrici non incelebris, quæ aurum fulminans continent \*. Sed cum aurum fulminans aliis medicamentis per se satis efficacibus, uti mercurio dulci, Rhabarbaro, spiritui salis coagulati, extracto scillæ &c. adjunctum videam, incertum, dubiumque remanet, num bona effecta, quæ inde manare dicuntur, auro fulminanti, an aliis rebus admixtis tribui debeant. Ut igit sit, hoc remedii genus, ubi febris est, & præsertim pavillo validior, locum non habere, prudentiores (b) existimant.

(a) *Op. physico med. T. III. Summa ejus tractatus de Scarlatina cum observationibus XVII. annotacionibus illustratis inserta est Fascicul. 2. Oper. med. med. Et Dissert. a Franc. Xaver. DE WÄSSERBERG collect. p. 188.*

(\*) *Pilulæ VVeberi.*

R. Rhei elect: spirit. sal. coagulat. an. drachm. ij, Mercur. dulc. auri fulminant. extract. squillæ an. drachm. j. Rob. Junip. q. s. ut f. pil. gran. j. vel ij. auro, argento absolvend D. n. j. vel ij. pro ratione ætatis quovis biborio; sic ut solvatur alvus

ter singulis diebus. Si minus, add. pilulis magisterium Mechoacannæ, aut diagridium sulphuratum, aut pilulæ cocchiæ. Superbib. infusum baccar. Juniperi, vel radic. aperient. Post trium, vel quatuor dierum spatium intermittatur ad unum diem. Paregorica dentur vesperi ad sedandum.

(b) HAEN. rat. contin. T. I. cap. VIII. p. 146 147.

### §. CXIV.

*Regimen dieteticum.* Reliquum est, ut ægrotantes tranquille decumbant in moderato, æqualique calore, ut blanda, & assidua corporis exspiratio habeatur. Quemadmodum vero frigus, aerisque liberioris afflatus nocumento est, sic nimius calor noxa non caret; ideoque sedulo vitandus. Si vires suppetant, ut in clauso, & temperato cubiculo deambulent, concedi posse non dubitat HEISTERUS (a). Viatus denique rationem oportet esse morbo accommodatam, temperantem videlicet, aperientem, atque e vegetabilibus potius, quam de animalium carnibus depromptam.

(a) Comp. med. Pract. Cap. IV. §. XXXI.

## C A P U T V.

## DE EXANTHEMATE URTICATO\*.

## §. C X V.

**L**EVISSIMUM, tutissimumque fere omnium exanthematum illud profecto est, quod ab urticis nuncupatur. Post levem febrem, Diariæ similem, interdum sine febre, erumpit sub papularum ex albo rubentium, discretarum, & cutim ipsam elevantim, & prurientium forma; magnitudine, & specie valde similium illis, quas urticarum punctura, aut vesparum ictus excitat. Hæ pustulæ non modo pueris, sed etiam adultis communes sunt, & totum corpus cito occupant, atque augescunt in exiguorum tuberculorum morem; sed in primis faciem, & collum, & brachia corripiunt, &, si quando sub se cute condunt, pruritum mordacissimum, & vix tollerabilem afferunt, ad levem quamvis fricationem rursus prodituræ in conspectum. Quolibet anni tempore apparere solent, plerumque post vini, & subtilium liquorum liberaliorem potum (*a*) quandoque sine ulla evidenti occasione (*b*) quamquam non raro id mali viderim ex aliqua ventriculi acri suburra \*\*, aut e compressa cutis expiratione natum.

\* *Synonyma.*

*Altera erysipelatosæ febris species SYDENHAMII,*  
*Oper. Sect. VI. cap. 6. Efferæ, Sora, & Sare arabi-*  
*bum SENNERTI, Med. Pract. I. V. P. I. re tumor.*  
*cap. XXVI. Purpura urticata JUNCKERI; Tab. 75.*

¶ SCHACIUTH, Inst. med. pract. cap. XI. §. VI. Pur-pura urticata, nonnullis porcelaine; Synops. Med. Tom. I. lib. 2. Sect. IV. p. mihi 371. Febris urticata VOGELII, de cognosc. & curand. morb. §. CLVIII. ¶ ALIORUM. Scärlatina urticata Sauvagesii, No-sol. Clas. 3. ord. I. Gen. 8. spec. 2. Febris rubra pruriginosa EJUSD. ib.

(a) SYDENH. l. c.

(b) SWIETEN. §. DCCXIII.

\*\* Post esum astacorum, mytulorum, echinorum, cancrorum, aliorumque affinium hujusmodi eruptio-nem fieri, testis est LIETUTAUDIUS, Synops. med. T. I. l. 2. sect. IV. Cap. cut. macul. & efflorescentiae.

## §. XCVI.

*Qualis febris.* Quando febris exanthema hujusmodi præcedit, ipsa incipit a vix sensibili cutis extimæ refrigeratione, deinde calorem non magnum exserit cum siti mediocri, aliquaque capitis molestia; vel levissimo ejus dolore, & singulari quadam circa præcordia anxietate, & debilitate. Erumpentibus papulis, quod fieri solet post paucas horas, febris anxietas, & reliqua symptomata evanescunt. Exanthemata verò se sustinent duos vel tres dies, donec ex integro evaporatione insensibili resolvantur. Sæpe tamen non una eruptione omnis humor noxius expellitur. Tum remissa febri papulæ & ipsæ extenuantur, & decedunt, sed vesperi redeunte febricula iterum prodeunt, mane cum ipsa febre desituar. Sic ad aliquot vices abeunt, & redeunt, donec totus earum fomes exhauriatur. Calore lecti, & exspiratione aucta sæpe evenit, ut evanuisse videantur: sed si cutis aeri exponatur, aut e lecto surgant ægri, re-tenta expirabili materie statim papulæ conspicue-flunt,

funt, cutemque ut antea attollunt cum notabili pruritu, & ardore. Raro terminantur epidermi- <sup>Quomodo  
evane-</sup> dis desquamatione, quamquam hoc alii ut pro- seat. prium earum ponant.

## §. XC VII.

Pluries eas vidi sine febri aliquas tantum par. <sup>Interdum  
fine febre</sup> tes, puta brachia, aut cruravafficere, interdum est. etiam universum corpus; atque instabiles esse, abire, revertique statis quibusdam horis ad aliquot dies; sed plerumque dies quatuor non prætergrediuntur. Observatio est SWIETENII (*a*), iis evanescientibus praecordiorum anxietatem, & lipothymias leves succedere; rursus prodeuntibus hujusmodi molestias penitus cessare. Qui sic laborant, in reliquis eos bene habere. Hinc vero patet, non innoxium fore earum ad interiora recessum. VOGELIUS, quando febris eas comittatur, monet ei horrores frequentes intermisceri, & alvi profluvium plerumque ab initio, cum urina turbida, ac limosa adjungi: Nullum vero periculum subesse, & febrim primo septenario sudoribus judicari. Sed rarissimum puto tamdiu eam produci.

(*a*) L. c.

## §. XC VII I.

Si horum exanthematum ratio undique diligentius consideretur, cuicumque pateat necesse est, ab erysipelate, cuius speciem eam voluit esse SYNDENHAMIUS (*a*), & MEZA (*b*), atque a purpura Scarlatina, ad quam ea retulit SAUVAGE-

SIUS

*It differs  
ab aliis  
exanthematis si-  
milibus;*

sius (c), quam plurimum natura, & peculiari habitu ipsa discrepare; id quod jam a LIETAUPIO, atque a VOGELIO animadversum est. Multo minus assentiri possum SCHACHTIO (d), qui exanthema urticatum a miliari rubro, nisi magnitudine papularum, differre opinatus est. Nec mirum cuiquam erit, si hac deceptus opinione vir alioquin sapiens, & judicio pollens morbum hunc inter gravissimos recensuerit, contra ac reliquis visum est.

(a) L. c.

(b) Compend. med. pract. Fasc. I. Cap. XVII.  
§. CLVI.

(c) L. c.

(d) Instit. med. pract. Cap. XI. §. VI.

### *Curatio.*

### §. XCIX.

*Indicatio generalis.* Generatim acritas humorum diluentia, & temperantia exposcit; primarum viarum si qua caco-chylia est, lenia eccoprotica antiphlogistica; hærens in cutaneis vasculis perspirabilis materia, regimen diapnoicum, & blanda diaphoretica. SYDENHAMIUS, qui exanthema hoc pro erysipelato-de habuit, sanguinis missione, & repetita catharsi oppugnandum esse docuit. At, nisi ingens fuerit sanguinis fervor, aut febris vehementior, aut magna vasorum plenitudo, sanguinem mitti supervacaneum omnino est; & fortasse etiam noxiun. Ad SENNERTI sententiam libentius accedimus, qui post sanguinis missionem, si tamen aliqua ex memoratis caussis eam postulaverit, purgationem per Tamarindos, Myrobalanos, &

Rha-

Rhabarbarum proponit , deinde alterantia subacida , emulsa ex semenibus refrigerantibus , & de-  
mum balnea ex aqua tepida prudenter proponit . Sic tamen in purgantium usu temperamentum ad-  
hibendum est , ne naturæ opus , noxium humo-  
rem critice per cutis meatus expellere nitentis  
impediatur . Blande igitur , & epicratice morbi  
fomes per eccoprotica antiphlogistica subtrahendus  
est . Mirum , quantum hac vita radicitus morbi  
caussa , præsertim si recidivus , & pertinax sit ,  
extirpari soleat . In leviori casu , aut in exanthe-  
mate febri vacuo , ceterum pruritu & mordaci  
ardore permolesto nihil præstantius , & salubrius  
deprehendi , quam balneum tepidum , in quod  
corpus universum , aut partes magis affectæ de-  
mittantur . Sic acre temperatur , phlogosis mite-  
scit , stagnans humor solvit , & exspiratione dif-  
flatur . Quo etiam pertinet tepor lecti , quietus  
decubitus , & potus largior ex diluto florum sam-  
buci , aut foliorum Thee . Quod si huic adjicia-  
tur nitrum , roobbaccarum sambuci , & syrpus  
rubi idæi , aut similis aliis , eo valentior medi-  
cina præstabitur .

*Essera, Porcelaine Gallis  
dieta.*

§. C.

Exanthemata , quæ figuram , & magnitudinem  
foliorum cuiusdam plantulæ a gallis *Porcelaine* ,  
a nostris *Portulacea* vocatæ reserunt , Esseram  
*SAUVAGESII* , & *SAGARII* constituere videntur ,  
& sola tuberculorum majore mole ab urticatis  
discrepant . Igitur pro horum varietate tantum-  
mo-

modo habenda crediderim. In reliquis enim omnino convenient. Qui ex illis novum genus conficiunt (*a*) ; discriminem hoc esse ajunt; quod Essera pruriginis expers omnino reperiatur. At vehementer dubito, num perpetuo prurigo absit, &, si quando abesse videatur, satis discriminis in hoc contineatur, ut ab urticato exanthemate segregetur.

(*a*) SAUVAG. Cl. III. Ord. I. Gen. IX, SAGAR. Cl. X. Ordin. I. Gen. IX.

## C A P U T VI.

### D E E S S E R A V O G E L I I .

#### §. C I .

**Q**UONIAM a VOGELIO (*a*) *Efforam* video descriptam, uti non infrequentem in ejus regionibus, quæ omnino discrepat non modo ab ea, cui id nominis ab aliis (§. C.) tributum est, verum etiam a quovis alio exanthematis genere ex iis, quæ in hunc censum veniunt; instituti ratio exigit, aut eam nequaquam silentio præteream, quanquam apud nos rarius incidentem, & fortasse multis prætervisam.

(*a*) L. c. §. CLVII.

## §. CII.

Essera autem hæc, inquit vir ille probatissimus, *Descriptio.*  
*masulas exhibet latas, discretas, coloris rubri splendentis, glabras, planas, ardentes, & prurientes, quæ in manibus, & facie potissimum consistunt.* Erumpunt autem vel cuui febre, vel sine ea. Quando cum sebre junguntur, hæc diariæ modum tenet, & dorsi, capitisque dolorem, & vomitiones etiam comites habet. Eam horror præcedit, & æstus cum sudore subsequitur; solvit vero tertio die sudor, & urinæ copia.

## §. CIII.

Hæ maculæ valde erraticæ, & fugaces sunt; sic ut modo appareant, modo evanescant. *In manibus*, dum stragulis testæ manent, *lætissime efflorescent*; at, cum extra exponuntur, iterum se se subducunt. Non nullis tamen contra accidit; nimirum *in frigido* magis conspicuæ fiunt, retardata materiae exspiratione; *in calido* effugiunt, & evaporatione difflantur. Nec, si intto vertuntur, timorem adeo magnum incutere consueverunt. Tertio, quod longissimum est, die decolorantur, & pallescunt, subsequentे cutis desquamatione.

## §. CIV.

Plerumque sponte accedunt, & solitariae sunt; *sponta-*  
*Quandoque febres biliosas præeunt. Alias vario-*  
*lis*, dum exsiccationem hæ subeunt, *interjectæ* *neæ, &*  
*quande-*  
*que secun-*  
*daria.*

## 110 CAP. VI. DE ESSERA VOGELII:

se produnt. Æstate præsertim, atque hieme corripere dicuntur; & qui semel iis laboravit, *Curatio.* cile iterum, pluriesque prehenditur. Quod ad curationem pertinet, blanda diaphoresis, & sub stragulis in lecto decubitu sufficere fettur. Levisissimum certe exanthematis genus est, & vix opere medica indiget. Cum hoc vero, non nisi nomine convenit illud, quod SENNERTUS descriptis, quodque cum urticato plane consentit: quidquid VOGELIUS contra putaverit.

## C A P U T VII.

### DE PEMPHIGE RECENTIORUM,

S I V E

### MORBO PHLYCTÆNOIDE \*.

#### §. C.V.

*Descrip.  
tio.* PEMPHIX, latine bullæ, morbo nomen dedit: In eo autem bullæ, sive ampullæ magnæ, nucis avellanaæ magnitudinem plerumque æquantes, interdum majores, raro minores, sero flavoturgidæ; magnum ardorem, aut pruritum excitantes, varias cutis sedes defœdant, & plures dies persistunt, donec ruptæ serum effundant, relictis sepe maculis ex atro rubris, & frustis epidermidis circum nigricantibus. Interdum per totum corpus erumpunt, interdum in aliquibus tantum partibus, & speciatim in facie, & collo. Fereque febri junguntur, quamquam & sine febri interdum (*a*) observatæ fuerint.

\* Sy-

\* *Synonyma.*

*Pemphigus SAUVAGESII*, *Nosol.* cl. 3. ord. I. gen. 3. *GULLENII*, *Gen. morb.* *Gen. 32. SAGARII*, cl. X. ord. I. gen. 3. *Morta LINNÆI*, *Gen. morb.* gen. I. Cl. I. ord. I. *Febris bullosa*, *Pemphigodes Recentiorum VOGELII*, *de cogn. & curand. morb.* §. CLIX. *Exanthemata serosa C. PISONIS*, *de morb. a seros. colluv. & diluv. ortis observat.* CL. *Febris vesicularis MACBRIDII*, *Introd. method. in Theor. & Prax. med. T. 2. l. 1. Cap. XVIII. Febris pemphigodes EPHEM. GERM. Dec. I. ann. VIII. obs. 56.*  
 (a) *SAUVAG. l.c. VOGEL. l. c.*

## §. CVI.

Harum quoque duplex genus est, alterum benignum, sed rarius; alterum malignum, perniciosum, & saepe epidemicum, immo interdum, ut ferunt, contagiosum; quod longe frequentius. Benignum vel sine febre est, vel cum mitiori, & non periculosa plerumque conjungitur (\*). Bullæ autem primo, secundo, vel tertio (a), immo quarto tantum die (b) epidermidem attollunt, &, quando benignus morbus est, intra septimum diem disrumpuntur, & exsiccantur, nullo putre, aut alio humore manante, sed cuticula quasi combusta in frustula sordida, & subnigra decidente. Sin vero malignus, ni occidant prius, non nisi decima quarta die finem, & judicacionem attingunt. Febris autem modo Synochi non putris, modo putris naturam servare dicitur, modo remittentem, & tritæophyam mentiri visa est. Commune fere est, ut nulla vestigio, nullas caveas, aut foveas in cute relinquant, præter subnigras maculas quas supra (§. CV.) diximus. Quantum porro id mali genus differat a

superioribus, facile quisque perspiciet, si ad singularium descriptionem animum adverterit. Neque cum exanthematibus miliaribus albis, neque cum variolis aquosis, & crystallinis confundi poterit; nam illa grano milii non solent esse majora, saepius etiam minora; haec demum pure aliquo, si in maiores vesiculas confluant, replentur; quod minime accidit Pemphigi, de qua sermo est.

(\*) Non tamen affirmare ausim, benignum semper fore morbum, quando febris expers est, vel videtur. Nam mense Januario an. 1760. dum epidemice in urbe Faventia Peticulae vagarentur, multosque exitio traherent JOANNES BOSCHIUS, vir patricius, octogenario proximus, repente aliquot hujusmodi ampullis variis in corporis partibus sine febre correptus fuit. Serosum humorem continebant, & rupta epidermide, plaga subter primum rubra, dein livida, & nigricans apparuit. His, sine alio symptomate, intra quatuor, vel quinque dies paullatim extinctus est. Malum vero neque in assidentes, neque in alios domesticos contagione se diffudit.

(a) CULLEN. l.c.

(b) SAUVAG. l.c.

## §. CVII.

*sporadicus.* Pemphigem *sporadicam* saltem sexies se vidisse testatur SAUVAGESIUS (a). Sporadica item videtur fuisse, quam a C. PISONE descriptam (b) habemus, *Epidemiae, & contagiosa plerumque lethalis*, quae Pragæ anno 1736. inter milites grassata est, exemplum nobis reliquit Cl. THIERRYUS (c). Sunt qui notam HIPPOCRATI & GALENO existiment, quod in sexto epidemiorum libro (d) febres pemphigodes memoratas inventiunt,

nunt. Verum quid hoc nomine intellexerit HIPPOCRATES, nec HALenus in commentario certo definire ausus est, nec alii interpres satis explicarunt. Hinc jure adhuc inter eos (*c*) discepitur. Obscurum quoque, atque incertum est, num ad hoc mali genus vere referri queat febris *Synechea cum vesculis per pectus & collum sparsis*, quam nominavit quidem, at non descripsit MORTONUS (*f*), secus ac aliis visum est.

(*a*) *L. c.*    (*b*) *L. c.*

(*c*) *Med. experiment. p. 134.*    (*d*) *Sect. I.*

(*e*) *GASPER A REJES Elys. jucund. quest. camp.*

*Quæst. 68. n. 7.*

(*f*) *Append. ad exercit. 2.*

### §. CVIII.

CULLENIUS, quem eruditio non minus, quam <sup>Dubitatio</sup> <sub>Cullenii.</sub> aere judicium commendat, dubitare videtur, *Pemphygus ne Helveticus* LANGHANSII (*a*), sive *species tertia* SAUVAGESII ad hunc morbum phlyctenoidem pertineat, an vero ad anginam ulcerosam, aut malignam rectius allegandus sit? Phlyctenæ mali moris, quæ os, & fauces ubique infestabant, & curationis ratio, quam ei utiliter adhibebant, profecto suadent, epidemicum, contagiosumque illud malum a pemphige vera quam longissime absuisse, aut certe cum angina ulcerosa, aut gangrænosa fuisse complicatum. Dubitat quoque idem CULLENIUS, num *pemphygus Indicus* (*b*) itemque *pemphygus Brasiliensis* (*c*), quos ad hoc genus morbi retulit SAUVAGESIUS, locum hic habeant; nam non satis de his conflare revera fatendum est. Quærit deum idem

*Nun semper symptomatica sit?* Videtur autem ad affirmandum vehementer propendere. Sed, ut arbitror, id nequam concedi potest, cum solitaria, & sine febre interdum comperta fuerit.

(a) *Act. Helv. Vcl. 2. p. 100.*  
 (b) *Spec. 4.* (c) *Spec. 3.*

### §. CIX.

*Semper periculo-  
sa.* Utroque vero, casu, tam cum morbi alicuius maligni, & putrefacientis symptoma illa est, quam cum primarium sibi vindicat locum, periculum semper portendit, ob gangrenam, in quam cito terminatur. Tantus enim sanguinis fervor, & tanta serosi humoris acrimonia esse consuevit, ut quocunque feratur, instar ignis aderat. Quare CAROLUS PISO inter initia, ubi febris vehementius exardet, non timet sanguinis missionem proponere, aliaque nimium calorem, nimiamque extuationem compescientia. Neque ab ejusmodi curatione antiphlogistica abhorrebat medici Helvetici in ea constitutione, quam aphtha oris, & fauci graviorem reddebat. In ea vero, quæ Pragæ præsidiaris milites male habuit, quæque omnes, quocunque alio modo curarentur, interficiebat, solum acetum bezoarticum \* remedio fuit. Ex quo enim hoc adhiberi cœptum est, omnes servati fuisse dicuntur. Antiseptica igitur omnia, in primis acidis mixta, & cortex peruvianus præ reliquis ut in aliis putridis, & gangrenosis morbis, sic in hoc quoque deimas tenent. Ampullæ, ni cito per se rumpantur, forfice cautele aperiendæ sunt, ne acer humor altius penetrat,

iret, aut intro revehatur. Sed a reprimentibus, aut resiccatibus abstinere oportet, ut monet VOGELIUS. Si simul angina ulcerosa, & maligna copuletur, huic quoque malo medendum est iis, quæ suo loco opportune, videlicet ubi de Angina agemus; distincte, & copiose dicentur.

\* *Acetum Bezoarticum.*

R. Rad. *Angelicæ*

*Enulæ*

*Imperator*

*Hirundinar.*

*Zedoariæ an. drachm. vj.*

*Herb. Scordii,*

*Rutæ,*

*Salviae an. unc. j.*

Baccar. *Juniperi unc. sem.*

*Flavedin. cortic. citri drachm. vj. Minut. incis.*  
*affund.*

*Aceti vini optim. lib. iij.*

*Post sufficient. Digest. exprimantur, & filtratum acetum ad usum reponatur Dos. ab unc. dimid. ad unum.*

## C A P U T VIII.

### D E M O R B I L L I S \*.

#### §. C X.

MORTONO ea visa est cum Purpura Scarlatina Morbilli na Morbillorum convenientia, ut utrum atrum que morbum solo gradu, non natura differre a purpu- putaverit. Sed supra jam (§. LXII.), quodnam inter hosce affectus discriminem intercedat & indi- latina. catum est, & nunc iterum manifestius fiet, si

*Affini-* utriusque descriptio una comparetur. Alii contra, in quibus RHAZEM, RIVERIUM, & SEN-  
*taseorum* *va-* NERTUM ut principes enumerato, Morbillos, &  
*riolis.* Variolas inter se maxime affines habuerunt; qua-  
propter non seorsum, sed conjunctim pertractan-  
dos utrosque suscepereunt. Verum horum quoque  
*Quid* *morbilli* *sint?* magna est dissimilitudo, uti mox apparebit. Ce-  
terum Morbilli peculiare sunt, & distinctum exan-  
tematum genus, quod febri ad cutim suminam  
propellitur, papulas, & maculas rubras referens  
cum signi catbarthi, & distillationis, quæ præce-  
dunt, & comitantur, adeo insignibus, & perpe-  
tuis, ut pro febri catarrhalí exanthematica a non-  
nullis (*a*) reputatum sit.

\* *Synonyma.*

*Morbilli RHAZIS*, lib. de variol. *de morbilli.*  
*SYDENHAMII*, *MORTONI* &c. *Rosalia PROSP.*  
*MARTIANI*, in l. 2. epid. sect. 3. v. 20. *Febris mor-*  
*billosa FRID. HOFFMANNI*, *De febrib. sect. I. c. VIII.*  
*Rubeola SAUVAGESII*, *Nosol. method. Cl. 3. Ord. I.*  
*Gen. 3. Rosalia ETRUSCIS*; *Fersa BONONIENSIBUS*,  
*de aliis Italiae populis*; *Rosacci TICINENSIBUS*.  
*Rougeole GALLIS*.

(*a*) *HOFFMAN.* loc. cit. *GRUNER.* *Morb. antiquit,*  
*pag. 62.*

*§. CXI.*

*Fere om-* MORBILLORUM morbus, postquam in Europam  
*nus mor-* investitus \* est, humano generi adeo infestus e-  
*billis ob-* vasit, ut vix ullus reperiatur, vel sane rarissimi  
*noxii.* *de* sint, qui eo semel saltem in vita si tamdiu,  
quamdiu opus esse, vivant, non corripiantur.  
Infantes vero, & pueri præ ceteris ei maxime  
patent. Immo ne fœtus quidem ipsi in utero exi-  
sten-

stantes ab ejusmodi exanthemate tuti perhibentur; nam infantes interdum nasci morbillis perfusos, memoriae a Medicis magnæ auctoritatis proditionum (*a*). Nec qui semel iis laboravit, se immunem deinceps certo fore, is credat; quod secundo, & tertio eundem hominem in eos incidisse ex fidis observatis constet. Scio equidem de hac morbillorum reversione non paucos sub dubitare, & speciatim ROSENUM, qui lunga quadraginta annorum experientia neminem apprehendit, quem iterum (*b*) invaserint. At MORTONUS, quanquam pari annorum numero edocetus in eamdem prope dubitationem propendeat, fateri tamen cogitur, semel morbillorum redditum (*c*) sibi occurrisse. Hoc ipsum confirmat vir experientissimus, atque inter Florentinos Medicos doctrinæ fama clarissimus, Jo. TARGIONIUS TOZZETTIUS, constare sibi asserens, nonnullos; qui certissime morbillos passi fuerant, in eos iterum (*d*) esse relapsos.

\* Ab Afris cum variolis in Europam delatos, verosimile valde est. Novum sane morbum, & veteribus Græcis ignotum esse nemo hodie revocat in dubium.

(*a*) ROSEN. *Malad. des enfans chap. XIV. p. 265.*

(*b*) *Ibidem.*

(*c*) *Exercit. 3. cap. 3: p. 18.*

(*d*) Prim. *Raccolt. di osservaz. p. 101.* Idem confirmat SCHACHT. *Instit. med. pract. sect. I. lib. 2. cap. 12.* & MEZA compend. med. fascic. I. cap. XX. & HAENIUS Febr. Division. VI. §. VI. p. 106.

## §. C X I I .

*Alia e-  
xempla  
reverso-  
rum.*

Omnem vero ex animo scrupulum , si quis alicui supererisset , evellit DUBOSQUIUS de la Ror-  
bordiere , qui in epistola quadam (a) ad Diarii  
Medici Auctores data ita scribit : vidi morbillos  
pluries in eadem persona , & quidem intra bre-  
ve spatium , immo eodem saepe mense recurrisse ;  
dum hi epidemice ad annum 1773. grassarentur .  
*Id ipsum complures meorum collegarum viderunt .*  
*Morbilli qui initio anni 1777. ingruerunt , no-*  
*vam opportune occasionem suppeditarunt , qua hu-*  
*jusmodi observationem comprobarem . Tum enim*  
*non paucos pueros , morbillis correptos reperiri ,*  
*quos jam anno 1773. eodem morbo laborantes ipse*  
*curaveram . Neque hujus loci , in quo versor , id*  
*proprium quis credat ; cum a Clinicis celebriori-  
bus Normanniae certior factus sim , aamodum ge-*  
*nerale istud ibi esse . Quibus addi debet illustris*  
*Medicinae Professor SPIELMANNUS , qui anno su-*  
*periore mihi per litteras significavit , se crebro*  
*morbiliorum in eodem homine redditum Argento-*  
*rati admiratum esse . Quorum luculentissimis te-*  
*stimentiis pro coroinde adjiciam nuperimas ob-*  
*servationes Cl. ANTONII LAURENTII GENOVULSI ,*  
*in oppido Sanctæ Crucis ære publico Medicinam*  
*facientis . Is , cum ann. 1782. proxime elapso e-*  
*pidemici essent morbilli , sex & quadraginta adul-*  
*tos homines invenit eisdem correptos , et si alias*  
*eodem jam morbo laborassent , ut ex Medici ,*  
*qui eis operi tulerat , testificatione , & familia-  
rium fide , & signorum utriusque ægrotationis*  
*comparatione cognovit . Sexdecim alios præterea*  
*commemorat , quibus ipse morbillis affectis , dum*  
*epi-*

epidemice morbus vegaretur, jam anno 1770. præsto fuerat. Admonet autem, hosce homines tum solum in morbillos recidisse, cum antea alii ex eorum familias iis ægrotassent, nemine inque recidivum compertum esse eorum, qui procul ab ægrotantibus, inseclisque (b) extitisset.

Plerumque contagioni redditus debetur.

(a) *Journal. de Medec. T. 48. pag. 253.*

(b) *Avvisi sopra la salute umana Vol. VII. Lettera al Sig. Dott. Gio: Luigi Targioni, pag. 267. ad 272.*

### §. CXIII.

Satis hinc perspicitur, Morbillos a peculiari quodam miasmate gigni, & contagione communicari. Id vero etiam patet exinde, quod de loco in locum propagantur ab infectione rerum, aut ægrotantium, &, quando dominum unam ingredientur, omnes, qui eodem sub tecto degunt, præsertim si nondum eis obnoxii fuerint, eadem continuo hue contaminant. Subtile igitur aliquod virus, & natura singulare a plerisque pro eorum caussa habetur, affluviisque ægrorum, vel rerum insectarum contactu in sanos immitti creditur. Negant vero hoc aeri innasci, aut insidere viri doctissimi (a), quia si communicatio cum ægris, aut rebus, aut locis contagione poluitis vitetur, morbilli etiam ipsi præcaverunt. Ut autem contagium suspiciatur, quædam debet in corpore dispositio inesse; quæ si defecerit, virus aut non recipitur, aut receptum iners, atque innoxium evadit, aut cito ex corpore sine noxa egreditur. Quia vero observatione compertum est certis anni temporibus, aut quibus-

*Contagios.*

*Subtile virus pro caussa.*

*An aeri insidiat?*

*Dispositio corporis necessaria.*

*Anni* *diam temporum constitutionibus frequentius mortis tempora*, *billos exseri*, atquo increbrescere; ideo verisimilium quædam constitutiones virus evolvuntur, eorum seminum, sive fomitem peculiariter quadam aeris conditione, & diathesi zere latitare velis, sive in rebus, sive in corporibus ipsis.

(a) ROSEN A ROSENSTEIN *Trait: des malad. des Enfans Chap. XIV.* p. 255.

\* Olim a Medicis miasmata, quibus morbi contagiosi in sanos traducuntur, contagionis *seminaria* nuncupabantur; loca vero, & res, quibus morbi semina reconduntur, & foventur, *contagionis fomes* dicebantur, Vide F R A C A S T *de contagiosis lib. I. cap. 4. l. 7.*

### §. CXIV.

*Divisio in* Morbilli, ut plurimum quidem, universim, & *epidemi-* populariter discurrunt; interdum vero sparsim tan-  
*sporndi-* eos, & paucos adoriuntur. Quam rectissime di-  
ducuntur in *epidemicos*, & *sporadicos*. Sporadi-  
ci generatim a MORTONO, qui de hujusmodi  
morbo cumulatissime scripsit, reputantur *benigni*,  
& *genui*; epidemicci contra *maligni*, & *spurii*.  
*Benigni* Sed non omnes sporadii benignitatis laudem me-  
& *genui-* rentur; nec epidemicci semper infamantur nota-  
*ni qui-* nam. Qui *malignitatis*. *Benigni* sane fuerunt, licet epi-  
*nam ma-* dicci, qui anno 1670. Londini a SYDENHAMIO  
*ligni,* & *spurii?* observati sunt. *Benigni* pariter, qui Upsaliæ an-  
no 1752. epidemice (a) dominatum tenuere, Hinc  
omnes, sive sporadii, sive epidemicci, tribui de-  
bent in *benignos*, & *malignos*, ut veteri exan-  
thematici morbi. Illi a SYDENHAMIO dicuntur *re-*

gulares, hi irregulares, sive anomali. Ut vero benignorum synonyma sunt genuini, & regulares; sic malignorum spurii, & irregulares. Ut ut res sit, inter eos tamen anomali nobis vocandi ii potius videntur, qui a communi, & regulari cursu quam longissime discedunt, ut postea exemplis perspicuum faciam.

*Quinam regulares, & irregulares? Anomali quinam rectius?*

(a) ROSEN. l. c.

### §. CXV.

In quolibet autem morbillorum genere, sive *tria morbillorum* maligno tria stadia, sive tempora, uti in plerisque aliis exanthematicis morbis, distingui solent. *stadium*. *Primum* a MORTONO (a) voratur *apparatus efflorescentiae*, ab aliii (b) *stadium contagii*. Id in benignis, & regularibus ab invasione febris ad morbillorum eruptionem usque producitur; quæ in benignis, & regularibus circa diem quartam plerumque (c) contingit, quanquam alii (d) ci- tius etiam eam contingere, scilicet post viginti quatuor horarum, aut bidui, aut tridui spatium, posse tradant, immo interdum paullo serius, nempe quinta tantum die. In malignis vero & anomalis quia eruptio modo præmaturius, modo etiam multo serius contingit, idcirco etiam hujus stadii duratio infinita omnino est. SYDENHAMUS (e) breviori eam tempore, quam in benignis, & regularibus, coerct; MARTONUS vero ad longius spatium, & quandoque ad septimum, aut octavam diem extendit (f). At in anomalis interdum eruptio ad vigesimam tertiam usque diem retardari (g) visa est. Secundum sta-

*stadium secundum*

dium *status morbi* a MORTONO, ab aliis *stadium eruptionis*, sive *eruptio* dicitur. Incipit ab ineunte efflorescentia, & producitur ad perfectum ejusdem complementum. In benignis bidui, aut tridui spatio plerumque continetur, nam tum febris, ut ut diris symptomatibus slipata, perfecta tamquam crisi solvit, & cum ipsa efflorescentia evanescit. In malignis vero, longius hic status perdurat, & quandoque anticipi eventu, quia exanthemata modo apparent, modo evanescunt, & imperfecte prodeunt, ad decimam septuaginam, *stadium* aut etiam vigesimam diem protenditur. *Tertium tertium*. *stadium crisi*, sive *declinationem*, vel *desquamationem* appellant. Exorditur a decoloratione exanthematum, & terminatur, cum ea ex toto evanuerunt, & epidermis desquamatur, superveniente ut plurimum alvi fluxu, qui in benignis saepe salutaris est, atque hinc brevissimo tempore febris desinit, & intra paucas horas integras omnium reddit functionum. At in malignis, atque anomalis res aliter habet. Decedente enim efflorescentia febris non modo persistit, verum etiam augetur, & multa gravia symptomata sibi adsciscit, quibus enecat ægrotantes, aut in lento, chronicosque mōrbos præcipitat, ut deinceps dicetur, nisi auxilium cito afferatur.

(a) *De morbill. p. 14.*

(b) ROSEN. *I. c.*

(c) SYNDENHAM. *I. c. sect. V. can. IV,*

(d) MORT. *I. c. HOFFM. I. c.*

(e) *L. c.*

(f) *L. c.*

(g) TARGION. TOZZETTI *Prim. Raccolt, d' oservazion. p. 101.*

## §. CXVI.

Antequam vero ad singulorum generum historiam tradendam provehar, illud animadverti debet, quod *tusſes ferinae*, sive *convulſivæ* pueros aliquandiu, & epidemicē discruciare solent, quasi morbillosæ constitutionis, quæ non multum apparere cunctabitur, prænunciæ. Interdum etiam citra epidemicā labem *tusſis ferina* per dies saltem quatuordecim antecedit, quam deinde morbillorum subsequitur eruptio (a). Quandoque *morbilli variolarum prodromi* sunt, nam ab his convalescentes paullo post variolis corripiuntur, aut vicissim variolis exsiccatis, & decidentibus succedunt morbilli, nam saepe uterque morbus eodem tempore (b) se mutuo excipit. Immo non desunt observationes quæ doceant, morbillos, & variolas uno tempore, eodemque in ægrotante interdum (c) complicari.

*Tusſes ferinae interdum præcedunt.*

*Quandoque variolarum prodromi, & vicissim.*

(a) HOFFMAN. *I. c. soct. I. cap. VIII. §. II.*

(b) STORCK. *Inſtruz. med. Pratic. T. I. p. 304.*  
ROSEN. *I. c. p. 261.*

(c) HAEN. *Febr. Divis. divis. VI. §. VI. P. 107,*  
*& seq.*

*Morbilli benigni.*

## §. CXVII.

Itaque ab iis, quos *benignos*, sive *regulares* diximus, exordium faciam. Horum descriptionem a SYDENHAMIO nobis relictam (a), cum naturæ omnino consentanea reperta sit, uti perfectissimam reliqui fere omnes scriptores persecuti sunt, ideo-

*Quo anni tempore magis ingruant.*

ideoque nobis quoque, quoad videbitur, perse-  
qui licebit. Quando epidemicorum morem assu-  
munt, initio plerumque Januarii proserpere inci-  
piunt; deinde paullatim se se diffundent, & ma-  
gis invalescunt. Instante porro verno æquinoctio  
jam ad summum incrementum attingunt. Postea  
per gradus minuuntur, & defervescunt, donec  
sic rariores, mitioresque facti Julio tandem men-  
se extinguantur, & cessent. Nihil tamen obstat;  
quo minus aliis etiam anni temporibus invadant,  
progrediantur eodem ferme, quem dixi, ordine,  
& demum desinant. Frequentius infantes, & pue-  
ros, rarius adolescentes; atque adultos rarissime  
senes adoriantur.

(a) *Op. sess. IV. cap. V.*

### §. CXVII.

*Descriptio primi sta-  
di.* Morbo autem sive sporadicæ, sive epidémice  
invadente, ægri mox horrent, & rigent, ut ini-  
tio aliarum febrium acutarum, atque inter cre-  
bras cum caloris, tum frigoris vices totam PRI-  
MAM DIEM transigunt. SECUNDA DIE jam mani-  
festa febris se se expandit cum vehementi ægri-  
tudine, magna siti, lingua alba, sed humida,  
appetitu dejecto, tussi sicca, capitis atque oculo-  
rum gravitate, & assidua in somnum propensi-  
one. Interdum vero capitis dolor eos, in primis  
adultos, angit; fauces ardent, & glutientibus  
dolent; dolent lumbi; pectus constringitur; res-  
piratio cito, & frequens fit, immo suspirosa;  
scrobiculus cordis, & totum epigastrum molesto  
ponderis sensu afficitur; oculi rubent, & illacry-  
ment, & punctionibus subinde perpenduntur; lu-  
cem-

cecum ita aversantur, ut vix aperiti queant; Et naribus quoque tenuis, acerque humor existillat, crebra sternutamenta conciens; nec raro est, sanguinem inde etiam abunde manare, quo caput, oculi, & fauces plerumque sublevantur. TERTIA DIE celeriter hæc omnia ingravescunt non sine aliquo manuum tremore, & subsultu, calore cutis intenso, & acuto, quandoque etiam delirio, & frequenti anxietate. Nec absunt interdum vigiliæ, aut certe si somnolentia tenet, saepè hæc comatis vigilis speciem refert. Nausea, & frequens eorum omnium, quæ assumuntur, vomitus accedit, sed vomitu frequentior est diarrhoea (*a*), saepè biliosa, in qua subvirida, præser-tim in dentientibus, egeruntur. Quo fluxu, ubi supervenit, vomitus, & vomituritio fere sedatur, & sistitur; nec ab eo, dummodo non immodicus fuerit, & dummodo aptum intercedat regimen, exanthematum eruptio impeditur. Aliis vero alvus per totum morbi cursum clausa est, nec mali quidquam affert. Interea ægri fessi, difficiles, & morosi fiunt. Nonnulli etiam sudoribus difflouunt. Hoc stadio aliquando eclampsiam supervenire notat ROSENIUS (*b*), eamque prævideri posse ex sudoribus immodicis, & parcitate aut defec-tu urinarum. Tandem palpebræ, & tota facies intumescunt, & oculi circum magis rubent, & ardent, idque evenit imminentे jam morbillorum eruptione. Atque hæc symptomata, nisi sub finem tertiarie diei morbillorum eruptio contingat, producuntur sine ulla remissione ut plurimum QUARTAM usque diem, raro ad QUINTAM.

(*a*) HAEN. Febr. Divis. p. 104.

(*b*) Des malad. des Enfans Chap. 14. p. 461.

## §. C X I X.

*Descriptio* Tunc temporis circa frontem, & reliquam fa-  
*stadii se-* ciem punctula rubra lenticularum instar, sive po-  
*cundi:* tius papulae parvae, tubae, distincte pulicium mor-  
sibus similes prodire incipiunt, quae paullatim nu-  
mero & magnitudine auctae, & in racemos col-  
lectae faciem vario modo, & varia forma com-  
maculant. Constant autem rubri hujusmodi race-  
ni, sive corymbi ex patulis, nec valde diffitis  
pustulis, cutis superficiem paullulum excendentibus:  
quarum prominentia non solo tactu, sed  
oculis etiam proprius admotis percipitur. A facie  
porro, quam primo occupant, sensim ad pectus,  
dorsum, ventrem, brachia, & crura se se diffun-  
dunt. Fereque ex, quae trunco, & artibus insi-  
dent, latioresque sunt, & frequentissimae, rubo-  
re se potius produnt, quam protuberante elatio-  
ne; quamquam earum aliquae, si bene examinen-  
tur, inaequalem, asperaque cuticulum reddere  
non nihil videantur. Pro varia vero ægrotan-  
tium constitutione; sanguinisque natura in aliis  
latiores, in aliis minores, in quibusdam rubi-  
cundæ, aut pallidiores, aut etiam ad plumbeum  
colorem vergentes ab HOFFMANNO (*a*) prohiben-  
tur. Morbillorum eruptione facta, pleraque sym-  
ptomata graviora saepe mitigantur, immo inter-  
dum etiam cessant. In primis calor acer, lumborum  
dolor, delirium, spismi, & vomitus sedan-  
tur. Interdum post eruptionem multa billiosa ca-  
cochylia vomitione rejecta ægros insigniter levat.  
Ceterum tussis, quæ a principio ad finem usque  
morbis vexare solet, si non exasperatur, quod sae-  
pe ob morbillos in larynge, & trachea exortos \*

acci-

accidit, eadem saltem remanet, ejusque ope plerumque excreantur mucosā multa cum pectoris levamine. Præter tussim aliquandiu adhuc persistunt non raro, etsi mitiora, spirandi difficultas, oculorum rubor, lucis impatientia, lacrymatio, somnolentia, & cibi fastidium, brevi tamen desitura. Neque semper febris mox remittitur, nisi papularum fervore, & phlogosi subsidente. Die autem SEXTA, aut eadem inclinata pustulæ circa frontem, & faciem pallescunt; facies ipsa detumescit, &, cuticula arente ac disrupta, asperatur. Interea maculæ, quæ in reliquo corpore <sup>Tertiis ita-</sup>  
<sup>dii ini-</sup>  
<sup>tum.</sup> extant, latissimæ, & ruberrimæ apparent. SEPTI-  
MA deinde prope jam desinit febris, atque in facie morbilli evanescunt. OCTAVA in reliquo etiam corpore diffugiunt, sudore universalí, aut urinis multis subsequentibus, aut etiam alvi fluxu; qui plerumque naturam levat. Interdum tamen accidit, ut fluxus hic facile in diarrhoeam symptomaticam, tormentosam, colliquantem, & funestam, MORTONO observante, degeneret. NO-  
NA æger optime habet, & plerumque e febre vacuus est. Faciès, pectus, artus, & reliquæ partes quasi farina conspersæ videntur, frustulis disruptæ, & siccatae epidermidis secedentibus, & vix coherentibus, quæ squamatim decidunt, pruriunt ubique relinquentia, non vero labem, aut vestigium ullum. At incidit quandoque, ut evanescentibus morbillis eo, quo dixi, tempore etsi naturæ legibus consentaneo, febris tamen repente cum difficiili spiritu, & tussi molestiore augeatur, somnumque omnem tam die, quam nocte procul arceat. Non semper a metastasi, sive regressu morbillorum id oritur. Frequentius repetendum est ab imperfecta materiæ morbillosæ ad

cutim propulsione, qua de causa reliquiæ ejus ad pulmones delatæ peripneumoniam facile excitant. Huic infortunio eos in primis subjici censet SYDENHAMIUS, qui regimine, & medicamentis calefacientibus usi sunt, & sic sanguinem nimium exagitando effecerunt, quo minus tota materies morbillosa secerni, & ad cutim propelli posset. A reliquiis hujusmodi materiae intus restitantibus non raro tussicula, febris lenta, alvi fluxus exsiccationi morbillorum succedunt. Ab his tamen incommodis liberi fiunt, & perfecte convalescunt, ut animadertit TISSORIUS (*b*), qui in reliquo morbi cursu, aut sub ejus finem notabilem aliquam evacuationem habuerint, uti vomitum, diarrhoeam, in primis biliosam, urinam, aut sudorem largum. Harum enim ope excretionum febris omnino solvit, æger vires resumit, & perfecte sanatur. Concedit tamen, interdum sola insensibili cutis exspiratione reliquias veneni penitus difflari.

(*a*) HOFFM. *l.c.*

\* Non modo cutis, fauces, nares, oculi, & larynx morbillis occupantur, verum etiam dissectiōnibus anatomicis compertum est, viscera præterea thoracis, atque abdominis similibus pustulis obside ri. LIEUTAUD *Prec. de Med. l.c. p. 604.*

(*b*) *Avis au peupl. P. I. Chap. 24. §. CCXXIII,*

*Diagnosis.*

## §. CXX.

Atque hæc est benigniorum, & regularium <sup>Quomodo</sup> morbillorum historia, ex qua eorum diagnosis <sup>morbilli</sup> facile profluit. Inter initia tamen, antequam mor- <sup>prænoscit</sup> billi erumpant, eos prænoscere, & prædicere, res est aliquanto difficilior, atque obscurior. In stadio enim *contagii*, sive *effervescentie*; morbilli ne, an aliud exanthematum genus impendeat, non satis perspicuum est. Tunc disquirere oportet, num epidemicā constitutio morbillis faveat; num is, qui febri correptus est, eos nondum passus sit; an alii ex ejus consanguineis hoc morbo la- borent, utrum consuetudinem, & familiaritatem cum aliquo morbillis laborante habuerit, & de- dum an febricitans oculorum rubore, lachryma- tione, coryza humida, sternutamentis, dolore, aut ardore faucium, tussi sicca, & molesta, & somnolentia simul afficiatur? Si ista consentiant, de morbillis tutius conjecturam facies. Apparen- <sup>Morbilli & vario-</sup> tibus vero papulis, ne putas, omnem dubitatio- <sup>la valde similes in prima eruptione</sup> nem ablatam esse. Prima enim morbillorum ap- <sup>videntur.</sup>paritio magnam habet cum variolis cognationem, sic ut primo statim intuitu, uter morbus sit, de- cerni nequaquam liceat. Si qua tamen differen- <sup>Quanam differen-</sup> tia est, hanc esse existimat LIEUTADIUS (*a*), quod <sup>tia distin-</sup> pustulæ morbillorum in racemos collectæ, nume- <sup>guantur.</sup>rosiores omnino reperiantur, quam variolarum, etiam maximè confluentium. Præterea morbilli etsi in facie & fronte promineant, qui tamen in pectore, & artibus efforescent, rubore potius, quam elatione distinguuntur; quo sane discrimi-

ne dissentiant a variolis recens prodeuntibus, quæ semper, atque ubique protuberant, & cito adolescunt (*b*). Id etiam peculiare morbillis est, ut calor, febrisque citius, & velocius in ipsis invalescant, & symptomata ut plurimum vehementius urgeant, quam in variolis (*c*), saltem benignis.

(*a*) *Præc. de Med. l. 2. sect. IV. p. 603.*

(*b*) *SYDENH. l. c.*

(*c*) *TISSOT Avis au Peuple T. I. chap. XIV. §. CCXXII.*

### §. CX XI.

*Discrimen* Præterea natura ipsa discrimen inter morbillos, & variolas posuit, ne una confunderentur; variolas. quod tamen nonnulli perperam facere consueverunt. Discrepant autem inter se, 1. quod virus morbillosum non ita causticum neque ita exulcerans sit, ut variolosum; 2. quod pulmonibus magis officiat; 3. quod pustulas multo mitiores pariat; 4. quod hæ nunquam pus gignant, sed siccantur, & desquamentur tantum, nec ulcus ullum, aut cicatricem relinquant; 5. quod plus epidemidem lædant quam cutim; 6. quod affectibus catarrhalibus, tussi videlicet, coryza, sternutantis, oculorum lacrymatione, contra quam variolæ, stipentur; 7. quod hæmorrhagiæ narium, aut uteri frequentius morbillis, etiam inter initia superveniant (*a*), quam variolis. Majori vero affinitatem cuim morbillis certare videtur Purpura Scarlatinæ de qua supra retulimus. Ab ea tamen dissident, 1. quod ipsi supra cutim se efferunt; 2. quod affectus catarrhales modo memorati, illorum

tum veluti proprii, & perpetui comites sunt ; 3. quod spatia morbillis interjacent alba, oblonga, quadrata, multangula (*b*) dum contra in purpura scarlatina plana, æqualis, & continuata rubedo cutini ferme totam, aut maculis saltem latoribus, & erysipelatis similibus eam inficit ; 4. quod epidermis farinæ instar secedit, & decidit, in scarlatina vero frustulatim abscedit ; 5. quod tumor leucophlegmaticus, qui in scarlatina die vigesima prima aut vigesimæ secunda tantum supervenit ; in morbillis aut non cernitur, aut si unquam accedit, statim in fine tertii stadii se exhibet. Non prætermittantem demum adjicere, quæ ratione morbilli a periculis, atque ab exanthematis miliaribus internosci possint ; A primis differunt elevatione epidermidis, & macularum amplitudine, figuraque multiplici, & varia : ab alteris discriminantur, quod in facie prodeunt ; quod nullum humorem conspicuum in papulis ostendunt, dum miliaria faciei fere semper parcunt, & sensibilem humorēm continent, qui quandoque etiam in verum pus convertitur.

(*a*) HOFFM. de febr. sect. I. Cap. VIII. §. II.

(*b*) MORTON. l. c.

### *Prognosis.*

### §. CXXII.

Morbilli benigni, & regulares in pueris, & adolescentibus plerumque periculo carent, & feliciter cedunt ; nisi inepte carentur, aut malo regimine pervertantur. In adultis vero aliquanto gravius malum est, & quandoque periculosum.

Qui ex ægris, antequam morbillis corriperentur, diu male habuerunt, hi acutius ægrotare, & magis periclitari (*a*) solent. Morbilli opportuno, & regulari tempore exorti, & prominente, bene ominantur. Contra præmatura eorum eruptio, aut justo tardior suspecta haberi debet. Facta eruptione, si æger relevatur, & viribus valet, alacriorque evadit; si maculæ dilutæ rubent; si cutis æqualiter calet, & non nihil tensa renititur, bonum (*b*), & contra. Insida esse solet pustularum duratio ultra quatuor dies protracta. Quod si earum color ad nigrum vergat, & cutis flaccescere simul videatur, gangrænam, & mortem appropinquari significat. Huic malo ii, qui calefientibus medicamentis indulserint, & præ certe risi adulti, magis subjiciuntur. Subitus pustularum ex frigore admisso regressus ob metastasim semper metuendus est. Interdum (*c*) enim necem attulit. Diarrœa tamen superveniens perniciem quandoque (*d*) avertit. Si pustulæ debito tempore, id est, tertio, vel quarto ab eruptione diu incipiunt pallescere, resolvi, & exsiccati, & simul febris minuitur, & respiratio libefior cum facilis excretione sit, morbum feliciter solutum iri, indicium est. Tussis assidua cum alvi profluvio, & magna inquietudine infaustum præsagitionem (*e*) habet. Inflammationem enim pulmonum, in primis ubi calido regimine eruptio accelerata est, inducere potest, & demum in phthisim desinere (*f*). Hæmorrhagiæ immodicæ discriminis (*g*) plenæ; mali quoque sudores largi, & assidui in adultis, nam ex levissima tum caussa morbilli intro (*h*) vertuntur. Qui ex morbillis occumbunt; præsertim infantes, nono plerumque die, evanescentibus nempe exanthematibus infarctu bronchiorum, & pul-

monum oppressi (*i*), aut peripneumoniam præcipue  
*ii*, qui calidiore regimine usi sunt (*l*), suffocan-  
 tur sere inopinato. Diarrhœa quæ post morbil-  
 los exsiccatos, & depulsa reliqua symptomata ac-  
 cedit, & si diu persistat, & ad plures hebdoma-  
 das protrahatur; vires prosternit (*m*), & tabem;  
 & demum mortem (*n*) affert. Aliis post morbil-  
 lorum ultimum stadium succrescit lent febris cum  
 abdominis tumore funesto. In his post mortem  
 glandulæ meseraicæ obstructæ, & mole austæ,  
 pulmones vero vomicis referti (*o*) inveniuntur.  
 Non nullis remanet tussicula cum raucedine, quæ  
 facile in phthisim (*p*) terminatur.

(*a*) HOFFM. *l.c.* enarrat. *morb. obs.* 2.

(*b*) STORCK. *l.c.*

(*c*) HOFFM. *l.c.* *obser.* 6.

(*d*) *Id. ib. obser.* 2.

(*e*) *Id. l.c. sect. 1. cap. VIII. §. VI.*

(*f*) LIEUTAUD *Prec. de med. l. 2. sect. IV. p. 604.*

(*g*) HOFFM. *l.c. in cautel.* §: VI.

(*h*) *Idem ibid.*

(*i*) *Id. ib. (l) SYDENH. t.c.*

(*m*) *Idem ibid.*

(*n*) HOFFM. *l.c. §. VI.*

(*o*) *Idem ibid.*

(*p*) *Idem ibid. §. V.*

### §. CXXIII.

Absoluta diligentissime, quod per me licuit; *Venenum*  
 morbillorum historia, indaganda nunc est mor- *Morbillorum*  
 billosi veneni (*§. CXIII.*) natura, quo facilius, *sum est* peculiari  
 & rectius eorum curatio institui possit. Et primo *acrimonia*  
 quidem peculiari, & calida, ut loquuntur, acri- *preditum-*  
 monia illud præditum esse videtur, quod ubicun- *que*

*Ejus est que se defixerit, aut quoquinque se contulerit, factus.* partes vehementer irritat, inflammat, convellit, easque ad ubiores secretiones, atque excretiones, prout uniuscujusque organica structura fert, continenter sollicitat. Hinc profecto in oculis rubor, calor, lucis impatientia, lacrimatio; in naribus coryza, sternutamenta, catarrhus; in faucibus sitis, ardor, tumor, difficilis deglutitio; in larynge, & pulmonibus tussis sicca, assida, raucedo, respiratio cœta, difficilis, pectoris constrictio; in ventriculo cibi fastidium, nausea, vomitus, ponderis sensus, anxietas; in intestinis diarrœa, tortina &c. potissimum enascuntur.

*Cur certas partes afficiantur, quod ore, & naribus virus intro suscipitur, ut quidam nuntiat.*

*Duplex opinio:* (a) existimant, an potius in iis consistat ob affinitatem, & sympathiam, quam habet cum lymphaticis, mucosisque humoribus, liberum cuique esto pro arbitratu suo judicare. Qui primæ opinioni adherent, hoc præcipue argumentio utuntur, quod ii, quibus inoculatione morbus insertus fuit, plerique tussi catuerunt, aut certe multo mitior, quam soleat, existiterit. Qui vero alteram sequuntur; ore & naribus reliqua etiam venenata miasmata plerumque excipi perpendunt,

*Venenum istud cum sanguine commiscetur,* quin tamen hujusmodi loca acerbe, insigniterque affligantur. Quæ res utcumque se habeat, illud certissimum est, sanguini infundi venenum istud,

& febrem admodum ardente ciere, donec paulatim exsolutum ad summam cutim feratur, ibique sub epidermidè sparsum consistens, tandem desquamatione ejusdem, sudore, atque insensibili exhalatione diffletur. Quare alia hinc hujuscemodi exhalatione diffletur. veneni proprietas manifestatur, subtilis nimirum, ac volatilis ejus natura. Quam insuper tales esse

se appareat, 1. quod papulae, quas procreat, etsi Ergo subrubrae, & inflammationis cujusdam participes, <sup>tile, & volatile</sup> nunquam in suppurationem desinant; 2. quod facilius sit earum metastasis, & repulsio; 3. quod sanguis ita rarescat, & diffluat, ut non solum in primo morbi stadio, sed etiam in altero, & tertio <sup>Tale ostenditur tribus aliis phænomenis.</sup> hæmorrhagiae crebræ, & large subsequantur, interdum irreparabiles.

(a) ROSEN. l.c.p. 261.

### *Curatio benignorum.*

#### §. CXXIV.

Experientia saepissime demonstravit, morbillos <sup>sæpe sola naturæ sufficit.</sup> benignos, & regulares plerumque sola naturæ operæ ad faustum finein produci, immo esse interdum ita mites, & faciles, ut ægrotantes vix lesto obligentur. In universum igitur, si benignus <sup>Quando, & quomo-</sup> & regularis morbus videatur, si febris non vehementior sit, si non ingens pectoris angustia, <sup>ra relin-</sup> si æger alioquin sanus, nec ulla anteriore pulmonum labore affectus cernatur; res tota naturæ committatur, imperato tantum diætetico regimine, quod temperatum sit oportet, nec calidum nimis, nec nimis frigidum: nocet enim utrumque extreum. Vixit ratio non alia esse debet, <sup>Diæta;</sup> quam tenuissima; qualem nempe cibi cujusque fastidium, atque aversatio suadet. Quæ tanta plerumque est, ut ægri per aliquot dies ab omni alimento abstinere cogantur. At summum potuenda aqua ex hordeo aut oryza, aut ex pane decocta, quæ diluit, demulcit, temperat, & tenuiter alit. Eo spectat serum lactis, cremor

hordei, emulsa ex amygdalis dulcibus, & fructus acido-dulces, ut pruna, cerasa, pyra, malia, & similia. Primis diebus subinde lectum deferere possunt, ne nimium incalescant; sed caueant ab aere frigido, & quieti se dedant, & bis, vel ter in die dilutum aliquod florum sambuci, aut tiliæ, aut papaveris erratici tepide hauriant, ut conatus naturæ versus cutim adjuvetur. Quam primum vero eruptio in facie incipit apparere, lecto se committant, & in assiduo, blandoque tempore conquiescant. Cum enim morbilllosa materies mobilior, & fugacior sit, quam variola, majore cautione opus in morbillis est, quam in variolis, ne introvertatur. Hinc amovendæ sunt omnes caussæ, quibus quietum animi, quam corporis petuibari potest. Solidi custodes necessarii ægrotanti assideant. Occlusis fenestris solis radii arceantur, ne oculi nimia luce percellantur. Noctu vero cubiculum exiguo lumine, & languida flammula illustretur, eo etiam consilio, ne aer noxio vapore, atque fumo depravetur. Incepta, & perfecta eruptione pergent duos, tres, vel quatuor dies se lecto continere, quo facilius per cutis spiracula exhaletur morbidus fomes; sed nec cubiculum calefiat, nec stragula augeantur, ultra quam sani utebantur. Decedentibus porro pustulis, & desquamatione incipiente, abeuntibusque reliquis symptomatibus, alvus, nisi sponte laxata sit, leni eccoprotico ex manna, nitro, & tamarindis, aut simili alio semel, aut bis ad intervalla ducatur, & paullatim ad victum; & regimen convalescentium gradus fiat. Hinc absoluta desquamatione iterum ægris interdiu licebit e lecto surgere; dummodo tamen ab aere frigido religiose

caveant. Nam si exspiratio cutanea supprimatur, aut asthma periculosum, aut pertinacissima tussis, aut diarrhoea vires dejiciens, aut leucophlegmatia (*a*) facile consequitur. Toto morbi processu, si alvus non respondeat, quod saepe evenit in mittissimis morbillis sine noxa, solis enematibus, si res postulet, eam molliri subinde licet.

(*a*) STORCH. *l. c. p. 307.*

### §. CXXV.

Sed non omnium morbillorum, etsi e benignorum genere, est una, eademque, quam dixi, ratio, praesertim in adolescentibus, aut adultis, in quibus saepe aut caussarum complicatio, aut major veneni vis, aut corporis, humorumque constitutio, aut actas, aut vitae genus, aut aliæ conditiones faciunt, ut morbus non modo aliquanto magis furat, atque insolescat, verum etiam in quovis stadio quædam graviora symptomata exhibeat, quibus nec satis natura, nec solum regimen prospicit, sed aliis opus est artis auxiliis. Itaque cum primo statim stadio interdum febris valde vehemens sit cum pulsu duro, & valido, magna pectoris oppressione, tussi pernolesta, & reliquis symptomatibus pariter gravioribus, uti veterino, faucium dolore, oculorum inflammatione &c. iunc semel sanguis pro ratione virium mitti debet; atque etiam iterato, si prima sanguinis missio non satis morbi impetum (*a*) fregerit. Raro tertia opus est, ut admonet LIEUTAUDIUS (*b*), a quo in hoc stadio damnantur numerosiores phlebotomiae tanquam inutiles; aut

*Quando  
artis ope  
egerant.*

*Ubi san-  
guinis  
missione  
opus sis.*

et-

etiam noxiæ. At in adultis, quamquam reliquæ memorata symptomata deficiant, si tamen signa redundantis dumtaxat sanguinis adsint, primis mox diebus eum detrahendum esse, auctor est HOFMANNUS (c); immincta enim vasorum plenitudine, hæmorrhagias averti, anxietates, inquietudinesque sedari, & facilius exanthemata deinde prodire, merito confidit. Nec a sanguine mittendo, ubi plethora ingens, aut hæmorrhagia gravis, aut aliud aliquod symptomata urgeat, abhorret ipse MORTONUS, qui ceteroquin in hoc stadio, ante videlicet morbillorum eruptionem, sive efflorescentiam, generatim negat, venæ sectioni locum ullum esse.

- (a) TISSOT *Avis au peuple* P. I. §. CCXXV. n.
- 1. STORCK T. I. p. 306.
- (b) *Prec. de med.* I. 2. p. 604. 605.
- (c) *L. c. observ. Clinic.* §. I.

## §. CX XIV I.

*Quæ san-* Ubi vero sanguinis mittendi indicatio non ad-  
*guinis* modum perspicua est, aut sanguine jam missa,  
*missionem* suppletant, symptomata eadem persistant, prudentis medici est  
*supplementum* temperantia, & antiphlogistica, uti potum lar-  
gum ptisanæ cum nitro, melle, & aceto, aut  
seri lactis leviter Tamarindis, aut Cremore Tar-  
tari imbuti prius tentare, quam ad phlebotomiam  
propere nimis instituendam, aut iterandam pro-  
cedere. Sanguinis fervorem nimium, febrisque  
concitatiorem motum sæpe temperant, & compe-  
scunt sola enemiata mitiora, & refrigerantia. A  
capite egregie revellunt, siveque cephalalgiæ, so-  
pori, eclampsia, oculorum, & faucium inflam-  
ma-

mationi solamen afferunt balnea tepida pedum & crorum, quibus etiam efficitur, ut universa cutis laxetur, & eruptioni exanthematum recipiendæ paratiōr evadat. Mirifice etiam dolorem faucium & tussim lenit, & pectoris oppressionem minuit vapor aquæ repentis ore inspiratus (a), præter eclegimata demulcentia, & oleosa, & potionēs pectorales & anodymas. Ut vero calefacentia in quovis hujus morbi stadio, acriorem, & subtiliorem materiam reddendo, atque astuationem, anxietatemque augendo, & vires dissipando maxime nocent: sic nimium refrigerantia, & nitrosa, præsertim in infantibus, non parum suspecta videntur HOFFMANNO (b); quia eruptiōnem retardant, & retenta ipterius morbillosa acrimonia visceribus sphacelum, aut gangrænam minatur. In refrigerantium ergo usu medicum considerare, prudenterque se gerere oportet, ne modum unquam excedat, necessariamque effervescentiam, qua in hocce stadio natura utitur ad morbidum virus expellendum, nimium cohibeat.

(a) TISSOT l. c.

(b) L. c.

## §. CXVII.

Alvus etiam præter modum compressa, & multo magis, si ab aliquot jam diebus nihil dejecrit, inter initia protinus, quia anxietatem, & inquietudinem auget, laxanda est enemate blando, & molliente, aut etiam lenissimo eccoprotico. Valentibus vero agere convenit, si cum morbillis saburra primas vias prægravans complicetur, sive ablationem petat. In eam autem sic inqui-

*Alvus  
compressa  
enemate  
laxanda.*

*Saburra  
gastrica  
sive abla-  
tionem  
postulas.*

quirere oportet, ut certo de ejus præsentia constet. Nam lingua albicans, nausea, vomituritio, ponderis sensus in epigastrio, anxietas, quæ alias faburræ gastricæ indicia habentur, in hoc *conta-*

*Lingua* *gii*, sive *effervescentia* stadio sunt plane *ambit-*  
*albida*, *gua*, & *fallacia*; possunt quippe febris aliquanto  
*nausea*, *vomitus* *vehementioris*, & nervosæ perturbationis a mor-  
*signa* *fals-*  
*billoso* veneno inductæ effecta, & symptomata  
*lacia*.

esse sine ulla cacochiliæ gastricæ culpa. Quo casu nemo non videt, linguæ albidum colorem a febrili calore, nauseam, vomituritionem, & præcordiorum anxietatem, & reliqua a solis ventriculi, duodeni, diaphragmatisque spasmis proficiisci; quod proprium omnino est omnium fere morborum exanthematicorum, in quibus plerique ista, eruptione demum facta, idest caussa eorum materiali ad cutim protrusa, cessare, atque evanescere consueverunt. Ne igitur præpostere eo in casu emetica, aut cathartica adhibentur, paullo diligentius querendum est, an certiora cacochyliæ gastricæ signa cum illis concur-

*Certiora* *cacochy-*  
*liæ* *signa*. *rant*; nempe an pravus, amarusve oris sapor ad-  
*fit*, an quæ vomitu rejicitur materies, pituitam  
acidam, aut bilem flavam, viridem, porraceam,  
aut nigricantem, aut alia corrupta recrementa  
referat; an antecedens victus ratio, vitæ genus,  
annique tempus hujusmodi fuerint, quæ colligen-  
dis circa ventriculum sordibus apta sunt, an erudi-  
tates, dyspepsiae, anoreziæ, alvi tarditas præi-  
verint, an oris halitus foeteat, an color faciei,  
aut urinarum subictericus videatur, an ègestio-  
nes putridam indolem ostendant, an epigastrium,  
& hypochondria tumeant, an flatibus, & borbo-  
rygmis intestina distenta obmurmurent, aut inu-  
tilis desideri cupiditas adsit; Si ex his manife-  
stot

stior fiat primarum viarum saburra, danda est opera, ut quam citissime expellatur. Vomitus igitur, qui ad quævis assunta instat, aqua tepida mellita, aut levi cardui benedicti, aut chamæmeli decocto tepide hausto, & si satis non sit, oleo olivarum addito primum leniter promoteatur; si hoc non satis evacuatum sit, ad leve aliquod emeticum progredi licet, ex Ipecacuanha\*, aut Tartaro emetico depromptum. Si vero vomitui locus non existat, aut saburra intestina magis, quam ventriculum oppleat, cathartico uti expedit æstati, viribus, temperamento, corporis habitui accommodato. HOFFMANNUS syrupo cichorei cum Rhabarbaro (*a*) addendum præcipit Tartari emeticæ granum dimidium, quo medicamentis vis aliquantulum acuatur.

\* Pro Bimulo, aut Timulo ROSENIUS utitur sequenti formula. Rec. Ipecacuanhæ grana tria, sacchari albi grana sex. M. f. pulv. dividend. in tres part. æquales. Danda est una ex cochleari aquæ, aut syrapi alicujus gratioris. Si intra quadrætem horæ non edit suum effectum, detur altera, & si intra sesquihoram nihil præstiterit, detur etiam tercia, quæ effectum certum, nempe vomitum satis lenem, pariet. Pueri facilius; & tutius vomunt orbicularum laxitatem, & humidiorem corporis habitum. Inter eccoprotica idem Auctor præfert Rhabarbarina. Pro Trimulo satis esse putat Tincturæ Rhabarbari cochlear unum, vel ejusdem dilutum aquosum ex Rhabarbari drachma dimidia per noctem in tribus cyathis aquæ communis infusa, in tres haustus dividendum.

(*a*) *L. c. Observ. Clin. §. I.*

*saburra  
detecta  
quomodo  
evacuan-  
da,*

## §. CXXVIII.

*Eclampsia* Infantes, & pueri si eclampsia, aut convulsio-  
*quomodo* nibus ante eruptionem morbillorum corripiantur,  
*curanda*: ni sponte, & cito id mali desinat, quærendum,  
 utrum a nimia nervorum mobilitate, vel a den-  
 titione, vel a vermis, vel a plethora, vel a  
 difficulti eruptione gravius ægrotent. Nimiam mo-  
 bilitatem sedat liquor cornu cervi succinatus ad  
 paucas guttas ex aqua florum Tiliæ datus, aut  
 liquor anodynus mineralis HOFFMANNI, aut sy-  
 ruppus papaveris albi aque cerasorum nigrorum,  
 aut Melissæ additus. Hæc ipsa dentientibus quo-  
 que prosunt, in primis si enemate blando, &  
 mollienti intestina eluantur. Vermes vero si in  
 suspicionem venerint, anthelminthicis, uti coral-  
 lina, seminè santonici, radice valerianæ silve-  
 stris, similibusque oppugnandi, & evacuantibus,  
 uti tyruo florum persici, cichorei cum Rhabar-  
 baro, mercurio dulci expellendi sunt. Plethora  
 si in caussa videtur, minuatur sanguinis detra-  
 ctione per venam incisam, vel hirudines locis  
 idoneis applicitas. Cunctantibus vero erumpere  
 exanthematibus nihil potest esse opportunius uti-  
 liusque, quam diaphoresim leniter ciere diluto  
 florum sambuci, aut papaveris erratici, vel de-  
 cocto radicis Scorzoneræ moderate calido, iden-  
 tidem sorbillato, atque interim crura, & pedes  
 pannis laneis ex calida expressis involvere, ut  
 vapore aqueo laxata cutis humorem morbillosum  
 alliciat extorsum. Nec aliena quandoque sunt  
 vesicantia, ubi languida vitæ actio eruptionem  
 retardet (a).

(a)

(a) FORSTENIUS de Cantharid. p. 167. Argentorat. 1776.

### §. CXXIX.

Lactentes spasmis quoque, & anxietatibus sa-  
pe ex saburra primarum viarum, vel lacte ace-  
scente obnoxii fiunt. Eccoproticis, & enemati-  
bus illa protinus subducenda est. HOFFMANNUS  
sextam grani partem tartari emetici ex duabus  
drachmis aquæ florum Tiliæ propinare (a) non  
dubitat, ut protinus liberentur: Viri hypochon-  
driaci, & mulieres hystericae morbillis laborantes  
saepè in spasio; animi defectiones, spiritus diffi-  
culturam, præfocationesque cum gutturis constri-  
ctione, & ingenti præcordiorum anxietate inci-  
dunt: Quibus fit, ut exanthematum eruptio quam  
maxime retardetur. Caveto tunc, ne temere sa-  
burrae gastricæ symptomata ista putas. Nocerent  
enim quævis medicamenta, quæ per superiora e-  
vacuationem moliuntur. Nam tum antispasmodi-  
cis, atque enematibus partim paregoricis, partim  
carminativis opus est. Ubi vero menstrua, vel  
hæmorrhoidum fluxus subsisterint, aut immineant,  
vena in pede secta remedio est. His enim effi-  
citur, ut brevi post morbilli feliciter (b) efflore-  
scant.

Qua ratione in  
lactantibus spas-  
mi profili-  
gandi.

Item in  
hypochondriacis,  
aut hystericae,  
quid con-  
veniat.

(a) L. c. Observ. IV.

(b) HOFFM. L. c. caut. & observ. Clinic. §. III.

## §. CXXX.

*Diffilla-  
tioni acri  
in fauces  
cadenti  
quenam  
succur-  
rant.* Tanta quandoque est humoris actris in fauces distillatio, ut non modo in laryngem depluens tussim, quæ jam assidue vexat, molestiore redat, verum pharyngem etiam, œsophagumque vellicando ad vomendum sæpe provocet. Hoc in-

commodum leniunt egregie guumi arabicum, aut Tragacantha aqua in mucedinem subactum, cremores oryzæ, hordei, aut avenæ cochleatum crebro sumpti, & gargarizationes ex lacte, aqua florum sambuci, & melle, ut demulcent, & abstergent; quorum etiam usus faucium dolori, atque inflammationi non infrequentí egregie medetur, præsertim si simul externe fomenta, & cataplasmatu[m] mollissima, & anodyna admoveantur.

*Accida-  
tussim ex-  
esperant.* Ratione tussis, quæ non in hoc solum statio, sed etiam in reliquis perimolesta esse solet, acida quæcunque sive in potionibus, sive in edulis, quamquam in aliis exanthematicis morbis liberali manu concedantur, in morbillis tamen, quia tussim valde exasperant, parcus, & cautius

*Cautiones  
circa hyp-  
notica.* adhibenda esse cum ROSENIO arbitramur. Tussis pariter leniendæ caussa hypnotica a multis propoununtur. SYDENHAMIUS multis de caussis singulis noctibus ab ineunte morbo ad finem usque dia-codium dabat. Idem fecerunt postea, qui Sydenhamianis præceptionibus institerunt. Sed ad hujusmodi remedia non deveniendum esse, nisi urgente necessitate, vult MORTONUS; & si ob tussim, vigilias, deliriumque interdum somniferis, & ex opio paratis medicamentis aliquando locum aliquem concedat, parea, & cauta manu ea

ad-

adhibenda præcipit. Cautione eadem utitur LIEUTADIUS, immo cavit, & vetat, ne infantibus ullo modo propinentur. Multa etiam passim dicuntur a Cl. TISSOTIO contra improvidum eorum usum. Febrem enim, & soporosos affectus augere soleut. Prudentis igitur medici erit in hoc morbi stadio ab iis abstinere, aut certe, si quid ea postulare videatur, uti si alvi fluxus nimius cohibendus sit, quam parcissime, & rarissime iis uti, & semper mitissimis. Vesicantia quoque eamdem prope animadversionem requirunt. Hinc in benignis morbillis, atque in eorum effervescentia reprobantur generatim; & si unquam admitti debeat, tum sane id erit, cum spasimi, eclampsia, coma grave perniciem minantur. Quandoque etiam tussis per molesta nulli alii remedio cedere visa est, quam vesicantibus avocato scilicet extrorsum acri humore, quia faucibus, laryngi, pulmonibusque pertinaciter adhaerebat (a).

*De vesicantibus animadversione.*

(a) FORSTEN. *Disquisit. med. cantharid.* p. 167.

### §. CXXXI.

Exacto primo stadio, & eruptione jam adveniente, quædam interdum incident, consideratione digna, quorum breviter hic mentionem faciam. Ac primum scire licet, morbillorum eruptionem, quamquam æger, ut debet, quieti, & leni diaphoresi, quoad potest, det operam, nihilominus diutius, quam par est interdum cunctari, & lente procedere. Tunc quærendum diligenter est, utrum plethora, aut concitator febris motus, aut contra languidior vis vitez impedit.

pedimento sit. In primo, atque altero casu plethoræ imminutio, & febrilis æstus temperatio per diluentia; & refrigerantia eruptionem accelerabunt. In tertio vero præter potum largioremen leniter cardiacum, & alexipharmacum, & prudentem vesicantium applicationem supra propositam (§. CXXVIII.) camphora; aut moschus prima tenent. Vires enim vitæ sic eriguntur, & humorum ad cutim propulsio mirifice promovetur. Huic quoque fini favent spiritus corni cervi succinatus, spiritus Mindereri, aut vini haustulus. Non nulli lene emeticum proponunt, ut pote excitans vim vitæ, & sudores prolixiens. Sed, nisi simul ventriculi cacockylia extundenda sit, præstabit, eo omisso, per mitiora, & urtiora, quæ modo indicavi, medicamenta natu-ram excitare.

§. CXXI.

*Eruptio inqualis* Si efflorescentia, postquam apparuit, modo rubor beat, modo pelleat, aut partiatim tantum, & quibus adjuvanda successively se ostendat, vel quedam papulae rubrae videantur, dum aliæ pallidæ conspicuntur, tunc cardiacis, & alexipharmacis leniter earum eruptio adjuvanda est. In primis camphora ad id maxime valere perhibetur. Eo quoque spectat vesicantium prudens applicatio, quamquam id auxilii in malignis, & ubi vires vitae multum languent, praestare videatur. Quod si repente exanthematum rethemata se subduxerint, & timor sit, ne introgressus, versa materies alicubi lethalem metastasim faciat, stutes. exempli extrorsum avocanda sunt iis auxiliis, quæ ad lentam, atque imperfectam eruptionem supra commendavimus, praesertim diluto florum sain-

sambuci abunde hausto, camphora, moscho, cucurbitulis siccis, fricationibusque adhibitis, atque epispasticis cruribus, aut cervici, si capiti malum impendeat, celeriter admotis; immo sunt qui suadent ægrum in balneum tepidum illico demittendum esse. Ne vero hujusmodi infortunium obveniat, danda opera est, ut frigus, mœror, pavor; aut alii animi subiti motus solertissime arceantur.

### §. CXXXII.

Si in hac periodo magna adsit inquietudo, & <sup>Quando</sup> vigilia, syrupo diacodii, in primis vesperi, ægri <sup>opiatis,</sup> ad quietem, & somnum componendi sunt, ut <sup>& semni;</sup> feris <sup>uti</sup> absolutior, & perfectior exanthematum expulso <sup>liceat.</sup> consequatur. Neque hoc tempore MORTONUS, qui hypnotica, & opium habentia in primo studio reprobavit, ab iis valde abhorret; dummodo respiratio libera sit, & nullus instet præfocatio- nis metus. Immo in alvi fluxu immodico non dubitat ad paregorica confugere. Ipse tunc præ- fert reliquis Laudanum liquidum Helmontii, cu- <sup>Diarrhea</sup> <sup>quomodo</sup> <sup>moderan-</sup> jus guttas tres, vel quatuor, vel sex, vel de- da.

cem, vel duodecim pro ratione ætatis dandas ju- bet, donec alvi profluvium decrescere incipiat. Moderandam enim, non sistendam ejusmodi eva- cuationem tradunt cum MORTONO plerique. Quem in finem decoctum album etiam, tintu- ram rosarum, lac aqua plus minus dilutum, atque alia hujus generis adhiberi volant. At HOFFMAN- NUS, cum plerumque hac via morbidam materiam utiliter emendari viderit, adstringentia quæque hic rejicit, & clysteribus deimulcentibus intestina

eluenda (*a*) subinde esse autumat. Sunt præterea quædam alia symptomata, quæ, quia in hocce stadio vel increscunt, vel valde molesta atque incomoda esse pergunt, aliquod solamen requirunt; cujusmodi est tussis, oculorum rubor, & lacrymatio, & frequens sternutamentum. Tussis leniensq; quid conserat, jam supra (§. CXXVI. CXXX.) memoravimus. Dulcia generatim, uti syrups altheæ, capillorum veneris, violarum, papaveris erratici, succus glycyrrhizæ hispanicæ, trochisci radicis altheæ, saccharum candi, atque ex his parati, additione olei amygdalarum dulcium recentis, linctus celebrantur. At temperamentum aliquod in eorum usu adhiberi cōporet, ne diarrhoeam inferant, aut præsentem adaugeant in ægri detrimentum. Oculorum ruborem, ardoremque mitigant collyria ex aquis rosarum, & plantaginis vel solis, vel lacti admixtis; quibus etiam addi solet interdum aliquid ex trochiscis albis Rhasis. Sternutamenta vero tollit, aut certe minuit lac tepens in nares attractum; aut injicitum.

(*a*) Loco cit. observat. 5.

### §. CXXXIV.

*De tertii stadii visitatione.* In tertio deinceps stadio, quod exsiccationis sive desquamationis vocatur, morbi judicium discernitur. Igitur in eo vel sanitas, vel mors, vel transitus in aliud morbum expectandus est. Sanitas obtinetur leni diaphoresi, vel sudore, quo febris solvit. Futuram hujusmodi criti-  
conferat. quam excretionem indicat pulsus pacatior, & cu-  
tis

sis mollior, atque humidior. Hisce signis ap-  
 parentibus; satis est naturæ potu copioso obse-  
 cundare. At si diaphoresis, aut sudor sponte  
 non accedit, aut cunctari videatur, nec tamen  
 ulla indicia existent futuri alvi fluxus, uti sunt  
 hypocondriorum tensio, elatio, ventrisque borborygmi,  
 natura tum potu diapnoico, & calen-  
 te, camphora, aliisque lenibus diaphoreticis sol-  
 licitari debet ad diaphorismi, hæcque iisdem su-  
 fineri, donec febris omnino cessaverit. Contra *Alvi fluxus Cri-*  
 si epigastrum tumeat, hypocondria tantur,  
 si cutis arida deprehendatur; si ventef torminibus  
 aut borborygmis turbetur; non sudore, sed  
 alvi fluxu morbum solutum iri, cognoscitur.  
 Hic autem alvi fluxus interdum ita præcep-  
 supervenit, ut decies, aut duodecies intra bre-  
 ve temporis spatium venter laxetur. Caveret  
 tum oportet ab iis, quæ hisce dejectiones co-  
 hibeant; nam criticæ, salutarésque esse consue-  
 verunt. Salutares autem revera esse conjicies  
 ex virtuti constantia; majore ægræ alacritate,  
 tussis mitigatione, oculorum nitore redeunte,  
 epigastrio, & hypochondriis detumescentibus.  
 Quandoque alvi fluxum comitantur dolores in-  
 testinorum molesti, Si h̄i fomentis calidis ven-  
 tri applicitis, non conquiescant; enemate de-  
 mulceri possunt; aut theriaca abdomini imposi-  
 ta, aut etiam dato Rhabarbari diluto, aut se-  
 ro lactis tamarindis alterato, aut oleo dulci  
 olivarum, quod tutius est, cochleatim subinde  
 propinato, ut citius intestina a nocua materia  
 resistante, adhaerenteque liberentur, Quid si  
 alvi profluviu diutius, quam par est, persi-  
 stat, vires prosternat, & colliquans videatur;  
 tunc protinus comprimi debet Diaſcordio Fra-

*Cautela circa eumō*  
*si cum torminibus jun-*  
*gitur, quid a-*  
*gendūm.*

*Quando compe-*  
*scendens;*

castorii, Laudano cydoniato, Theriaca, decocto  
albo, cascarilla, cortice peruviano, pulveribus al-  
calicis, aliisque (a) sistentibus.

(a) ROSEN l.c. LIEUTAUD l.c. HOFFMANN. l.c.  
§. V. in cautel.

### §. CXXXV.

*Peripneumonia in fine tertii adiis super perver- curatio-* In summum vitæ periculum adduci ægrotantes, immo repentino quasi fato suffocari nono fere die, evanescens nempe morbillis, & febre recrudescente cum peripneumonie, aut pleuritidis signis, supra (§. CXIX. & CXXII.) jam notatum est. Quod ubi incidit, protinus sanguinem e vena brachii vel in tenerissimis infantibus miti, quod semper felicissimo eventu fieri affirmat SYDENHAMUS (a), cantharidibus dorsi partem, quæ scapulis interjacet, & latus, quo dolor percipitur, exulcerari, multum aquæ cum nitro, atque oxymelæ potui dari, & camphoræ aliquid intrinsecus præberi oportet. Finem vero sanguinis missione iterandæ imponat respiratio liberior facta, & sputum facilius, & promptius. Tunc, omissa camphora, solo decocto hordei mellito, austero lactis uti expedit, injecto bis in die molli enemate, ut alvis aperta servetur. Interdum tamen nec febris, nec spirandi difficultas, nec pectoris oppressio adeo urget, ut sanguinis missione opus sit. Tunc omitti eam posse, auctor est TISSOTIUS (b). In habitu pinguiori præditis, in quibus fibrarum laxitas, humorum lymphaticorum copia excedere videtur, idem vir doctissimus suadet, vessicantia cruribus admovenda esse, & dandum intrinsecus oxymel scilliticum. Sin vero ista

*Quando sanguinis missio o- mitti pos- fit.*

pe-

negligi contingat, vel suffocatione pereunt ægri, vel suppurato pulmone in phthisium labuntur. Tanta autem est sanguinis missionis utilitas, ut ea diarrhoeam ipsam morbillis supervenientem curari dicat SYDENHAMIUS. Revertitur enim sic ab intestinis morbillosa materies, quæ ad intestina de-lata sua acrimonia alvi fluxum exciverat. Qua ratione demum aliis symptomatibus succurrendum sit, vel morbi secundarii, qui morbillos inter-dum subsequuntur, præcaveri, aut jam præsen-tes tolli debeant, peculiari capite, postquam de malignis sermonem absolvero, quoniam in his frequentius eveniunt ejusmodi successione, infra demostrabo. Nunc hoc unum addam, pleraque ista mala anteverti, si ab initio regimine anti-phlogistico \*, & diluentibus febris impetus fue-rit retusus, atque evacuationes, quas natura mo-litur, prudenter (c) & blande promotæ, & de-mum si cessante febre, arefactisque morbillis al-vus leni medicamento ducatur, idque interjectis aliquot diebus iteretur bis, vel ter, ut si quæ morbidi fomitis reliquæ supersint, paullatim e corpore deturbentur.

*Diarrhaæ etiam ver-nefectio-ni obtem-perat.*

*De alii. sympto-matibus, & morbi successio-nibus po-stea.*

*Quo mo-do præca-veri pos-sunt.*

(a) L.c. MORTON i.c. ROSEN. l.c.

(b) L.c. §. 226.

\* THOMAS DICKSON defendit methodum simpli-cem, & antiphlogisticam SYDENHAMII contra MOR-TONUM, & MEADIUM, *Comm. de reb. in med. & scient. nat. gest. Vol. XVIII. T. 3. p. 401.* Non reti-cenda est methodus morbillos curandi, qua in quadam epidemica constitutione usus est GONTARDUS (vid. *Journal. de Medec. T. VIII. p. 338.*). Is mor-billos pro inflammatione erysipelatode, quæ inter-nas, externasque partes afficiat, habet. Hinc re-solvere eam parat sanguinis missionibus, emeticis,

& demulcentibus. Hac ratione morbillos epidemicos ann. 1756. feliciter se curasse narrat, adductis que historiis rem comprobat. Video ejus methodum a SAUVAGESIO expositam, commendatamque. Sed venia & pace ejus non possum dissimulare, nimium mihi videri & venæsectione, & emesi, & alvi ductione esse abusum in morbo, qui ut plurimum solo idoneo regimine egēt, &, si quando majore artis auxilio opus habet, non sine deliberatione, & maturo consilio licet ad sanguinis missionem, ad emetica; aut cathartica, ad generosiora nimirum præfidia in eo devenire.

(aj TISSOT. l. c. §. 224.

## M O R B I L L I M A L I G N I.

### §. CXXXVI.

*Multa communia cum benignis* Hi multa cum benignis habent communia; *cum benignis.* qua de causa a plerisque una describuntur *gnis.* utriusque. Sunt enim & ipsi pleruinque epidemicī, raro sporadici. Ingruunt fere, ut benigni, Januario, & Februario mense; invalescent ad vernum usque æquinoctium: deinde successive decrescent, donec appetente solstitio æstivo, aut paullo post penitus desinant. Epidemici maligni existitē morbilli, quos anno 1674. Londini vidit SYDENHAMIUS (a). Modo præcedenti insalubrium temporum, aerisque constitutioni, modo aliis caussis fortuitis, & præsertim regimini calescenti, aut omissæ reæ curationi suam originem (b) debent; processumque eundem servant, quem benigni in tria videlicet stadia distinctum, cum plerisque symptomatis parum dissimilibus. Nihilo tamen minus sunt quedam malignorum propria, qui-

quibus a benignis discernuntur, & reapse sejungendi videntur.

(a) Oper. sect. V. cap. III.

(b) HOFFMAN. l.c. cap. VIII. §. V.

### §. CXXXVII.

Ac primum in malignis aut multò citius, aut <sup>Propria</sup>  
multo tardius, quod frequentius est, quam in <sup>maligno-</sup>  
benignis, exanthemata efflorescunt, nimirum ante tertiam vel quartam, vel post quintam, sextam, septimam, immo interdum octavam diem tantum. Quando igitur tardius eruptio contingit, ideo id evenit, quod ab initio vires vitae pene obruuntur, longiorique tempore egent ad secernendum, expellendumque virus morbillosum. Hinc in primo stadio, quando longius est, plerumque symptomata non admodum vehementia sunt; nec adeo velociter, uti in benignis, invalescent. Invalescent vero vehementius omnia, paullatim viribus exstimulatis, atque erectis, post eruptionem morbillorum, contra quam in benignis fieri consuevit; nam in his potius ab eruptione non nulla sedantur, & conquiescunt. At quando primum stadium brevius est, & citius solito eruptio contingit, morbus ut plurimum pessimis statim cum symptomatibus exorditur. Pustulae præterea non primum in facie, sed circa humeros, & pectus se exserunt, deinde in reliquis partibus; vel certe non generatim, ac universum erumpunt, sed successive, partem unam post alteram occupantes. Hinc, ut primum stadium longius plerumque est quam in benignis, sic hoc alterius etiam multo diutius protrahitur. Non

taro ancipīti eventu ad decimum septimum , & vigesimum usque diem producitur (a). Neque color earum constans est, nam modo viget , modo pallet , modo livet ; aut ex rubro etiam nigricat , & saepe cutis ipsa flaccescit (b). Interim eruptione facta plerumque omnia symptomata ingravescent . Febris intenditur cum pulsu validiori , & crebriori , & duro , tussi frequentiori , sicca , & pene continua , spirandi difficultate majori , anhelitu , anxietate , pectoris oppressione , dolore laterali lacinante , & quandoque motibus convulsivis . Cutis a materia morbi vellicata rubore suffunditur , & leviter sudat . Urinæ contentis , & colore saturantur . Fauces dolent , & tument ; oculi acrius irritantur . Hinc ophthalmia , angina , peripneumonia , pleuritis , aliaque mala inflammatoria consequuntur (c) . Demum observatio SYDENHAMI est (d) , malignos morbillos rarissime desquamatione terminati ; quod alias in benignis perpetuum est . Interdum nova eruptio succedit antecedenti , aut morbillis miliaria exanthemata , vel particulæ superveniunt (e) . In eorum porro exsiccatione , & discessu multo frequentius , & sine evidenti causa febris , & tussis , & spiritus difficultas cum ardore , siti , calore intensioribus recrudescunt , & peripneumoniæ lethales , aut alii morbi acuti inducuntur , qui nisi cito enecent , intentos facile transeunt .

(a) MORTON. *l. c.*

(b) STORCK. *T. I. p. 314.*

(c) MORTON. *l. c.* STORCK. *l. c.*

(d) *Oper. sedt. V. cap. 3.*

(e) HOFFM. *l. c. enarrat. morb. obs. I. &c. l. c. cap. VII. §. V.*

## §. CXXXVIII.

Ex his facile liquet discriminem, quod inter benignos, & malignos morbillos intercedit. In universum vero illud probe tenendum, omnia symptomata, quæ benignos comitantur, in malignis multo graviora, & pertinaciora esse. Præterea horum certiora, & solemniora signa passim habentur ingens jam a morbi ingressu virium prostratio, oscitationes, & pandiculationes crebræ, inquietudo summa, interdum extremorum strigus, capitis, lumborumque dolor; vertigo; pulsus celer, inordinatus, & parvus, & urinæ tenues & pallidæ in primo stadio; deinde in altero ille magnus, & vehementior, hæc vero turbidæ, & coloratores; nausea, & vomitus molestiores, deglutitio dolorifica, & difficilis, respiratio frequens, & parva, aut inæqualis, tendinum subsultus, somnolentia, mentis perturbatio, delirium, oculorum rubor intensior, vox rauca, tussis ferrina, suffocationem ferre initans, haemorrhagiae immodecæ, alvi fluxus, convulsiones, atque alias (a) hujusmodi,

(a) HOFFM. l. c. sect. I. cap. VIII. §. V. MEZA compend. med. Pract. Fasc. I. cap. XX. §. 289.

## Prognosis.

## §. CXXXIX.

Signa prognostica, quæ supra (§. CXXII.) exposita sunt, huc quoque transferantur; nam cum benignis, tum malignis morbillis æque quadrare pos-

possunt. Speciatim vero maligni & præteritum epideinici exitiosiores sunt benignis, & sporadicis. Quo longiora stadia habent, eo majus periculum portendunt. Hinc tardior, & senior eorum eruptio, semper deterior est. Eruptionis ultra tres dies protractio malum significat; nam febris, quæ in malignis eam comitatur, cum intensior sit, si diutius protrahitur, pessimas inflammationes cære potest. Nec meliora promittit eruptio lenta, & per vices rediens. Naturæ enim defectum, atque irritos conatus facultati expulsive ostendit. Color præterea incertus, aut cito pallescens, aut tricoloris triste augurium dabit. Eruptione jam ad finem vergente, aut exsiccati incepta, si febris nihil remittat, & æque persistat, non vacat (*a*) periculo. Discriminis magnitudinem augent maculae scorbuticæ, aut peticulæ, aut miliaria atthematata cum morbillis complicata, & multo magis, si tertio in stadio denum (*b*) superveniant. Morbo autem imperfecte soluto, quod superest morbillosi veneni retenti, tussim, dyspnoeam, appetitus defectum, oculorum chronicos effectus, atque alia mala relinquunt; immo sæpe fundamenta jacit diarrhoeæ pertinacis, phthiseos pulmonatis, atrophiarum, lippitudinis, scrophularum, interdum etiam anasarcarum, aut hydropsis (*c*). Sed hydrops, anasarca, glandularum tumores strumosi frequentius e purpura scarlatina, quacum morbilli confundi quandoque solent, permanant.

(*a*) MORTON. *I. c.*

(*b*) HOFFMAN. *I. c. §. V.*

(*c*) MORTON. *I. c.*

*Curatio Malignorum.*

## §. CXL.

Pleraque eorum, quæ morbillis benignis curandis ( §. CXXIV. CXXV. & seq.) accomodata recensui, malignis quoque convenientiunt. Omisa igitur eorum repetitione, tamquam supervacua, pauca quædam solum attingam, quæ huc proprius spectant. Primum curandum est in primo stadio, ut ægri lectulo se addicant binos aut ternos saltem dies ante eruptionem, quo eetis viæ laxentur, & magis patule reddantur. Sed nec stragulis, nec calori, quibus sani assueverant, quidquam adjiciatur. Jura carnium, & multo magis carnes ipsæ e victus ratione ablegentur. Satius erit solis jusculis avenaceis, vel ex hordeo, aut oryza paratis sed dilutioribus, & pomo subinde cocto vesci, vel lacte cum triplo, aut quadruplo aquæ leniter decocto pro alimento simul, & potu uti (a). Quando emesi, aut catharsis opus sit, jam supra (§. CVXVII.) declaravimus. Sed animum etiam ad epidemicam constitutionem *Epiensis*, advertere oportet, prudenterque tentare, conferatne, an noceat purgatio. Quod attinet ad sanguinis missiōnēm, plerumque in primō stadio malignorum ob virium dejectionem, pulsuumque languorem, & parvitatē non videtur ea opus esse. MORTONUS certe eam tum generatim rejiciendam putavit. Sed hic quoque animadversiones, quas alibi (§. CXXV.) exposuimus, locum habere possunt, in prīmis ubi morbilli præ-

*Victus  
ratio.*

*Sanguinis  
missio in  
primo sta-  
dio.*

mature erumpunt, eosque vehementior febris antecedit. Hunc esse casum putaverim morbillorum malignorum, in quo mittenduni sanguinem censet ROSENUS, etsi ipse nimis fortasse id auxili ad omnes malignos extendere videatur. Quod vero de crusta pleuritica, quam in detracto sanguine semper apparere affirmat, retulit, perpetuum non est; s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> enim eam deficere experientia compertum habetur. Ceterum cunctante eruptione ex languidiore naturae motu, lenia potius alexipharmac<sup>a</sup>, & cardiaca a MORTONO adhibebantur, ut validius natura ad expellendum virus incumberet. Sed cautione opus est; ne fervor sanguinis nimium adaugeatur. Præter diluta florū tilia, sambuci, papaveris rhizados calide hausta, si eruptio apparere nimirum cunctetur, aliquid camphoræ, vel liquoris cornu cervi succinati, vel spiritus MINDERENI, vel liquoris anodyni mineralis HOFFMANNI dari subinde convenit. His enim non modo vires vitæ eriguntur, sed etiam non spasmi, quibus natura in hoc stadio opprimi maxime videtur, eximie sedantur.

*Cucurbita*  
*cultæ*, *siccæ*, *fo-*  
*menta*, *balneæ*, *smopismi*. Tunc etiam ad cutim avocare cucurbitulis siccis, universo corpori admotis, & subinde opportune iteratis, balneis crurum, fomentis, sinapisisque utilissimum est. Nec vesicantibus tum locus denegatur.

(a) SYDENH op. sect. V. cap. 3.

### §. C X L I.

*Sanguinis missio in secundo* In secundo stadio, nempe eruptione facta, quoniam febris cum omnibus symptomatibus vehementius excandescit; morbus inflammatoriam

naturam inducere videtur. MORTONO. Hinc quam ante eruptionem reprobavit sanguinis missionem, hic eam uti necessariam proponit. Revera hoc ipso tempore aut caput, aut fauces, aut pectus, aut omnes hæ partes simul atrocius afficiuntur. Inflammationis igitur signis accedentibus, cur non sanguis mittatur? Hoe in primis in peripneumonice metu opportunum est, etiamsi morbilli pulchre rubri appareant. Immo si post primam sanguinis missionem respiratio non fiat liberior, nec sputa prodeant, quæ morbum levent, iteranda sanguinis missio est ad tertiam etiam vicem; non omissis interea diluentibus, attenuantibus, antiphlogisticis, demulcentibus, & subinde enematibus. Si nihilominus difficultas spirandi persistat, aut caput impetratur, aut delirium se adjungat, vesicantia suris imponi necesse tum est (a). His etiam magnopere confidit MORTONUS, sic ut crebro ea applicanda velit cum ad vires, ubi langueant, excitandas, tum ad eruptionem, ubi lenta, & imperfecta, aut incerta, & vaga sit, provide adjuvandam. Scire autem convenit, malignos morbillos, præsertim in quibusdam epidemicis constitutionibus magis putridos esse, quam inflammatorios, & tum noxiam fore sanguinis missionem. Id evenit in constitutione epidemica anno 1763. & 1768., quam Londini observavit GUILIELMUS WATSON. Tam in primo, quam in secundo stadio pulsus erant celeres, debiles, & inæquales cum magna anxiates, dejectiones alvi crebræ, & deum delirium accedebat mortis prænuntium. Cadaverum sectio pulmones, aliaque viscera sphacelata ostendebat. Sanguinis missio (b) plerumque nocuit.

Vesicantia.

(a) STORCK. l.c. T. 1. p. 309. 310.

(b) Medic. Observ. and. Inquiry by a Society of Physicians in London. Vol. IV. pag. 132.

### §. CXLII.

*Eruptio imperfetta.* At in eō casu , in quo eruptio lente procedit , aut imperfecta , & vaga est , aut per vicces abit , & redit , præter ea , quæ tam intrinsecus , quam extrinsecus adhibita ( §. CXL. CXLI. ) ad cutim morbillorum virus alliciunt , *Bezoartica* sic dicta a multis commendantur . In his pulvis e chelis cancerorum compositus , radix contrayervæ , stygium diaphoreticum non ablutum , atque alia hujusce generis numerantur . *Bezoartica* HOFFMANNUS duo præ ceteris extollit , *Bezoarticum Minerale* , & *sulphur auratum antimonii* ; quibus & sudores blande elici , & morbillos protrudi ad cutim pollicetur . Illo interdum alvum laxari cum euphoria observavit . Sulphuris vero aurati dosim ad dimidiam grani partein , vel ad quartam tantum pro qualibet vice habita ætatis ratione perstringendam (a) esse admonet . Item ubi modo rubent , modo pallent morbilli , & muko magis , si intro reversi sint , cito ad ea omnia properandum est , quæ supra ( §. CXXXI. ) proposita fuere . Lire vere eos interdum , immo nigrescere , paullo ante ( §. CXXXVII. ) memoravimus . Quando id evenit ob graviorem cutis inflammationem , quam induxit regimen calefaciens , & improvidus alexipharmacorum calidorum usus , tunc

*Morbillorum regressus.*

*Quando nigrificant, aut livent.*

tunc mittendum esse sanguinem, quo gangræna, *s. missio-*  
*summis inflammationis gradus, avertatur, exper-*  
*ientia ductus suadet SYDENHAMIUS.* Solet autem  
 eo in casu cutis non modo rubore intensius, ut  
 ad nigricandum inclinet, verum etiam tumere,  
 & distenta reniti. Quod si nigricans morbillorum  
 color cum cutis ipsius flacciditate jungatur,  
 sic ut a prava potius humorum qualitate, atque  
 a vi vitæ in vasis cutaneis satiscente, quam ab  
 inflammationis vehementia proficiisci nigor ille  
 videatur, protinus huic malo prospiciendum est  
 antisepticis, & corroborantibus (*b*), præsertim  
 cortice peruviano, camphora, elixirio vitrioli  
 Pharmacopœæ Londinensis, serpentaria, & simili-  
 bus, omissa sanguinis missione.

*Antise-*  
*ptica, &*  
*roboran-*  
*tiæ.*

(*a*) *L.c. in Cautel. §. VII.*

(*b*) STORCK. *L.c. T. I. p. 414.*

### §. CXLI.

Hæmorrhagia tam narium, quam aliarum par-  
 tium morbillis, præsertim malignis, ut dictum  
 est, non raro superveniunt, in primo speciatim  
 & secundo eorum stadio. Has sinere præstat,  
 quam propere nimis cohibere. Quare adstringen-  
 tia, & ex opio parata remedia tum vitari de-  
 bent (*a*). Si tamen sanguinis immodice profunda-  
 tur, ut jam facies, & labia palleant, extrema  
 perfrigerari incipient, pulsus langueant, aut æger  
 imminentem vomitum, & animi deliquium que-  
 ratur, tunc hæmorrhagia sistenda protinus est  
 non modo iis, quæ extrinsecus posita id præstant,  
 sed etiam quæ intrinsecus ad id valere creduntur  
 (*b*). HOFFMANNUS suum liquorem anodynū

*Hæmor-*  
*rhagia.*

*Quan-*  
*sistendæ.*

mineralem hic non inutilem prædicat. Mixturam quoque usū comprobataṁ describit, quæ spiritum vitrioli, & Diascordium Fracastorii pro basi continet. Nos aquam spiritu vitrioli acido ad levem acorem imbutam, & dilutum corticis peruviani ceteris anteponimus.

(a) HOFFM. l.c. in cauel. §. VI.

(b) ROSEN. l. c.

### §. CXLIX.

*Tussis sicca.*

Tussi pernolestæ, & siccæ, & suffocanti occurrimus decōcto hordei, diluto radicis althææ, & florum violarum, verbasci, papaveris rubri, adjecta quarta vel quinta lactis parte, & vesperi paregoricis. Ecleginata etiam oleosa a plerisque hic commendantur (\*).

*Tussis humidacum sputo viscidissimo.*

Si verò tussis humida sit, sed sputum viscidissimum nimis, & tenax difficulter prodeat, incidentibus, atque attenuantibus opus est, nimirum oxymele simplici, & scillico, syrupo erysimi Lobelii, floribus sulphuris, & Benzoes, Kermes minerali & dilutis puleggi,

*Alvi fluxus.*

histopi, veronicæ, tussilaginis (\*\*). Ubi tussi ferinæ fluxus etiam alvi adjungitur ex parte materialiæ morbillosæ, & aeris intestina irritante, tunc quinta pars lactis diluto florum sambuci adjecta, calideque potui data utrumque symptomam lenire (a) dicitur. Quod si alvi fluxus, quo cumque tempore accesserit, sed præcipue in hoc in quo eruptionis regressum perpetrare potest, immodicus fiat, neque modum servet, compesci plane debet Diacodio, Laudano, Diascordio, Theriaca, Rhabarbaro tosto, pulveribus absorbenibus, cortice peruviano, cascarillæ, allisque,

cum

sum in primis, cum diarrhoea post discussos morbillos remanet; & chronica ne evadat, timeri potest. Faucibus interius dolentibus, atque inflammati, quæ prædelle possint, jam alibi (§. CXXX.) <sup>Faucium inflammatio.</sup> indicatum est. Hic addimus, gargarizandum esse <sup>matio.</sup> leniter ex decocto emolliente, & circa collum extrinsecus dandum cataplasma cum sinapi; simul ac cutis rubeat, removendum (b).

(\*) Eclegma oleosum ROSENII.

R. Vitell. ovor. n. j. ol. amygdal. dulc. s. i. express. & recentiss. unc. ij. bene subact. add. decoct. scord. mund. unc. ij. syrup. althææ unc. j.

Aliud mihi usitatum.

R. Gumm. arabici dr. ij. solvantur in emulsion. Jemin. melon. un. iij. deinde addit. ol. amygdal. dulc. recentiss. sin. igni expressi unc. j. ss. syrup. pap. albi a drachm. ij. ad unc. j. pro ratione ætatis. Detur subinde parvum cochlear.

\*\* Formulæ Storchii.

R. Nitri puri drachm. j. antimon. diaphor. non abluti drachm. j. oxymel. simplic. unc. j. ss. syrup. papav. erratic. unc. j. ss. Aq. flor. samb. unc. viij. M. Dentur duo cochlearia alternis horis, & desuper hauriatur vasculum infusi florum sambuc. & malvae -

Alia efficacior. ejusd.

R. Nitri puri drach. ss. stib. diaphoret. non abluti drachm. j. ss. Oxymel. scillitic. unc. ij. syr. floe. Rhœad. unc. j. Aqu. saenicol. unc. viij. M. d. ut supra:

Alia eiusd.

R. Kerm. miner. gr. j.

Sacchar. alb. gr. x.

M. fit pulv. tenuissimus. Sumatur talis singulis duabus vel tribus horis.

(a) ROSEN. l. c.

(b) Idem ibidem.

## §. C X L V .

Sudores. Sudorum quoque , quibus interdum ægri dif-  
 fluunt , ratio habenda est , præsertim in secun-  
 do , & tertio stadio . His si lintea , atque indu-  
 Cautiones  
 circa lin-  
 georum  
 mutationem  
 zem :  
 sia madescant , ea caute irutari debent . Sicca ,  
 & leviter calefacta humidis substituantur ; sed  
 caute , ne frigus suscipiatur , aut calor ultra mo-  
 dum corpori super addatur . Utroque enim cutis  
 corrugari potest , & expirans morbi fomes repel-  
 li . Eadem cautio circa lecti mutationem ser-  
 tur . Sed speciatim cavendum est , ne quis subi-  
 to ex calido in frigidum concedat . Ex neglecta  
 enim ejusmodi cautione subitam mortem intra  
 paucas horas natam vidi t (b) HOFFMANNUS .  
 Tertio stadio incipiente , evanescensque mor-  
 billis non desistendum est a laudato regimine ,  
 usque remediorum demulcentium , & blande dia-  
 phoresim promoventium , quemadmodum in beni-  
 gnorum curatione (§. CXXIV.) dictum est ; ni-  
 si alvi fluxus criticus accessurus prævideatur , qui  
 morbum solvat (§. CXXXIV.) . Subacta de-  
 mum febre , & tussi mitiori , nisi penitus subla-  
 ta , reddita , exsiccatisque morbillis , & desqua-  
 mata cuticula , generatim ægri conquiescere ad-  
 huc , & ab aere frigido , qui summopere noxius  
 est , cavere debent per aliquot dies (b) . Immo  
 ad aliquod hebdomadas perspirationem cutaneam  
 diligenter curandam infusis diaphoreticis , vi-  
 tenui , & decoctis temperantibus , & diluentibus  
 ex radice scorzoneræ , cichorei , glycyrrhizæ , chi-  
 ræ , cortice ligni sassafras , interdum etiam sar-  
 saparilla præcipiunt (c) non nulli , non omissa  
 inde , semel nempe in hebdomada , per eccopro-  
 tica

tica (§. CXXXV.) ætati, temperamento, corporis habitui accommodata, alvi ductione.

(a) L.c. in cautel. §. VIII.

(b) STORCK: l.c. p. 310.

(c) HOFFM: ib. in cautel. §. IX;

### Morbi secundarii.

#### §. CXLVI.

Morborum, qui morbillis præsertim malignis <sup>Peripneumonia.</sup> succedunt, omnium frequentissimus est peripneumonia, eorum exsiccationi repente supervenientis; quæ ægrós in summum vitæ periculum adducit, & sæpe etiam occidit. Quando id accedit, protinus sanguinem mitti oportet, atque eam institui curationem, quæ peripneumonicis, & pleuriticis (§. CXXXV.) accommodator est. Defervescente vero febri, & pulmonum inflammatione profligata, hydrogala demum uti expedit, ut tussis cito mitescat, atque alia mala, quæ ab acrimonia morbillosa timeri possunt (a); arceantur. Interdum peripneumonia non resoluta in suppurationem terminatur. Tunc ægri assidue tussiunt, vesperi horrent, noctu calent, & mare sudore madent, & debilitantur. Sputa autem, quæ excreantur, purulenta sunt. Hi vero, ut suppurationi, sero nimirum lactis, ptisana, & decocto <sup>Suppuratio perithecum venenaria.</sup> corticis peruviani subinde hausto curandi sunt. Quod si ad sputa purulenta accedat vox rauca, imacies, atque febricula continua lenta, jam de phthysi pulmonari non amplius dubitari licet. Tunc lac aqua aliqua pectorali dilutum sæpius haurendum est, ut ad minimum tres libræ ejus quoti-

die absumentur, interposito aliquoties in die va-  
cculo decocti chinæ chinæ, & , si vires permit-  
tant, deambulatione, aut ventione in aere cam-  
peltri ac salubri adhibita (b).

(a) STORCK. l.c. p. 314.

(b) Id. ib. p. 312. ROSEN. l.c.

### §. CXLVII.

*Amphemerina.* Nec rarum est, exsiccatis, desquamatisque  
morbillis, febrem remittentein continuam, sive  
amphemerinam sine ullo suppurati, aut ulcerati  
pulmonis indicio relinqui, quæ, si negligatur,  
aut in acutam malo fato convertitur, & repente  
occidit, aut in hecticam facile degenerat, quæ  
lenta consumptione ægrotantem conficit. Illam  
cortice peruviano cito frænandam esse docet MOR-  
TONUS. Tussis quoque post morbillorum desqua-  
*Tussis.* mationem valde pertinax quandoque remanent. Hæc etsi post benignos bechicis, & aura liberio-  
re perdometur facile, aut paullatim sponte cesset  
(a); attamen, quando malignos subsequitur, &  
diuturnior, & gravior, & periculosior est, quia  
in phthsim pulmonarem persæpe migrat. Hinc  
primo sanguinis missione, interdum etiam itera-  
ta oppugnanda est, deinde bechicis, & cortice  
peruviano liberaliter dato, & vesperi paregoricis.  
Nec infrequens est, interpositis eccoproticis, eam  
quandoque (b) fugari.

(a) SYDENHAM.

(b) MORTON.

### §. CXLVIII.

## §. CLXVIII.

Nec minus molesta, & pertinax est Diarrhoea, *Diar.*  
 a morbilli relicta. Hanc rhabarbaro tosto, my-  
 robalanis, & pulveribus alcalicis fixis primum ag-  
 gredi convenit, deinde paregoricis opium haben-  
 tibus, cortice peruviano, cascarilla, aliisque ro-  
 borantibus antisepticis (*a*). Oculos præterea sua  
 mala manent. Hi saepe in morbillorum discessu  
 gravissima ophthalmia corripiuntur. In leviori ca-  
 su egregie succurrunt hirudines temporibus, aut  
 infra oculos (*b*) applicitæ; at in graviori venam  
 jugularem incidi (*c*) oportet; deinde alvum etiam  
 iterato duci. MORTONUS hic nihil proficere ves-  
 sificantia existimat. Contra ROSENIUS iis non pa-  
 rum confidit, si parva utrique tempori imponan-  
 tor. Cucurbitulas siccas cervici etiam utiliter af-  
 figi affirmat. Extrinsecus cataplasma ex pulpa po-  
 morum dulcium sub cineribus coctorum, lacte  
 subiecta recenti, dolorem mirifice demulcit, &  
 inflammationem resolvit. Adjiciunt nonnulli tan-  
 tillum camphoræ; sed haec non facile fertur, nisi  
 inflammatione imminuta, & dolore penitus ab-  
 lato.

(*a*) MORTON. *l.c.*

(*b*) ROSEN. *l.c.*

(*c*) MORTON. *l.c.*

## §. CXLIX.

*Glandularum tumores.* Inter morbos, qui morbillis malignis, aut imperfecte solutis, sive, ut ajunt, male judicatis succedunt, referuntur a MORTONO etiam glandularum tumores, anasarca, atque ascites. Glandulis tumentibus, induratisque convenient resolventia, attenuantia, & sudorifera, nec aliena sunt quæ extrinsecus molliunt, & blande discutiunt. In illis præ cæteris celebrantur calomelanos, diagrydium, milepedes, & decocta sarcaparillæ, bardanæ, chinæ radicis, & similiūm. *Anasarca.* Anasarcae, atque Asciti, post lenia cathartica, & diuretica, opitulari (a) dicuntur medicamenta e chalybe parata, quibus subinde interponi debent blanda eccoprotica per epicrasim data, uti rhabarbarum, tinctura sacra, pilulæ tartareæ Bonitii, Becleriaricæ, scilliticæ Pharmacopœæ Edimburgensis, aliæque hujuscæ generis. Sed de his modo satis. Plura qui cupit, ad ea se convertat, quæ in peculiari cujusque morbi singularis tractatione uberiorius dicentur.

(a) MORTON. l. c.

*Morbilli Anomalii.*

## §. CL.

*Quo dif- ferant a nomali a malignis.* Restat, ut de morbillis anomalis, quod supra (§. CXIV.) recepi, aliquid seorsim subjiciam. Quanquam enim ibidem ostensum est, anomalous, sive irregulares a plerisque præ malignis accipi, nihilque inter ipsos discriminis esse; tamen, ut

ut eodem in loco indicavimus, rectius id nominis tribuendum esse nobis videtur illis morbillis, qui a communi, ordinarioque processu quam maxime deflectunt. Neque semper, qui hoc sensu anomali existunt, reliquas malignorum notas ita praeferunt, ut cum malignis omnino consentiant. Observatum enim quandoque est, in quibusdani ex anomalorum hujusmodi genere, quam primaria eruptio contigerit, omnia symptomata, febrimque ipsam continuo conquivisse, quod vere benignorum maxime proprium esse, ex superioribus patuit. Hinc non longe absurum, ut credam, anomaliam ejusmodi in malignos æque, ac in benignos cadere posse, ac veluti utrorumque differentiam habendam esse.

### §. C L I.

Quo vero res clarius appareat, nihil erit accommodatus, præstantiusque, quam anomalias in medium proferre, quas in constitutione epidemica annorum 1749. & 1750. non infrequentes ostendit Florentiae Joannes Targionius (*a*), vir multiplici eruditione, dicendi copia, & medendi usu insignis. Is primus narrat, in septem ægris post solitum apparatum morbillos bene multos, & satis confertos erupisse; sed eadem ipsa die exortos quosdam mediocres in regione epigastrica dolores; qui spastici videbantur, & mox solutos alvi fluxu, copioso, tenui, & bilioso, qui duos circiter dies placide, & sine ullo alio symptomate perrexit. Simul ac diarrœa accessit, continuo morbillos evanuisse; febrim, tussimque, quæ perinolesta ante fuerat, omnino desisse; nec post-

Anomala-  
liarum  
exempla.  
quam

quam alvi fluxus substitit, quidquam incommodi remansisse præter aliquam virium debilitatem. Deinde observatione didicit, febrem, quæ morbillorum eruptionem præcedit, modo tertianæ duplicitis typum referre, atque eruptione facta penitus decadere; modo eamdem ad plures dies suos circuitus periodice repetere, antequam morbilli efflorescant; idque in adultis præsertim obtinere. Præterea vidit quandoque in aliis febrem primi stadii, sive contagii more catarrhalium, & quidem acutarum, tumore, & rubore faucium, tussimque ferina comitatam decurrisse ad septuaginta usque diem, antequam morbilli prodirent (quod malignorum quandoque proprium esse diximus), neque deseruisse ægrotantes, nisi post alios, quatuor, aut quinque dies, cum nempe morbillorum exsiccatio, & resolutio consequeretur.

(a) *Prima Raccolta d' osserv. p. 101.*

## §. CL II.

*Historia Morbillorum ex-legum, sed benignorum.* Historiam demum refert morbillorum exlegum, atque abnormium ut raram, sic memorato plane dignam. Maria Brígida Dandini lectissima mulier cum ruri esset, ubi morbilli vagabantur timens, ne eisdem ipsa quoque, ejusque filii corriperentur, quod nondum eos perpessi essent, se die 4. Novembris ann. 1750. Florentiam contulit. Note ejusdem diei, quo ad urbem venerat, hora prima post medianam noctem adamussim eam invasit febris magno cum frigore, quam subsequuta est alia similis accessio die insequenti hora itidem prima post meridiem; ita ut binæ accessiones

ges intra nychthemerum non modo extiterint ; sed eodem omnino ordine , & typo deinceps per dies viginti quatuor periodice redierint , quotidianæ duplicis remittentis speciem omnino imitantes . Accessiones singulæ semper exordiebantur a frigore , quod tamen in nocturnis majus erat , quam in diurnis , semperque tussi convulsiva , atque aliqua spirandi difficultate stipabantur . Quædam mitiores , immo etiam breviores reliquis ita fuere , ut quandoque intermissionem habuisse aliquam viderentur , quanquam ut plurimum sibi mutuo sine ullo integratatis intervallo succedentes continuam febrim prorsus efficerent . Cum autem nulla morbillorum indicia se proderent , febris ista oppugnata est , sed frustra , duabus sanguinis missionibus , magna diluentium , & temperantium copia , & cortice demum ipso peruviano . Neque quidquam profuere catamenia , quæ circa medium morbi tempus profluxere . Itaque cum intra quatuor & viginti dies ægra accessiones exacte duodequinquaginta sustinisset , ineunte vigesima quinta die , hora prima adamussim post medianam noctem & more accessio magno cum frigore , motibus convulsivis , summa agitatione , anxietate , & tussi assidua pene præfocanti ita vehemens repetiit , ut ob jam impenden tem gravissimam peripneumoniam TANGIONIUS medicus idem , & maritus ægrotantis , animum desponderet . Quamobrem cum prima luce de iteranda venæ sectione cogitaretur , universa cutis inventa est morbillis referta . Spes tuum affulsa , morbum hac excretione critice solutum iri . Ac quidem prout morbillorum eruptio , quæ plenissima , & confertissima , fuit , perficiebatur , omnia terrifica , quæ memoravi symptomata paula-

latim sedata sunt, & sub finem quartæ diei ab incepta eruptione, morbilli exsiccati, & desquamari cœperunt, & febris, & tūssis, atque aliud quodvis incommodum evanuerunt, superstite dunt taxat virium consueta imbecillitate. Anomalos hos quidem morbillos, exleges, tardos, atque inexpectatos dixeris, non vero malignos; quod, ut benignis contingit, secundo stadio, eruptione nimirum facta, febris cum reliquis omnibus symptomatibus deferuit, & placata est.

### §. CLIII.

*Historia  
morbillo-  
rum ano-  
malorum,  
sed mali-  
gnorum.* Nē vero exemplum anomaliorum malignorum quis desideret, en aliam historiam morbillorum non minus irregularium ex eodem Scriptore promptam (*a*); quoruī nō modo primum stadium longissimum, atque insuetum fuit; verum etiam secundum, in quo eruptio contigit, & circa dorsum primum, ut fere malignorum mos est, se prodidit, multo gravius, & quale in malignis post eruptionem esse consuevit. Sacra quædam Virgo annos nata viginti quatror, tempore ramento valde firmo ac valido prædita merite februari ann. 1750. incidit in tūssim convulsivam, quæ in dies ingravescebat. Sub finem ejusdem mensis cœpit quibusdam febriculis laborare; in quarum accessionibus querebatur capitis confusione, pectoris insolitam siccitatatem, atque adstrictionem, qua respiratio difficilis reddebatur. Invalescentibus detnum ejusmodi febribus, & tussi ita exasperata, ut die septima Martii magnam sanguinis copiam e naribus eliceret, vena ei pendis secta est, quin tamen quidquam minuerentur ejusmodi mala. Immo his quotidie gravioribus

bus factis, tandem die decima tertia ejusdem mensis pustulis quibusdam rubris conspersum ejus dorsum apparuit. Medicus suspicari cœpit de morbillis, quanquam his eisdem ipsa jam laborasse diceretur, eoque major suspicandi locus erat, quod eodem tempore eodemque in cœnobio aliæ contubernales, secundo, & tertio in eundem morbum reciderant. Sub vesperam diei decimæ quartæ, cum maculæ distinctæ, & discretæ consiperentur, etsi pustulis aliis; quibus ægra alias obnoxia fuerat, intermixtæ essent, certo de morbillis constitit. Facies in primis refertissima iis erat. Cutis color sparsim ad violaceum, rubrumque vergebatur. Febris admodum furebat. Tussis vehementius urgebat cum anxietate, & dolore pectoris intolerabili. Cum hæc nihil remitterent postero die, qui erat decimus quintus mensis, e brachio sanguis ad uncias septem mittitur, qui repertus est valde phlogisticus. Die decima octava maculæ cœperunt pallescere, urinæque, quæ antea parcissime per plures dies fluxerant; copiosiores redi. At febris valida perstittit usque ad vigesimam primam, quin aliquantum mitesceret, tussis vero, & pectoris dolor ad vigesimam nonam usque, repullulantibus identidem, etiam deinceps, exanthematibus. Convaluit quidem ex hoc morbo, sed lente & non sine tædio minus prosperæ valetudinis, & diuturnioris adhibitæ curationis.

(a) *Id. ib. p. 105.*

*Morbilli sine morbillis.*

## §. CLIV.

*Morbilli interdum sine exanthematis tibus.* Quemadmodum variolæ sine variolis , nempe sola febris variolosa sine exanthematibus a medicis exercitatissimis visæ & observatæ sunt , quod suo loco demonstrabitur : sic febris morbillosa , sive morbilli sine exanthematibus , si clinicis fides habenda est , interdum epidemicis morbillis intercurrunt . Immo frequenter hujusmodi febres esse , testatur HAENIUS experientia convictus , morbillosque jure vocari , quod eodem modo , eisdemque symptomatibus invadunt , decurruntque , ac si morbilli eruptui essent , nec tamen erumpant (a) . Tales revera eas habendas esse , non solum argumento sunt morbillorum præsens epidemica constitutio , & symptomata omnia primi stadii , sive contagii propria , quæ eas comitantur , verum etiam ipsa curandi ratio , cui obtemperant , quæ non alia est , quam illa , quæ morbillis accommodatur . Res autem in facto , atque observatione ita posita , & locata est , ut negari a quopiam , nisi temere possit . Neque ea est , cuperdum morbilli non erunt? jus ratio probabilis reddi nequeat ; nam si miasma morbillorum , quod intus receptum febrim genuit , ad cutim protrusum vias patentiores inveniat , per quas sine ulla mora exhalari possit , vel per se satis tenue , & fortasse etiam humore aqueo ita dilutum sit , ut sine exspirantium meatum offensione evaporetur , vel , præterita cute , ad alvi , utinæque organa conversum quasi latenter effugiat , excernaturque : facile quisque intellegit ,

liget; quamobrem interdum morbilli sine morbillis, sive febris morbillosa sine exanthematibus esse possit.

(a) HAEN. *Febr. Divisiones; division. VI. §. 6.*

### *Febris morbillosa Sydenhamii.*

#### §. CLV.

Anno 1674. dum Londini epidemici morbilli maligni, sive anomali sæviebant, sparsim vagabatur febris quædam, quam morbillosam vocavit SYDENHAMIUS (a). Erat autem hæc immittis, sed ejusdem plane generis, ut in morbillis, protrahebaturque ad dies quatordecim, immo non nunquam etiam ulterius. In hac exanthemata morbillis similia prodibant circa truncum corporis, & colli præsertim posteriora, humerosque. Præterea ista febris eamdem omnino postulabat curationem, cui morbilli parebant. Quia vero non universum corpus occupabaut, ut morbilli regulares solent; idcirco discriminus aliquod visum est, quo ab his illa sejungenda crederentur. Verum tam leve, exiguumque videtur hujusmodi discriminus præ reliquis, quæ recensui, signis morbillorum propriis, ut nullus dubitem, quin anomalorum, & malignorum varietas quædam vere existiterit.

Febris  
morbillo-  
sa.

Non dif-  
fert a  
morbillis  
nisi ad  
speciem.

(a) *Oper. sect. V. cap. 3. p. 267.*

## §. CL VI.

*Rubeola variolo-  
des Sau-  
vagesii.* Minime vero ad morbillos pertinet *Rubeola variolodes SAUVAGESII* (*a*) , cum non solum ipse ad credendum propendeat , hanc variolarum speciem , aut varietatem quandam esse , verum etiam talem reapse habendam demonstret descrip-*tio* , quam scripto tradidit *BUXERIUS* (*b*) , quamque *SAUVAGESIUS* idem allegat ; ex ea enim continuo elucescit , hujusmodi morbum quam maxime a morbillorum natura absuisse , proximus vero ad variolarum genus accessisse . Morbus item a *DOUGLASSIO* observatus , ac descriptus (*c*) , quem *SAUVAGESIUS* nominavit *Rubeolam anginosam* , rectius mihi videtur *angina maligna aphthosa* , exanthemate miliari comitata , quam morbillorum species illa .

(*a*) *Nosolog. method. cl. 3. ord. I. Gen. IV. spec. 3.*

(*b*) *Journal de Mèdec. T. IX. p. 81.*

(*c*) *Essays de mèdecin. d' Edimb. T. IV. p. 617.*

*Morbillorum insitio.*

## §. CL VII.

*Rubeola anginosa ejusdem.* Exemplo a variolis ductio insitio quoque morbillorum tentata est . Primum omnium , qui eam adhibuit , fuisse fertur *FRANCISCUS HOMIUS Medicus Regius* , & Collegii Medicorum Edimburgensis socius (*a*) . Instituitur autem sine ultra corporis præparatione . Sanguine ex aliqua parte morbillis obsita per levem incisionem educto imbuitur gossypium . Hoc vulnusculo , quod utri-

utrique brachio ejus , cui inserendi morbillū sunt , inflictum sit , imponitur , & deligatur . Fortasse etiam , non incisa prius cute , gossypium sic infectum , nudis brachiis alligatum contagionem æque certo communicat . Alii sanguinis loco utuntur saliva , aut lacrymis , tempore criseos stillantibus , aut squamulis cutis defluentibus ab ægrotantium corpore ( b ) ; nam omnibus hisce modis contages communicari cum sanis dicitur . Sexto ab incisionis die sub vesperam plerumque febricula exoritur , mitissima tussicula sine insomnio , & inflammatoriis symptomatibus concomitante ; neque febris hectica , neque tussis , neque oculorum inflammatio subsequi consuevit ( c ) . Benignissimum ergo morbum , & levissimis symptomatibus conjunctum inde gigni contendunt . Nihilo tamen minus morbillorum insitio paucos admodum sectatores habuit , sic ut pene jam desuerit . Caussam DUBOSQUYUS DE la ROBERDIE-BE ( d ) putat , quod morbilli pluries in eodem homine reversi narrantur . Non tamen inutilem , nec spernendam eam existimat VOGELIUS ( e ) in epidemicis morbillorum pestilentium constitutonibus , in quibus ut vitæ periculum suminum est , sic omni conatu & studio eniti expedit , ut minor , benigniorque morbus reddatur ; id quod obtineri per infestionem posse , probabile omnino videtur .

( a ) Princip. Medic. lib. 2. sect. VIII.

( b ) ALEX. MONRO jun. de Ven. lymphat. pag. 58.  
VOGEL. De cogn. & curand. hum. corp. affect. §. 135.

( c ) HOM. l. c. ( d ) Journal. de Medec. T. 47.  
p. 254. ( e ) L. c.

## C A P U T I X.

## D E V A R I O L I S \* .

§. CLVIII.

*Quæstio de vario-larum an-ti-* **D**ISCEP-TATUM acriter est superioribus præser-tim temporibus, utrum Variolæ HIPPOCRA-TÆ fuerint, affirmantibus aliis, aliis negantibus, sic ut hodie non expeditat in hujusmodi contro-versia (a) oleum & operam perdere. Ve-ro simillimum vero plerisque videtur, variolas di-lucide a quopiam descriptas non esse ante Ara-bes, quibus etsi eas anno Christi 572. aut sal-tem 625. innotuisse suspicari liceat (b), tamen communior sententia est, in Ægypto, atque in-terioribus Arabiae locis primum exortas, a Sar-a-cenis in Hispaniam, Europamque sub finem tan-tummodo saeculi XI. & principium XII. perla-tas (c) fuisse. Ab hoc enim tempore adeo se-dissudit ejusmodi lues, ut non modo pro morbo inevitabili, & cuilibet semel saltem in vita, nisi quis eo in utero matris affectus fuerit, subeun-do habeatur, verum etiam qualis, quantusque ferme com-sit, neminem nunc prorsus lateat.

*Morbis omnibus ferme com-muniis.*

\* *Synonyma.*

Variolæ Arabum MERCURIALIS, de morb. Pue-gor. cap. 2. BOERHAAVII, de cognoscend. & curand. morb. §. 1371. JUNCKERII, Tabul. 76. & omnium pene recentiorum. Febris variolosa HOFFMANNI, de Febrib. sect. I. cap. VII. VOGELII, Gener. morb. gen. XXXV. Variola SAUVAGESII, Gen. morb. gen. 92. LIN-

LINNAEI, Gen. 3. CULLENII, Gen. XXVI. *Petite Verole Gellis*, Italis *Vajuolo*.

(a) VID. HAEN. *Variol. antiquit.* & WERLHOF. *Disquisit. medic. & philologic. de Variol.* & *anthrac.* & *demum GRUNER. Morbor. antiquitat.* cap. I. *Variol. earumque insit.*

(b) MEAD. *de Variol. & Morbill. cap. I. de ori-*  
*gin. variol. HOME Princ. Med. P. 4. sect. VII.*

(c) MEAD. l. c.

### §. CLIX.

Variolarum autem morbus est exanthemati *quiā variola-*  
cus, febrilis, contagiosus, brevis, sive acutus, semper primarius, postulas in cute extima proferens exiguae, rubras, plerumque phlegmonodes, varis similes, quae primum in facie, & collo, itemque parte capitis capillata erumpunt, deinde ad pectus, humeros, manus, reliquaque deinceps corpus se se disseminant, paullatimque auctæ ad pisi fere minoris magnitudinem, quod frequentius accidit, intra paucos dies suppurant, & brevi in crustas deciduas desinunt, vestigia rubra sensim delenda, & quandoque fo-veolas, aut cicatriculas post se relinquentes. Febrilem eum voco, quod plerumque febrem comitem habet. Dico plerumque, nam interduum modo ab adeo mitis est, & benignus, ut nulla febris eum antecedat, aut comitetur, aut, si quam eo conjungitur, vix sensibilis ipsa sit; neque continua ejus comes; sed modo accedat, modo recedat (a) excepto graviori casu, & malignitatis non experte, in quo febris plus, minus acuta, atque assidua locum habet, & tenet. Quam ob rem veniam petimus, si minime iis assentimur, qui ad febres, & spe-

*Non spē-  
ctant ad febres.* ciatim ad *Synochas contagiosas* id mali genus & referunt.

(a) SYDENH. op. sect. 3. cap. 2. HUXHAM. *Essays sur la petit. verol. p. 165.*

\* MARCELLUS DONATUS variolas sine febre vidit; easdem quoque leves, & paucas sine febre observavit PHILIPPUS INGRASSIAS, teste CÆSARE MARESCOTTO, qui præterea refert, se duos pueros variolis sine febre laborantes curavisse. MARESCOT. *de Variol. p. 20.* Variolas, sive pustulas variolosas, quæ sine manifesta febri eruperint, maturuerint, & plane exsiccatæ sint, vidit etiam Joh. FANTONUS, *Dissert. de antiqu. & progress. febr. miliar. pag. 70.* Tales tam sporadicæ, quam epidemicas ostendit DERELINCURTIUS, & quædam similia exempla ex FORESTO, EPIPHAN. FERDINANDO, & JOH. RHODIO, aliisque deprompta adducit, *Diss. de variol. & morbil.* Id in benignissimo morbo tam spontaneo, quam insititia complures alii contingere tradunt. Obvium vulgatissimumque est pus variolosum contactu immitti in cutim eorum qui variolas jam passi sunt, indeque pustulas exoriri, quæ forma, durationis tempore, inflammationis, suppurationis, exsiccationisque modos veras omnino variolas referunt. Sed, quoniam interiora ab eo fortasse ob corporis ablatam dispositionem non afficiuntur, nulla eas febris comitatur, nec antecedit, nec subsequitur. Hoc sæpe experiuntur mulierculæ, quæ variolas habentibus famulantur, assident, aut eos brachiis nudis sustinent, aut faciem faciei aliquandiu applicant, in primis si delicatiore cuti præditæ sint. Frequentissimum vero hoc deprehenditur in inoculatis variolis. Pus enim insertum per sæpe solam cutim afficit, in eaque pustulas excitat, quin ull'a febris moveatur; ut omnes norunt, diceaturque deinceps suo loco. Vid. HUXHAM *de la petite verole.*

## §. CLX.

*Contagiosum* porro hujusmodi morbum ( §. Quot m-  
 CLIX. ) esse, posuimus; quia variolis sani infi- dis com-  
 ciuntur accessu ad ægrotum, ejusdem attractu, munican-  
 contrectatione vestimentorum, linterorum, alia- tur.  
 rumque rerum, quibus ille usus est, inspiratione  
 aeris halitibus variolosis referti, eisdem cum sa-  
 liva haustis, cute attractis, puris inoculatione,  
 phlebotomo non satis deterso, quo sanguis va-  
 riolis laboranti missus (a) fuerit, atque ad ve-  
 nientem incidendam incaute adhibito. Non videntur  
 igitur variolæ ab erroribus diæteticis, neque a  
 temporum, aerisque mutationibus \*, sed a pe- Non gie-  
 culari quodam veneno, sive miasmate ofiri, gnuntur  
 quod subtile admodum sit, volatile, inflammare; variola  
 atque irritare aptum, quodque semel natum, ab errori-  
 aut evolutum diu persistat integris viribus, bus dia-  
 forasse per aera volitans, aut corporibus adhærens,  
 sicque sensim in sanos ingrediatur, atque eos (b)  
 quasi clanculum inficiat. Id autem fieri probabi-  
 le est, cum variolæ epidemice vagantur, & plu-  
 rimos indiscriminatim corripiunt, eosque etiam,  
 qui nullam cum variolosis ægris consuetudinem  
 habuerint.

(a) HOM. Princ. Med. P. 4. sect. VII. STORCK.  
 Instruz. med. pract. P. I. p. 255. MEZA Comp. med.  
 pract. cap. XXI. § 211.

\* Contrariam tuetur sententiam CÄSIMIRUS MB-  
 DICUS, qui Variolas pro morbo spontaneo habet, nec  
 eas putat ab occulta causa profluere, quamvis con-  
 tagione propagantur. Comparat ipse variolas cum sca-  
 bie, quæ licet sponte ex humorum vitio orta, in sa-  
 nos tamen contagione invehitur; vimque contagii va-  
 rio-

variolosi exiguam esse contendit, Epidemicas autem, ut reliquos morbos epidemicos temporum tribuit vicis-  
 studinibus. Vid. *Comment. de reb. in scient. natur.*  
*& med. gest. Suppl. 2. ad Decad. 2. p. 225.* Sed  
 scabiei contagies solo contactu contrahitur, non ex ae-  
 ris infecti uiura, non rora apud ægrotantes, non so-  
 la propinquitate: quæ omnia contagii non levem dif-  
 ferentiam, & variolosi vim non exiguam, sed prope  
 pestilentem commonstraant. Nec facile concedam, epi-  
 demicos morbos omnes a solis temporum vicissitudi-  
 nibus repetendos esse, cum horum non pauci sæpe  
 sub contrariis, oppositiisque tempestatum constitutioni-  
 bus iugant, invalescantque, & magnum discrimen  
 intersit inter vere epidemicos, & stationarios, sive  
 a temporum, aerisque perturbationibus profectos.  
**CASIMIRI MEDICI** modo laudati sententiæ favent vi-  
 ri clarissimi, qui veterem, obsoletamque opinionem  
 restituere videntur, dum variolas a sanguine funiculi  
 umbilicalis non satis expresso derivandas volunt. Quid  
 de eorum tentaminibus ad præcavendas variolas felici-  
 citer, ut ajunt, institutis sentiendum sit, temporis  
 esto judicium. Interim tamen petam ab ejusmodi pro-  
 phylacticæ methodi fautoribus, cur, quoniam ejusmo-  
 di caussa ita antiqua est, ac genus humanum, Euro-  
 pa, & America tot sæcula sine ea liberæ a variolis  
 manserint? car Sinenses, a quibus inventa, & ad nos  
 transmissa ista prophylactica methodus dicitur, non  
 potuerint huc usque effugere variolosam contagem,  
 a qua frequentissime, & gravissime plectuntur? cur  
 nostris diebus, postquam ars obstetrica aucta, & pro-  
 pe perfecta est, universimque exculta, ut funiculus  
 umbilicalis hodie a nemine vinciatur, recidaturque,  
 quin omnis ab eo sanguis expressus sit, adhuc tamen  
 variolis, ut antea, subjiciamus? Quod postremum cum  
 jam ante sexaginta annos, & amplius Bononiæ a pe-  
 ritioribus Obstetricibus fieri videret Cæsar Marescot-  
 tus publicus Medicinæ Lector, quin aut numerus va-  
 riolis ægrotantium, aut variolarum perniciosa indoles  
 quidquam minuerentur, in suo *Tractatu de Variolis*  
 yanam, falsamque Sinensem, etsi plurimum jacturam,

præ-

præservandi a variolis rationem reputavit, despexitque. Nuper, mense nimirum Decembri anni 1783. Jo. Baptista Frambaglia infantulæ cuidam vix editæ diligentissime expressit ab ejus funiculo umbilicali omnem sanguinem, sic ut inter vincituram, & umbiliculum vacuus omnino esset. Vere infequenti narratum est a Nutrice, infantulam variolis paucis, discretis, & febris expertibus feliciter perfundtam esse. Mense Julio variolæ grassari epidemice cœperunt, maxime malignæ. Augusto ad finem vergente Nutricia filiola quædam variolis correpta est discretis; quæ cum ad exsiccationem jam pervenissent, infantula lactens, de quam supra locuti sumus, incidit & ipsa in variolas minutæ, crystallinas, corymbosas, quibus die 23. Septembris anni 1784. proxime elapsa rapta est. Doluit vir eruditissimus, hoc primum experimentum adeo infelix, inutileque fuisse, ut ne benignum quidem morbum reddisse, quem omnino evitasse speraverat.

(a) HOM. l. c. TISSOT. Epist. var. argument. ad HALLER. p. 6. LUDWIG. Adversar. med. pract. P. 3. Vol. I. p. 473.

## §. CLXI.

Quamquam fatendum est, semina morbi (§. CLX.) non soli aeri insidere, neque in eo vagari semper, cum satis constet, ut supra animadversum est, illa pannis, linteis, vestimentis, aliisque rebus adhærere, & diu in ipsis integræ exfolvantur, atque halitu, aut contactu integra latitare posse, donec caussa accesserit corpora sanorum immissa contagionem pariant. At interdum variolæ sporadicæ tantum, immo singularem aliquem hominem inespectatæ adoriantur. An latuit jamdudum in corpore venenum istud, & tum solum intercedente aliqua

*An aere  
semper  
venenum  
insidiat?*

*An in  
corpore  
latet da-  
ta occa-  
sione ex-  
tricando  
dum?*

causa procatarractica erumpit , & manifestatur ? An vero tum etiam in aere , ut dictum est , jam existebat , nec communicari poterat , quod corpus ad illud suscipiendum minus paratum es- set ? Certa quadam fortasse eget temporum , ae- risque constitutione , ut se exserat , aut ut eam nocendi potestatem acquirat , qua uno potius tempore , quam alio emicet , & propagetur ; aut ut corpora nostra habitudinem , diathesimque sibi comparent , qua miasmatis viam , contagionis- que persentiant efficacitatem . Atque hinc plane intelligi potest , cur pro diversa hujusmodi tem- porum , corporumque constitutione modo uni- versim , sive epidemice , modo sparsim , sive spo-

*Miasma* radice variolæ proserpant . Miasma enimvero va-  
riolosum sine ejusmodi conditione variolas ne-  
derunt . Quaquam ingenerat , ne inoculatum quidem , ut  
ne non frustra tentatæ in quibusdam insitiones sæpe ostend-  
erunt .

### §. CLXII.

*Cur alii citius , a-thesis ( §. CLXI. ) ad virus excipendum , expli- li serius candumque necessaria citius , aut serius compara- inficiantur .* Prout vero ista corporis , humorumque dia-

*Fatus e- ab hac labe satis tuti existunt ; quandoquidem tiam va- negari haud potest , eos in lucem editos plu- ri- piuntur .* res variolas in cute extantes , aut earum vesti- gia satis conspicua habuisse , tum etiam , cum matres , quod sane rarius est , dum utero gesta- rent , variolis non \* laboraverint . Videtur igit- ter miasma in eos , dum in utero degerent ,

illæsa quandoque matre, aut una infecta, irruisse: qua re edocemur, prægnantes teste; prudenterque ab hoc morbo affectis arcendas esse, nè ipsæ, aut foetus, quos gerunt, contagione occupentur. Neque ætate quis adultiore <sup>Neque se-  
nes ab his  
immunes.</sup> ita confidat, (nisi in utero matris forte variolas passus sit) ut sibi persuasum habeat; non amplius, quod antehac contagem effugerit, variolis obnoxium fore; nam non solum proiecti, senesque, verum decrepiti etiam, & prope annis confecti ex hac pestilentia non nunquam prierunt.

(\*) LUDWIGIUS *Adversar. med. pract. P. 3.  
Vol. I. p. 496.* ubi inquit: Matre evadente, post mensem fœtus abortu dejicitur, qui vestigia variolarum depresso in corpusculo ostendebat. FOUQUETUS quoque (*De la petit. verol. T. I. p. 299.*) narrat, mulierem gravidam variolis correptam, & demum pristinæ valetudini restitutam peperisse infantem, in cuius cutè manifesta variolarum vestigia cernebantur. GUILLEMUS WIRGTUS (*Philosophical Transact. Vol. I. pro anno 1767. Part. 2. n. 2.*) vidit infantem die decima quarta, ex quo mater variolis discretis laboraverat, natum, qui a capite ad pedes variolis discretis, & bene amplis, quales octavo; aut nono die esse solent in benigno genere, congebatur. Mater erat æthiops, & Jamaiçæ incola, Infans vero triduo post obiit. In commentariis societatis Scientiarum Harlamensis T. XII. legitur observatio de Variolis ante partum, quam cum societate communicavit JOSUA VAN IPEREN. Sic eam referunt auctores Commentarior. Lipsiens. de reb. in Scient. natur. & medic. gest, Vol. XVIII. p. 596. „ Uxor Cl. Auctoris gravida duos liberos variolis affectos absque omni incommodo curans, infantem sanum quidem, in quo tamen vestigia variolarum conspicuntur, peperit, paullo ante partum, ubi „ fe-

„ fetus absque dubio , laboravit variolis , anxia fuit “ .  
 PETRUS OUTESCHIUS , (*Giornal de Medici T. 2. p. 55.*)  
 non modo ex *Diario Medico Bullion.* ann. 1763.  
 historiam infantis nati cum variolis in facie , collo ,  
 atque humeris exstantibus depromptam recenset , ve-  
 rum etiam narrat , suum fratrem Joannem Baptistam  
 in lucem editum , in cuius corpore multæ variolæ  
 distinctæ , pleræque vero pure jam plenæ , nisi ma-  
 gnitudinem æquantes conspiciebantur . Mater ejus  
 ultimo graviditatis tempore cum alio filio variolis  
 laborante cubuerat . ROSENIUS ( *Malad. des enfans.*  
*chap. XII. p. 183* ) memorat alium infantem qui natus  
 est cum cicatricibus , & crustis variolosis . Ejus mater  
 sub finem graviditatis filiolo natu majori , qui variolis  
 laborabat , assidue adstitit . Sexennio post reliqui ejus  
 filii in variolas inciderunt ; at natu minimus , qui  
 morbum in utero passus fuerat , immunis ab eis o-  
 mnino mansit . Ad hunc locum FEBURIUS subiectit , se  
 vidisse natum pariter infantem , cujus corpus consper-  
 sum erat pustulis variolosis , quæ adamussim sua stadia  
 percurrerunt . Mater autem jamdiu variolas experta  
 fuerat . MURRAYUS ( *Hist. infit. variolar.* P. I. )  
 mentionem & ipse facit infantis cum variolis nati ,  
 cujus mater in fine graviditatis cum alio filio ex va-  
 riolis ægrotante versata erat . Infantem mortuum ve-  
 ris variolis obsessum a Matre nondum hunc morbum  
 perpetua vidit FRID. CHRISTIANUS Holler ( *Observe-*  
*med. Chirurg. Obs. IX.* ) Similem casum refert etiam  
 MEADIUS , *de variol. c. IV.* Ex his ergo evincitur ,  
 non negandum esse , fetus variolis quandoque corri-  
 pi , et si in liquore quodam versentur , a quo eos præ-  
 servari COTUNNIUS opinatus est , nec semper variolas  
 contrahant , matre iis correpta . Cl. GERMANUS AZ-  
 ZOGUIDIUS ( *Lettera sopra il Vajuolo pag. VI* ) que-  
 dam habet ad hoc argumentum ita accommodata ,  
 ut hic transcribenda duxerim latine reddita : „ Do-  
 „ cus quidam medicus Neapolitanus aggressius est ad  
 „ pollicendum mulieribus gravidis , eorum fetus va-  
 „ riolis subiici non posse . At quædam observationes  
 „ hominum medicinæ scientia excellentium , atque  
 „ lon-

„ longo anatomes , usu præstantium , MEADII vide-  
 „ licet , HILDANI , RUYSCHEII , aliorumque com-  
 „ plurium , quas ipse examine fortasse minus diligen-  
 „ ti rejicit , suspectam ejus opinionem reddunt ; quæ  
 „ oppugnari etiam valide potest , non solum ex eo ,  
 „ quod strenuo viro FERDINANDO MARCHESINIO  
 „ nostro contigit videre , verum etiam ex observa-  
 „ tione quadam Monspelli anno , ni fallor , 1773.  
 „ evulgata , ubi nata est infans , quæ in ipso nascen-  
 „ di momento apparuit conspersa variolis perfectam  
 „ suppurationem adeptis , quin parens toto gravidi-  
 „ tatis curriculo obnoxia iis fuerit .

## §. CLXIII.

A vero etiam aberrant qui existimant , in no-  
 bis , postquam semel variolis genuinis perfuncti  
 fuerimus , destrui habitatem , sive diathesim cor-  
 poris , qua uti dictum est ( §. CLXI. ) ad eas  
 recipiendas idonei , aptique reddimur . Nam cer-  
 tissimis ex factis , observationibusque medicorum  
 probatæ fidei , & sumimæ auctoritatis cognitum  
 est , non paucos , qui iam spontaneas , & natu-  
 rales , aut insititas , artificialesque , & quidem  
 veras , & legitimas pertulissent , secundo ; & ter-  
 tio in easdem incidisse . Atque hinc planum ,  
 perspicuumque fit , diathesim illam non semper  
 omnino post toleratas semel variolas in nobis  
 aboleri , aut certe iterum suscitari quandoque  
 posse . Et primum , ne qua de rei veritate dubi-  
 tatio cuiquam supersit , scire licet . DIEMERBROE-  
 CKIUM complures variolis copiosissimis affectos  
 deprehendisse , qui bis , terque intra semestre spa-  
 tium in easdem reciderint (a) . At , ne forte cre-  
 das in his morbum repullulasse potius , quam ex  
 integrō rediisse , animū advertas velim ad ea ,  
 que

quæ suppetunt ex aliorum observationibus , nul-  
lum dubitandi locum relinquētib⁹ . CÆSAR  
MARESCOTTUS de duobus pueris , quorū alter  
bis ; tēt alter variolis laborarunt , mentionem (b)   
facit : Variolas autem in eodem ægro secunda ,  
& tertia vice non nunquam reverti cum ex sua ,  
tum ex aliorum experientia confirmat GUALTE-  
RUS VON DOEVEREN . Ipse præsertim exemplum  
adducit propriæ suæ uxoris , in qua bis , tempo-  
re novi annorum interjuncto , morbus erupit ,  
& testes appellat CAMPERUM , GUMMERUM ,  
BRILLUM , & SWYGHUSIENUM medicos oculatissi-  
mos . Puerum quoque , qui anno 1754. veris  
variolis correptus ab EDINGIO curatus fuerat , in  
eisdem anno 1759. relapsum (c) commemorat .  
Demum profert aliud exemplum ex communica-  
tione SWYGHUSIENII alias mordicus variolarum  
reversionem negare soliti , quod ita invicte eum  
ab errore , in quo versabatur , revocavit , ut po-  
stea non amplius de variolis iterum redeuntibus  
dubitaret . Simile fatum subierunt puer quatuor  
post hebdomadis , quam prima vice variolis labo-  
raverat ; & binæ puellæ , quæ anno 1744. eas  
perpeſſæ erant , in eisdem anno 1760. ut refert  
SERVANS VAN DE COPELLO (d) , reciderunt . Me-  
minit etiam J. FR. DRYGHOUTIUS (e) de mulie-  
re , quæ anno 1755. inoculatione variolas con-  
traxit , iterum anno 1764: hac lue correpta . Re-  
ditum item variolarum a se vifum exponit in  
*Collectaneis Soc: med. Hauniensf.* (f) V. B. AASKO-  
WIUS , qui alioquin de aliorum observatis valde  
dubitaverat . Mulierem quoque variolis iterum  
affectam vidit THEOPHILUS MEZA (g) cum BUCK-  
WALDO , qui eam antea ab eodem morbo libera-  
verat . Demum testatur ROSENUS ex historia a  
duo-

duobus illustribus medicis subscripta sibi constare; quemdam variolis spontaneis prehensum, qui eas sibi inoculatas jam (b) persolverat.

(a) *De Variol. & morbill. labor. Histor. Hist. I.*  
p. 346. & Hist. 8.

(b) *De variol. p. 128.*

(c) *De Variol. veris eumd. ægrum adgressis. Vid.*  
*T. XII. Comm. Soc. Scient. Harlem. ad ann. 1770;*  
*itemque Comm. Lips. Vol. XVIII. P. 4. p. 586.*

(d) *Comm. Societ. Scient. Harlem. T. VIII. P. 2.*  
p. 209. ad 216.

(e) *Ibid. p. 260.*

(f) *Vol. 2. p. 91.*

(g) *Compend. med. pract. Fasc. I. Cap. XXI. §. 210.*

(h) *Malad. des Enfans p. 250.*

## §. CLXIV.

Sed intermissis, brevitatis cauſa, reliquis ex-  
teriorum testimoniiſ bene multis, pauca quædam  
tantummodo nostratiū adhuc perſtingam, ne  
nimium aliena, & peregrina conquirendo doine-  
ſtiorum prope, atque inquiliñorum videar obli-  
tus. Non raruſ ſane eſt, ut ex SARCONIO (a),  
& MOSCA (b) viriſ integerrimiſ accepimus, in  
civitate Neapolitana eundem hominem varioliſ,  
& quidem confluentib⁹ ſecundo, & tertio con-  
flictatum videre. Apud Florentinos eadem pror-  
ſus obſervatio obuiuet; nam Jo: ALOYSIUS TAR-  
GONIUS (c) ſœminam biſ varioliſ naturalibus  
comprehensam anno 1775. ostendit, & anno in-  
ſequenti aliam historiam variolarum ſecundo re-  
versarum evulgavit. Tres ſorores eodem tempore  
varioliſ laborantes curandas fuſcepit DOMINICUS  
IUVANELLIUS, quæ alia vice (d) ex eisdem pro-  
ve-

veris & genuinis a Medico, qui tum illis operi tulerat, recognitis ægrotaverant. Duas pariter historias omnibus numeris absolutas anno 1777. protulit HERCULES LILIUS, quibus morbi hujusce (e) reversionem comprobaret. Cum his prope consentientem video GERMANUM AZZOGUIDIUM apud Bononienses publicum Medicinæ professorem ingenii laude, & doctrina præstantissimum, qui (f) non contentus duos ægrós bis variolofo contagio perculsos memorasse, ad vetulam illam se convertit, quæ, ut narrat PETRUS BONELLUS (g), annos octodecim supra centum nata ex variculis octavo redeuntibus obiit; nec prætermittit demum coronidis loco LUDOVICUM XV., cui anno ætatis decimo quarto primum, deinde sexagesim quarto hæc calamitas obtigit. Possem MICHAELIS GIRARDI apud Patavinos tunc degentis observationibus editis (h) rem confirmare, aliisque etiam testimoniis, nisi me contineret exorta paulo post de illis non parva (i) altercatio.

(a) *Istori. de' mali osservati in Napoli p. I. p. 58.*

(b) *Dissert. 2. sull' aria p. 106.*

(c) *Avvis. sopra la salut. uman. ann. 1675. N. 17.*

(d) *Avv. sopra la salut. uman. ann. 1776. N. 9.*

*p. 71. N. 10. p. 79.*

(e) *Avv. sud. an. 1777. p. 167. & 1778. N. 36. p. 281.*

(f) *Lettera sopra il Vajuolo ec. p. VII.*

(g) *Cent. 3. observ. 10.*

(h) *Ritorno del Vajuolo ec. 1776.*

(i) *Giornale di Medic: di P. Orteschi T. IV.*

## S. CLXV.

*Variola-  
rum dif-  
ferentie  
unde?*

Certum præterea est, constantique experientia confirmatum, in una, eademque epidemica constitu-

stitutione, immo in eadem familia, & domo  
uti alios quoscunque morbos, sic quoque vario-  
las multiplici ratione, symptomatumque gravitate  
variari. Multæ enim sunt, ut postea clarius ap-  
parebit, earum differentiæ, & varietates aut a  
pustularum numero, forma, colore, aut ordine,  
modoque procedendi, aut periculi magnitudine,  
malignaque natura ductæ. Hoc etiam patet in  
variolis inoculatione progenitis, quæ, etsi una,  
eademque variolosa materies ad insitionem adhi-  
bita fuerit, non parum quandoque inter se dif-  
ferre visæ sunt. Immo ex *confluentium*, quas  
vocant, pure *discretas* & *benignas*; ex discreta-  
rum, benignarumque contagie *confluentes*, *mali-*  
*gnasque* non raro procreatæ novimus, norunt  
ingenui, atque a partium studio alieni Clinici,  
inoculatoresque. Hinc necessario consequitur,  
venenum variolosum unum natura esse, & si  
quid interdum differat, omnes ejus discrimen in  
majore, vel minore viruleutiae gradu consistere;  
quamquam usu didicerim, ejus effecta pro quan-  
titatis etiam ratione, aut viarum, quibus recipi-  
tur, diversitate non parum intendi, & variari;  
differentias vero variolarum potissimum ex tem-  
peramento ægrotantis, habitu, ætate, humorum  
indole, viæ ratione, vitæ genere, hæreditaria  
labe, anni tempore, epidemica constitutione do-  
minante, aut morborum complicatione manare.  
Quamquam CL. GATTI aliter, quod ad tempera-  
menta, & habitum corporis attinet, sentire vi-  
detur, ubi scripsit, *hunc morbum levem, aut ve-*  
*hementem, periculosum, aut benignum tam in*  
*robustis, quam in debilibus, in macilentis, quam*  
*pinguibus, in temperamentis calidis, quam frigi-*  
*dis, in cholericis, quam phlegmaticis, in habien-*

*humido, quam siccō indiscriminatim observari* (a). Rationi etiam consonum est, constitutiones variolarum epidemicas, modo benignas, modo malignas magna ex parte deberi præcedentium tempestatum, aerisque ingenio; peculiari solidarum, fluidarumque partium statui; morbis stationariis, & quandoque annonæ caritati, & calefacientium abusui, aut etiam ineptæ medelæ, & regiminis (b) adhibitioni.

(a) *Nouvell. reflexions p. 25.*

(b) *STORCK Instruz. Pratic. P. I. pag. 255. CASIM. MEDIC. Comm. Lips. citat. Suppl. 2. Decad. 2. pag. 225. SYDENHAM. l.c.*

## §. CLXVI.

Differen-  
tia Va-  
riolarum. E multis vero, variisque variolarum differen-  
tiis, quas Scriptores statuerunt, præcipue nunc  
a nobis enumerandæ sunt, eoque ordine, qui  
opportunior videbitur, disponendæ. De illa in  
sporadi-  
cae, & e-  
pidemi-  
ca. sporadicæ, atque epidemicæ distinctione, utpote  
cum aliis quibusque morbis acutis communi, &  
jam supra (§. CLXI.) indicata, nihil attinet di-  
cere. Ad proprias earum, atque ex ipsa morbi  
origine, aut natura petitas præstabit descendere.  
Itaque cum variolæ vel sponte, sive naturaliter  
orientur, vel arte, sive insitione procreentur,  
recte primum in spontaneas, sive naturales, &  
in artificiales, sive insititias tribuuntur. De pri-  
Spontaneæ mis nunc potissimum agimus, de alteris postea  
& insiti-  
tia. seorsum pauca dicentur. Utræque tamen conside-  
randæ veniunt vel ut verae, genuinae, & legitime,  
Vera, &  
Spuria. vel

vel ut *spuria*, *nothæ*, sive *illegitimæ*. Veras igitur oportet prius describere, quam de spuriis verba fiant, ut discriminem, quo secernuntur, clarius, commodiusque patescat. *Verae autem*, sive *spontaneæ* sint, sive *insitæ*, rursus ex pustularum modo, *sejunctione*, *cohærentia*, *communicatione*, & *majore*, vel *minore* ad *suppurandum* propensione dividuntur aptissime in *discretas*, *cohærentes*, & *confluentes*. Illæ dicuntur *discretæ*, sive *distinctæ*, quæ, sive *paucæ*, sive *multæ*, ita inter se dissident, ut spatium in *cutæ* *vacuum* & *liberum* inter singulas remaneat; *sejunctionæque* sic elevantur in exiguo tumores, ut supra cutim emineant, ac protuberent. Proximæ *discretis* sunt *cohærentes*, variolæ scilicet forma *discretarum* simillimæ, sed ita attiguæ & quasi racematim hic illuc congestæ, ut multæ cohærent mutuo, & quosdam fere corymbos imitantur. Ubi vero pustulæ hujusmodi *discretis* planiores, minoresque prodeunt, earumque complures in unum coalescunt, & quosdam majores quasi vesicas forma, & figura varias, & parum existantes, in primis faciem occupantes exhibit, *confluentium* nomen acquirunt. Medio se habent loco inter *discretas* & *confluentes*, ut patet, *cohærentes*, vel ad summum varietatem quamdam *confluentium* efficiunt, quæ communior est clinicorum opinio. Omnes tamen hæ differentiæ, *discretæ* in primis, & *confluentes* etsi *essentia*, sive natura omnino non discrepant, habent tamen quædam insigniora symptomata, per quæ facile ( $\alpha$ ) distinguuntur & discriminantur. *Discretæ* autem, *cohærentes*, & *confluentes* generatim cognoscuntur ex pustularum præcipue, quæ in facie se monstrant, numero, multitudine, fre-

*Vera dividuntur in discretas, cohærentes, & confluentes.*

*Discretæ quænam?*

*Cohærentes.*

*Confluentes.*

quentia , distinctione , contiguitate , confluentia ; atque hinc morbi majus , aut minus periculum (b) desumitur .

(a) SYDENH. Oper. Sect. 3. cap. 2.

(b) HAEN. febr. divis. p. 93.

### §. CLXVII.

*Quatuor variolarum stadium.* Ante vero e re fore existimo illud , quod alibi ( §. XI. ) traditum est , in mentem revocare , videlicet quatuor distincta tempora generatim in variolarum morbo constitui . Primum a SYDENHAMIO nuncupatur separationis (a) , ab aliis simpliciter apparatus exanthematum (b) , aut status Contagii (c) , aut ebullitionis , aut effervescencie (d) aut germinationis (d\*) . Id comprehenditur toto illo tempore , quod antecedit eruptio nem , initio facta a prima febris accessione . Interdum tamen incertum hoc stadium est , & saepe deficit , quod sine ulla notabili febre , aut alio incommodo contagii tempus transigitur , & morbus mox ab ipsa variolarum eruptione (e) exorditur . Alterum communiter dicitur stadium eruptionis , itemque inflammationis (f) , idque modo altero morbi die , modo triduo exacto , modo serius , primis se pustulis prodit . HAENIUS vedit puellam inter variolas laborantes diu , nonaque versatam , quæ febre , symptomatisque Contagii quatuordecim dies conflictata ante fuit , quam pustularum eruptio (g) se manifestaret . Quamquam igitur generatim certum tempus , quo eruptio exspectanda sit , definiri nequeat , illud tamen perpetuum est , secundum stadium tum incipere , cum variolæ in facie , & reliquo corpore pri-

primum erumpunt. Tertium autem est, quando pustulæ inflammantur, increscunt, qua de causa nomen obtinet *suppurationis* (b), vel *maturacionis* (i). Absoluta demum suppuratione, sive pure confecto, si tamen variolæ ejus sint generis, in quo suppuratione locum habeat, exsiccantur, in crustas abeunt; & sensim decidunt, & tum quartum stadium, cui *exsiccationis*, aut *declinationis* (l), aut *prolapsus* (m) nomen est; morbi finem facit.

- (a) L. c. (b) MORTON. exercit. 3. cap. 6.
- (c) HAEN. rat. contin. T.I. cap.V. §. III. & VI.
- SCHACHT. Inst. med. pract. cap. XIII. p. 51.
- (d) MEZA comp. med. Fasc. I. cap. XXI. §. CCVII.
- (d\*) SIDOERUS de Varior,
- (e) HAEN. l. e.
- (f) SCHACHT. l. c. (g) L. c. §. VII. n. 3.
- (h) SCHACHT. l. c.
- (i) MORTON. l. c.
- (l) Id. ibid. (m) SCHACHT. l. c.

## §. CXLVIII.

Discretæ, sive *distinctæ* (§. CLXVII.) Vario- Discretæ  
læ a plerisque reputantur *benignæ*, & *regulares*; Confluen-  
contra confluentes *malignæ*, atque *anomalæ*, Re- tes  
gulares autem vocant eas, quæ consuetum, mi-  
tioremque ordinem servant; anomalas quæ ab eo  
tam febre, eruptione, & natura pustularum,  
quam colore, crustis ipsis, majoreque sympto-  
matum malignitate recedunt; & stadiorum tem-  
pora multimodis, atque inordinate (a) permu-  
tant. Primi generis variolas observavit Londini  
anni 1667. 68. & 69. SYDENHAMIUS (b), se-  
cundi anni 1670. 71. 72. & diligentissime ad

naturæ exemplar eas (c) expressit. Verum sedula, attentaque Clinicorum indagine compertum est, discretas interdum perniciosiores ipsis confluentibus (d); malignioresque existere; neque anomalis ita confluentium proprias esse, ut in discretas aliquando non cadant, aut ab ipsis confluentibus abesse non possint; quod ubi incidit, benignæ quodammodo, & regulares apparent. Itaque melius utreque subdividi possunt in *benignas*, sive ut appellat MEADUS (e), *simplices*, & in *malignas*. Illæ, eodem MEADIO docente, cum febre simplici, & cito desinente prorumpunt, facile maturescunt, in pus sincerum post paucos dies vertuntur, & in crustas tandem decidunt. Hæcum febre maligna \* se ostendunt, ægre ad maturitatem perveniunt, & prorsus non suppurant, aut si aliquatenus id eveniat, calore febrili nunquam se remittente, non sine magna molestia in crustulas abeunt \*\*:

(a) HAEN. *Divis. febr.* p. 91. 99.

(b) *Oper. sect. 3. cap. I.* (c) *Sect. 5. cap. 4.* &  
*Dissert. Epist. ad Gull. COLE.*

(d) MEAD. *de Variol.* cap. 2. HAEN. l.c.

(e) MEAD. *ibid.* HAEN. l.c. p. 100.

\* Animadvertisendum est, MEADIUM hic febrem ut a variolis distinctam sumere, atque ab ejus malignitate malignitatem variolarum deducere; dum contra res se habere videatur; nam probabilius existimamus a variolarum malignitate febrem ipsam effici, & produci.

\*\* Malignas variolas in universum describens TISSOTIUS, sit satis, inquit, summam debilitatem, pulsus minimum, febrim indesinentem, & anomale exacerbantem, leve, sed continuum delirium, pustulas minimas, aquosas, ichoras, nigras, maculas cutaneas, hæmorrhagias ubique pororum, & co-

torum, anxietatem continuam, fastidium, apathiam malignitatis in variolis esse criteria non æquivoca; Epist. var. argument. p. 53. Edit. Ven.

## VARIOLÆ DISCRETÆ BENIGNÆ.

## §. CLXIX:

Sed non melius benigna, aut maligna variolarum natura innotescet, quam si singulas earum differentias, quas paullo ante indicavi, describens, sic cujusque notas; & proprietates exposuero, ut benignæ a malignis facile, & distincte internoscantur. Itaque a *variolis discretis benignis* exordiar. Hæ interdum ita mites; & faciles sunt, ut sine ulla febre tam ante, quam post eruptionem, aut certe cum peregrina, & vix sensibili, & nullo prope symptomate efflorescant, & progrediantur (*a*); idque speciatim evenire *in laxiori sanguinis diathesi* animadvertisit, in qua saepe tota separationis periodus sine aliqua insigni ægritudine, ut ipse ait, sensum, & gradatim transigitur (*b*). Frequentius tamen præcedit per aliquot dies incerta, & labens (*c*) valetudo; deinde morbi initium facit febris, modo major, modo minor, prout ad eam ætas, temperamentum, sanguinis diathesis, habitus corporis vires, aliæque res circumstantes magis, vel minus propendent. Ægri primum rigent, atque horrent, tum vehementer incalescent, & sitiunt, anxiæ, atque irrequieti fiunt; capite, dorso, atque etiam interdum artubus, sed non fixo, nec stabili cruciatu, dolent, nauseant, vomituriunt, vomunt, & doloris sensum in epigastrio, & sub cartilagine ensiformi, si manu locus prematur, percipiunt.

piunt. Ad hæc accedunt stupor quidam, aut somnolentia, ingens ad sudores in adultis propensio, in infantibus vero, & pueris ad epilepticos insultus, aut convulsiones. Si convulsionibus, aut eclampsia infantes, aut pueri corripiantur, jam dentitione perfuncti, pro certo habeto, SYDENHAMIO asseverante (*d*), variolas prope instare, & plerumque intra paucas horas erupturas esse, nempe aurora subsequente, si pridie ad vesperam, ut solent, motus convulsivi extiterint; talesque variolas benignas, & magnitudine conspicuas, discretasque ut plurimum esse, rarissime confluentes. Verum fallax ab aliis (*e*) ejusmodi præsigium habetur, præsertim in quibusdam epidemias constitutionibus, & tom præcipue, cum epileptici motus diutius protrahantur, nec cito cessent; nam sæpe, antequam variolæ erumpant, vitæ filium recidunt. Quæ vero soporosos affectus consequuntur variolæ, plerumque confluentes esse consueverunt.

(*a*) HUXHAM. *Essays sur la petite Verole* p. 165.

(*b*) SYDENH. *sect. 3. cap. 2.*

(*c*) TISSOT. *Epist. var. argum. ad Haller.* p. 6.

(*d*) SYDENH. *l. c.*

(*e*) HAEN. *Divis. febr.* p. 98.

## §, CLXX.

*Febris  
irpus  
qualis.* Quod vero ad febrem attinet, hæc a primo ejus ingressu continuæ remittentis typum servat, & statas quasdam accessiones, & remissions habet; plerumque matutinis horis re se remittit, pomeridianis vero, & vespertinis cum omnibus.

Omnibus symptomatibus exacerbatur, & recrudescit, donec paullo ante eruptionem, aut quod frequentius est, eruptione inchoata non amplius excandescat. Non nunquam hæ accessiones, remissionesque aut desunt, aut non ita manifestæ sunt; sed nam æqualis quidam pulsus validi & magui tenor adest, calor item æqualiter viget, urina rubet, & contentis saturatur, quæ omnia naturæ prævalentis indicia sunt. Præterea a quibusdam alia quædam symptomata huic stadio tribuuntur, uti vigiliæ, delirium, oculorum splendor, lacrimatio, tussis, sanguinisque (*a*) e naribus stillicidium. Addunt alii coma, subsultus tendinum, jactationes, ægritu dinem (*b*) immo sternutamenta quandoque, menstruorum fluxum, sanguinis acrem tenuitatem, dissolutionem, alvi in adultis adstrictiōnem, in pueris diarrhœam \*, & non nunquam, et si rarissime, dolores colicos, nephriticos, aut pleuriticos (*c*). Verum hæc graviori ut plurimum in morbo contingunt, & tum maxime cum variolæ ancipitis & dubiæ indolis sunt, aut aliquid malignitatis recondunt, ut recte docet (*d*) MORTONUS.

Sympo-  
matæ que-  
dam, nox  
constan-  
tia.

(*a*) PONTICELL. *Infortun. del Vajuolo cap. 2.*

(*b*) MORTON. *I. cit. exercit. 2. De appar. variol. cap. VII.*

\* In quadam constit. epid. variolas observavit CAROLUS RIGHA; quæ cum alvi fluxu incipiebant, & eundem ad finem usque comitem habebant, bono cum eventu, sive id a saburra primarum viarum complicata eveniret, sive a materiæ variolosæ portione, quæ hac via excerneretur. *Constit. epid. Taurin. an. 1720. §. XV.* VOGELIUS etiam diarrhœam salutarem ab initio ad undecimum usque diem vidit, le-

thalem, vero eam, quæ supervenérit. Vid. Com-  
ment. Lips. Vol. 7. P. I. p. 125.

(c) SCHACHT. Instit. med. pract. cap. XIII. §. IV.

(d) L. c. exerc. 3. cap. VII

### §. CLXXI.

*Secundum studium* Sæpe die tertio ad finem properante, sapissi-  
me quarto ineunte, non nunquam paullo se-  
rius, ante vero hosce terminos rarissime, inci-  
piunt sparsim *Variolæ* discretæ, primum in facie,  
collo, genis, fronte, labiis, pectore, brachiis  
sub specie punctularum, acicularum puncturas ma-  
gnitudine plerumque æquantium, & rubentium,  
quæ mox in pustulas exiguae, sed sejunctas, &  
distinctas exsurgunt, epidermidem ipsam elevan-  
tes speciatim sub finem diei quarti, & multo  
magis die quinto. A facie deinde ad ventrem,  
dorsum, humeros, manus, inferioresque artus  
successive se produnt, sed placide, & tranquille.  
Rotundam figuram assumunt, & retinent; tactui  
tuberculum exhibent duriusculum, renitentem,  
& saturatius rubentem. Ut plurimum intra u-  
num diem naturalem toto fere corporè se profe-  
runt. Raro accidit, ut reliquis insequentibus  
diebus numero augeantur. Altero ab incepta eru-  
ptione die suas bases ampliant, & dilatant; ter-  
tiò, ultra quem raro excurrit eruptionis sta-  
dium, in summis apicibus acuminatur (a). Hoc  
eodem tempore etiam fauces leviter dolent, at-  
que inflammantur, pustulis ibi quoque innascen-  
tibus. Earum vero dolor increscit, prout vario-  
la ipsæ adolescunt. Adolescunt autem, ut dixi,  
paullatim, & dum pleræque mole augentur, at-  
que attolluntur, minores quedam aliæ, quæ mox

ab

ab initio eruperant, sensim delitescunt, delenturque, materia veluti ad alendas, implendasque majores pustulas emigante, nec amplius redeunt, eodem saltem in loco (*b*). Ac dum variolæ in majus fastigium assurgunt, & basim dilatant, circumposita cutis intenditur, & rubore aliquo suffunditur. In apicibus saepe vesiculæ quædam cernuntur liquorem tenuem; & pellucidum contineentes, qui paullatim flavere deinde solet, ut suo tempore in verum pus convertatur.

(*a*) MORTON. *l. c. eruptio Variol. cap. VIII.*  
 (*b*) HAEN. *l. c.*

## §. CLXXII.

Inter notas vero benignitatis in hujusmodi variolis (§. 170. 171.) illa præcipua, & veluti propria est, quod eodem eruptionis die, tertio nempe, aut quarto a morbi exordio, febris quasi repente cum omnibus symptomatibus cessat, vel certe ita defervescit, ut vix amplius quinto, & sexto die advertatur. Nec mirum est, materie variolosa ad cutim critice, & integre propulsa, interiora ab ejus irritatione liberari, & febrim, & reliqua symptomata penitus evanescere. Hinc ægrotantes a febre, doloribus, ægritudine, vigiliis, delirio, aliisque symptomatibus, quæ forte febrim comitabantur, liberi non modo sibi bene habere videntur, verum etiam appetitum, & vires adepti, hilares, & læti jocantur; nisi quod adulti sudoribus diffluere pergunto, etiamsi levibus tegumentis utantur, atque eos evitare

Præcipuum benignitatis signum febris cæsatio.

studeant. Sudores autem isti non penitus desistunt, nisi suppurantibus, & maturessentibus pustulis. Tunc solum sua sponte (*a*) sistuntur, expirationis, sudorisque viis, meatibusque ab inflammatione, & tumore cutis fortasse compressis, atque occlusis.

(*a*) SYDEN. *l.c.* HAEN. *l.c.*

### §. CLXXXIII.

*Tertium Stadium.* Circa finem sextæ, aut initium septimæ diei, computatione ab ingressu morbi facta, id est, tertia, aut quarta inceptæ pustularum eruptionis die, pulsus validius, citatiusque, in primis vespere, micant, & cutis calor intensior evadit, sic ut febrem, quæ prorsus decesserat, redire, aut si tantum conquieverat recrudescere diceres. Immo quandoque tanta est commotionis vis, ut ægri nocte post breyem somnum evigilent, obloquantur, & huc illud se revolvant. Sed hæc febrilis exacerbatio ab incipiente variolarum suppuratione proficiscitur, &, hac absoluta, protinus cessat. Nam tunc pustulæ inflammantur, incrementumque capiunt, intervalla earum manifestius rubere, & tumere incipiunt, non sine tensionis, & lancingantis doloris molestia. Hinc animi ægritudo, corporis jactatio, & caloris interni, externique perceptio consequuntur. Variolæ autem exactissime rotundæ, & distinctæ, nullisque aliis maculis, aut exanthematibus stipatae primo suppurationis, sive maturationalis die marginem rubrum exhibent, turgent, atque in summo fastigio albican tenui humore refertæ; secundo circa basim latiores fiunt, in summitate accumi-

nan-

uantur, & minus pelluent; tertio demum, scilicet ultimo fere hujus stadii die, humore in pus converso flavescent, mox in crustam abiturae; cessante interim ægritudine, & quocunque alio suppurationis molesto symptomate (a).

\* In benignissimis discretis Variolis singula stadia breviora esse consueverunt; nec plerumque unumquodque eorum tres dies excedit, sic ut nemo jam morbi die exarescere pustulæ incipient, & decidant, in facie potissimum.

(a) MORT. exerc. 3. cap; IX. p. 106.

## §. CLXXIV.

Cum autem prima suppurationis indicia pustulas faciei occuperent, exemplo, ea incipiente, facies tota enormiter intumescit; sensimque, progressione hocce stadio, palpebrae etiam turgent, inflanturque, ut simul ad se adductæ oculos omnino occludant, quasi vesicam inflatam, & translucidam super eos extensam representantes. Interdum accidit, ut oculi jam ante claudantur, cum videlicet confertæ, multæque pustulæ in illas, aut etiam in oculos ipsius primo jam eruptio-<sup>Facies tu-</sup>  
<sup>mor pal-</sup>  
<sup>pebras</sup>  
<sup>glandens.</sup>nis tempore impetum fecerint. Proxime a facie intemescunt manus, & digiti ipsi ob pustulas inflammatas tenduntur. Atque haec ita eveniunt, quando variolæ multæ sunt; nam ubi paucæ fuerint, nec febrim, nec ullam ferme molestiam asserunt, nec oculos tumore faciei, & palpebrarum occludunt. At ubi copiosissime eruperint, tunc pustulæ non valde prominere solent, sed paullo planiores, atque in centro aliquantulum de-

depressæ conspicuntur . Alioquin æqualiter in quamcumque partem turgescunt (a) , & ad perfectam magnitudinem evectæ pīsum quandoque grandiusculum adæquant . Liquor eas deīnum replet flavus , vere purulentus , rubro circulo eorum basim ambiente , quod optimum suppurationis indicium est , & molesto sēpe pruriitu comitante , qui in cauſa est , ut fāculis mollissimis , & laxioribus puerorum manus induendæ sint , ne unguibus pustulas , & cutim ipsam sibi dilanient .

(a) HAEN. l. c. p. 94.

### §. CLXXV.

*Suppurationis terminus.* Octavo , & nono morbi die primum in facie , deinde in proximis partibus pustulae occipiunt obfuscari , præsertim in centro , sive summo apice , ibique dehiscentes flavam glutinosam materiam effundunt , colore & consistentia melli , aut palpebrarum lemīs non absimilem (a) , qui paullatim concretus gumīi arabici fructula repræsentat . Hinc ex glabris sunt asperæ , & quidquid in eis rubebat , jam albicat , subpallescit , & flaret , absolutæ , perfectæque suppurationis terminus . Tunc febris , si qua ex suppuratione remittentis , aut intermittentis in modum resurrexerat , cessante jam cauſa iterum & ipsa evanescit , blando sēpe sudore universo e corpore emanante . Dum in facie , & truncu obfuscantur , flarent , & scabré sunt reliquæ in artubus albido pure plenæ , & non nihil depressiores cernuntur , nec asperitudinem acquirunt , neque siccescunt . Scire autem interest , tempore suppurationis , quo magis genui-

quinzæ, benignæque sunt variolæ, eo interstitiæ earum, cutimque circum positam colore, qualem rosæ Damascenæ exhibent, vividiore (b), & nitidiore rubescere.

(a) SYDENHAM. l.c. PONTICELLI l.c.  
(b) SYDENHAM. ib.

### §. CLXXXVI.

Suppuratione sic absoluta, facies detumescit, *Quarsum Stadium*. quod decimo, aut undecimo ad sumimum die fieri solet. Sed tum a facie tumor ad manus, & pedes transit, quia in his ut tardior plerumque eruptio, sic quoque pustularum inflammatio, & suppuratio reliquis posterior est. Interea faciei pustulæ, & superiorum partium maturitatem adeptæ jam arescunt, earumque crustulæ decidere incipiunt, ita ut multæ jam die duodecim, aut decimo tertio, aliæ decimo quarto, aut decimo quinto penitus exaruisse videantur, & in crustulas omnino transmutentur. Artuum vero pustule, ut jam indicavi, quia serius reliquis & erumpunt, & suppurant, uno vel altero die adhuc egent ad aresendum. Ut plurimum tamen puris plenæ, atque albidae disrumpuntur potius, quam siccantur, contra quam in facie, alibique evenire solet. Pustulis demum exsiccatis, & delapsis succedunt squamulæ quædam furfuraceæ, quæ ubi secesserint, deciderintque, soveolas aliquando relinquunt in cute. Cum enim primum variolarum crustæ abscesserint, nulla in cute excavatio deprehenditur; sed potius in earum sedibus quidam veluti clivus remanet. At squamulis, quas dixi, excidentibus non modo clivus iste

iste exiguus evanescit, verum etiam cutis ipsa foveolis incavata reperitur; quamquam in discretis, benignisque variolis raro admodum vestigia ejusmodi conspicua, aut diu permanens incurantur; exceptis maculis quibusdam rubris, quæ in omnibus ad duos circiter menses supersunt, antequam albidum consuetumque colorem cutis (*a*) adipiscatur. Notandum demum est, toto morbi curriculo ægrotantes in discretis, & benignis variolis alvum vel coquessam habere, vel rarissime dejicere; nec quidquam mali inde eos (*b*) pati.

(*a*) SYDENH. *I. c.*  
 (*b*) *Id. ib.*

### §. CLXXVII.

*Animad-*  
*versio de*  
*earum*  
*varieta-*  
*tibus.*

Hæc est communissima variolarum discretarum, & benignarum ratio. Fatendum tamen est, quandoque eas levibus quibusdam varietatibus subjici, atque a consueto procedendi more aliquantulum desciscere. Sed non ideo earum sive natura, sive exitus quidquam mutatur, si recte curentur. In primis observantur interdum variolæ discretæ, quæ etsi benignarum morem retineant, eamdemque naturam sortiantur, ab his tamen aliquantulum deflectorè videntur, quod maturationis stadium longius, & lentius percurrent. Nam earum pustulæ primo quidem, vel secundo suppurationis die albescunt: verum apices ob minorem humoris copiam susceptam aliquanto depresso ostendunt; nec nisi tertio; aut quarto die turgescunt, & acuminantur, & quinto demum flavescere incipiunt. Hæ autem, uti benignæ, febre,

bre, ptyalismo, urinæ profluvio, vel extremorum tumore, quæ malignarum; & confluentium fere propria sunt, prorsus vacant; & solo maturationis tempore hujusmodi vicem subeunt, sequè produnt. Sciendum præterea est, ptyalismum, qui alias confluentibus quasi proprius, ineunte eruptione, supervenire solet, in discretis quandoque, ut ex SYDENHAMIO (*a*), & HAENIO (*b*) compertum habemus, observari, & ubi is accefserit, per eum suppleri diarrhoeæ defectum, utilissime (*c*) esse consueuisse. Sed utrumque vere dici videtur de variolis discretis non benignis; nam malignas tantum alvi flueus exercet; & si is deficiat, ptyalismo facile supplebitur.

(*a*) *Op. sect. 3. cap. 6.*

(*b*) *L. c. p. 97.*

(*c*) TISSOT *l. c. p. 44.*

## VARIOLÆ DISCRETÆ MALIGNÆ.

### §. CLXXVIII.

Hactenus de variolis discretis benignis: nunc *In primo stadio quanam symptomata.* de eisdem, sed malignis; nam discretæ non nunquam, quòd alibi (§. CLXVIII.) dictum jam fuit, malignitatis notas habent, & pernicioſæ deprehenduntur. Quando tales occurruunt, eadem ferme symptomata, quæ in benignis (§. CLXVIII. CLXIX.) descripsimus, generatiū sibi vindicant, sed graviora pleraque, & vehementiora. In primo *stadio* dolor capitis, & lumborum atrocius discruciat; major est virium debilitas, anxitudo, inquies, mentis stupor, atque aberratio, itemque nausea, & cibi fastidium, & reliqua omni-

no aut molestiora , aut magis insueta , & inter se repugnantia , ut continuo de perniciosa , & maligna morbi insolentia suspicio oboriri debeat . Suspicionem vero hanc augeant , & prope certam faciunt in primis vigiliæ pertinaces , & delirium , aut contra coma profundum , tendinum subsultus , tremor artuum , languores , ad lipothymiam proclivitas , & speciatim respiratio inæqualis , cita , laboriosa , cum crebris suspiriis . Febris quoque longe alia est , quam in benignis . Nam vel ardentior est , & continentis in modum magis assidua cum pulsu statim validiore , & frequentiore (a) ; vel contra specie levior apparet cum pulsu non admodum crebro , sed parvo , inæquali , calore niti , siti aut nulla , aut exigua , quamquam lingua facile arescat . Interim secundo , aut tertio morbi die exanthemata miliaria , aut peticulae , aut maculæ lividæ prodeunt circa collum , pectus , & brachia , atque hæc manifestius declarant malignitatem , gravitatemque mali , quocum variolæ complicantur . Quod si in hac prima periodo exanthemata illa non prodeant , certe non deerunt in altera insequenti , nempe in ipsamet variolarum eruptione . Ad hæc accedunt urinæ multæ , aqueæ , percolatæ , interdum acres , vesicam , urethramque irritantes (b) , vel turbidæ , confusæ , non subsidentes .

(a) PONTICELLI *Infort. de vajuolo c. 3.*

(b) *Id. ib.*

## §. CLXXIX.

Die quarto incipit quidem, ut in discretis benignis, variolarum eruptio, sed pustulæ lente, & difficulter se exserunt, neque ordinem, quem discretæ benignæ servare solent, prosequuntur; nam primis illis, quæ die quarto ad cutini prodierunt, aliæ atque aliæ die quinto, & sexto pedetentim, & interrupte succedunt; dum contra in benigno genere eruptio fere universa plerumque intra nychthemerum perficitur. Sed variolæ ipsæ, et si discretæ, inter se tamen plurimum magnitudinis, formæ, & coloris ratione dissentivint. Nam aliæ sunt majores, aliæ minores; quædam acuminatæ, obtusæ aliæ, & in medio depresso, quas ideo umbilicatas vocant; hæ subpallidæ, aut subfuscæ; illæ pellucidæ, & tenuissimum humorem continentæ. Pleiæque eorum nullum, aut plane exiguum dolorem pariunt, contra ac benignæ; cujus loco pruritum potius intolerabilem sæpe comitem habent. Quemadmodum vero ægre, lente, & inordinatim efflorescunt, sic etiam serius augmentum capiunt, & suas bases dilatant, & in fastigium elevantur. Nec febris, ut in benignis, pest eruptionem cefsat, neque se se insigniter remittit; sed assidua perstat; immo sæpe ingravescit cum omnibus symptomatibus; in quo præcipua variolarum malignarum nota consistere videtur, nec sine causa. Probabile enim est; tantam esse vel veneniciopiam, vel sanguinis, aliorumqæ humorum depravationem ab eo inductam, ut exanthematis variolosis, et si multis & valde crebris, frequentibusque ad cutim exortis, non tamen tota lues

expulsa sit; sed magna pari intus remanens solidas partes omnes, & viscera ipsa afficiat, humoresque fere universos corruptipat; quo sane fit, ut non modo febris persistere debeat, verum etiam tertiaria symptomata oriantur, aut vehementius increascant.

(\*) Quæri solet, an viscera variolis obnoxia sint? HALLERUS in *Historia constitutionis variolæ anni 1735.* sub finem, nunquam, inquit, in cadavere repereri pustulas ultra pharyngem altius fuisse, aut ventriculum, aut intestina, aliave viscera obse disse. TISSOTIUS etiam (*Epist. var. argum. ad Hallerum p. 46. edit. Ven. 1774*) in quatuor cadaveribus nihil invenire potuit, quod interiora variolis corripi ostenderet. At HAENIUS (*Rat. contin. T. I. Cap. V. § VIII. N. V*) Variolas internas dari, et si non in omnibus cadaveribus reperiantur, experientia fultus arbitratur. Ac revera ab aliis doctis æque & soleribus viris quandoque repertæ narrantur. FERNELLUS (*lib. 2. de abdit. rer. causs. cap. 2.*) saepe, inquit, deprehensem, quosdam ab interitu fuisse dissectos, quibus jecur, lien, pulmones, omniaque interiora, haud secus atque cutis fædissimis populis manantibus scaterent. BALLONIUS in equite torquato ex variolis denato echymata interna vidit (*Epid. de ephem l. 2. pag. 207.*) In principe viro non tantum exterius undique corpus variolis obsitum, sed interiorius etiam ipsa viscera ejusmodi pustulis scatentia reperta esse refert HORSTIUS (*Instit. med. Disput. 3. Addit. 1. Epist. ad Henric. Arnissæum Oper. T. I. pag. 140.*). PARÆO etiam contigit videre in duabus puellis interiora viscera crustosis pustulis obsita quales in cute erumpunt (*Lib. 19. Cap. I.*) Hæc demum confirmantur a MEADIO (*De Vario!. cap. 3.*) qui pulmones, cerebrum, jecur, intestina pustulis interdum conspersa invenit. Ex utraque parte video summos viros, nec audeo, utris magis credendum sit, definire.

## §. CLXXX.

Quod si , ut aliquando accidit , magnitudine , *Alia si-*  
 forma , & colore benignas imitari videantur ; *gna ma-*  
*fluxu tamen alvi immodico , sudore inutili , de-* *lignita-*  
*lirio , & vigilia , aliisque alienis symptomatibus* *tem deno-*  
*metum incutiunt , ne sub initium suppurationis ,* *tentia .*  
 sive tertii stadii spasmis repentinis , vel comate  
 profundo ; vel diro alio symptomate superveniente ,  
 quod non raro ( proh nimium ! ) usuvénit ,  
 ægri corripiantur , & pereant . Aut etiam , nisi  
 priore in stadio peticulæ , aut maculæ lividæ ,  
 aut pustulæ miliares jam apparuerint , ut supra  
 ( §. CLXXVIII. ) posui , secundo mox eruptionis  
 die se variolis adjungunt hujusmodi exanthemata ,  
 quibus variolarum interstitia in collo præ-  
 fertim , pectore , & brachiis , si loca atterite lu-  
 strentur , scatere inveniuntur . Neque ab his ab-  
 sunt alia malignitatis indicia , uti pulsus debilis ,  
 virium languor , lipothymiæ , spasmi , desipientiæ ,  
 atque alia ( a ) quæ exitium sœpe portendunt .  
 Nec mirum , cum præter variolosum virus etiam  
 peculiare , aut utrumque simul jungantur , &  
 periculi magnitudinem augeant . Illud quoque  
 scire convenit , in discretis hisce malignis faciem ,  
 & palpebras interdum ita intumescere , ut oculi  
 citius , quam in benignis , omnino claudantur ;  
 vocemque multo magis raucam reddi .

(a) MORTON. exercit. 3. cap. VI. VII. & VIII.  
 pag. mihi 45. 54. 80. 85.

## §. CLXXXI.

*Tertium stadium.* Interea variolosæ pustulæ febri plus minus ma-  
gnæ, & assidua comitatæ paullatim ad octavum  
visque diem augmentur, atque adolescunt; deinde  
suppuratio, sive tertium stadium insequitur. Tunc  
saepè, ut paullo ante dictum est, repente spasmi,  
& nervorum distensiones, aut veterinus, aut alia  
perniciem minantia symptomata accedunt (*a*):  
Fereque harum variolarum proprium, & peculia-  
re est, quod raro, ac sero admodum ad maturi-  
tatem (*b*) perveniunt. Et quamquam hoc ipso  
suppurationis stadio interdum inflamminentur in-  
genti cum febre, & doleant acriter, & crebris  
intus functionibus pertundantur sic, ut in sup-  
purationem certo niti videantur; non tamen ideo  
maturescunt, frustrato penitus naturæ molimine.  
Quando hæc accidunt, quin bona suppuratione ob-  
tinetur, tunc delirium, aut coma, aut anxietas  
cum pectoris oppressione peripneumonica, aut  
anginosa fauciū præfocatio, & deinceps mors  
quasi repentina (*c*) plerumque subsequuntur.  
Non nunquam tamen febris moderata est, &  
suppuratio, ut ut lenta, & tarda, bene proce-  
dit, perficiturque. Hac absoluta, laudabilis tan-  
*Quartum stadium.* dem exsiccatio, ut in benignis, contingit, sive  
æ gri (*d*) servantur, & convalescunt. Ad malig-  
narum discretarum genus referendæ mibi viden-  
tur Variolæ anomalæ annorum 1670. 71. 72. a  
*Variola nigra Sydenhamii.* descriptæ, & nigræ ab eodem  
appellatae. Hæ discretæ erant; sed plerumque die  
tertio erumpabant, nec ad eam magnitudinem  
procedente morbo assurgebant, ut discretæ beni-  
gnæ, sed magis exasperabantur in minori mole;  
& præ-

& præterea sub diebus ultimis , ubi jam maturerant , nigræ frequentius fiebant . Interdum , paucissimæ licet essent pustulæ , cum ptyalismo tamen conjungebantur .

(a) Idem. l. c. p. 80.

(b) Idem. ibid.

(c) PONTICELLI l. c.

(d) Idem ibid.

(e) Opp. sect. 3. cap. VI. p. 228.

## §. CLXXXII.

Præterea est quoddam discretarum genus intermixta quasi naturæ , partim videlicet benignum , partim malignum. In hoc variolæ initio eruptio non modo discretæ , verum etiam forma , colore , atque ordinato exitu benignæ videntur ; neque ullum malignitatis signum in primo stadio eas antecessit , neque postea erumpentes comitantur . At , facta eruptione , novam induunt naturam ; malignæque evadunt . Tunc enim fiunt sessiles , & deprimuntur , immo in marginibus livescant præter expectationem . Supputationis vero stadium ingressæ mox exarent , albis apicibus distinctæ , atque humore vacuae : nec earum defecitionem ; aut inanitatem supplet ulla subsidiaria evacuatio ; nam ab his abest salivæ , aut urinæ profluviū , quo in confluentibus morbidi humoris pars exuberans , aut refluens intro , foras ejicitur ; neque extremorum supervenit tumor , quo retenta materies utiliter congeri , deponique sollet in aliis malignis . Interdum sine magna febri , ut notat (a) MEADIUS , & parvo omnino dolore hujusmodi variolæ afforescant , ut sine periculo esse videantur : Sed specie benignitatis

fallunt. Cum enim in tertio stadio matnescere deberent; repente natura quasi deficiente, nulla sit eorum suppuration. Hinc febris exacerbatur, increscitque, & accedente delirio, spiritusque difficultate intra breve tempus æger interimitur. Non raro peticulis, aut aliis mali moris exanthematibus implicantur, atque interpunguntur; unde malignitatem, qua per se caruissent, necessario incurruunt. Alias eruptione rite finita confluunt, aut in uno saltem coherent, & sic ex discutatis, & benignis, quæ prius existiterant, in confluentes, & sœpe malignas degenerant. Interdum etiam febris, quæ ante eruptionem benigna & mitis fuit, & post eam intermittere, aut certe multum remittere, ut in benignis, visa est; sub finem ipsius eruptionis, jam deposita benignitatis simulatione & vigilias, & deliria, & hæmorrhagias interdum, aut micturitionem, & reliqua maligniora symptomata sibi adjungit. In hoc tamen genere nec fatum adeo preceps, nec adeo ineyitabile est, ut in variolis primario magnis; nam plures ex eo evadunt. Pauci vero ii, qui morbi vim sustinere nequeunt, plerumque circa diem undecimum, aut duodecimum, qui in confluentibus etiam synestus esse solet, occumbunt (*b*). Quod si quis eorum fortuna servetur, is variolis crudis, & nusquam maturatis, quartum stadium, sive declinationis ægre admodum, & ærumnose longius, & indefinito termino protractum, fere semper moribundo similis (*c*) absolvit.

(*a*) *De Variol. cap. IV.* (*b*) MORTON, *Exerc. 5. cap. IX. p. 107.* (*c*) *id. ib.*

## §. CLXXXIII.

Ad malignum discretarum genus pertinent quædam variolarum species, quæ eis discretæ, & distinctæ, nunquam tamen ad suppurationem per ligarum ducuntur. Harum duplex statuitur differentia, crystallinarum videlicet, & verrucosarum. Crystallinæ a plerisque vocantur illæ, quæ ab humo re quodam tenpi, lymphatico, pellucido, acri, suppurationi inepto, immo caustico, & rodente (*a*) conflantur. Hinc a quibusdam lymphaticæ etiam dicuntur. Has fatemur non semper discretas esse, sed aliquando confluentium modo erumpere, & (*b*) progredi. Sed tum a discretis, de quibus hic differimus, confluentia, & complicatione facile distinguuntur. A spuriis etiam variolis, cum quibus aliquam crystallinæ similitudinem habent (*c*), ut suo loco videbitur, febre continua, & symptomatibus pericolosis, & longiore durationis tempore discriminantur. Ad *Crystallinas* porro veluti varietatem quamdam refert MEANIUS siliquosas Freindii (*d*), variolas nempe liquore vacuas, sive vesiculos rotundas, molles, concavas, inanésque, eo quod humor, qui eas replebat, vel absortus intro fit, vel ruptione (*e*) effusus, vel copia ptyalismi, ubi is non defuerit, quodammodo (*f*) exhaustus, Altera differentia scilicet *Verrucosarum* complectitur variolas item discretas, sed duras, verrucis simillimas, & supra cutim axstantes, ex densiori, tenaciorique muco (*g*) concretas. Non enim quidquam in eas lymphatici humoris illabitur, aut vacuum spatium ullum cernitur. Sed rubræ, & duræ a quarto die ad extremum usque

morbi decursum *eamdem faciem*, *eamdemque figuram* constanter tuerentur (*g\**). Hæ quoque e discretarum ut plurimum genere, & quidem malignarum (*b*) esse solent, & suppurationis incapaces; quamquam non negaverim eas inter benignas interdum, aut spuriæ recentiæ (*i*), sed tum malignitatis signis, febre, & diris symptomatibus alii, quæ discretas malignas exercent, facile carent. Quando vero malignæ sunt, nequaquam suppuratione solvuntur, neque in crustas fatiscant, aut decidunt, sed paullatim (*l*) tantummodo desquamantur. Pejores crystallinis eas existimavit MEADIUS, quamquam id alii negant, quod fortasse eas benignas, uti HAENIUS (*m*), viderunt.

(*a*) HAEN. *Divis. febr. cap. 2.*

(*b*) MEAD. *de Variol. cap. 2.*

(*c*) HAEN. *l. cit. p. 99.*

(*d*) *De quibusd. Vario. gener. ad Cl. MEAD. Ep. 2.*

(*e*) MEAD. *l. c.*

(*f*) SAGR. *de Variol. Iglaviens. p. 29.*

(*g*) MEAD. *l. c. p. 18. SAGR. l. c. p. 28.*

(*g\**) FREIND. *De quibusd. variol. gener. ad Cl. MEAD. Epist. 2.* (*b*) MEAD. *ib.* Exemplum malignarum videre est apud FREINDIUM *l. c.* ubi fatalis morbi historia perdiligenter descripta est.

(*i*) HAEN. *l. c. pag. 92.* qui dubitat, an variolæ crystallinæ MEADI, & siliquoſæ FREINDII, itemque verrucosæ, aliæque ad anomalas, malignasque vere spectent, quia eas terminari sine molestia, & periculo observavit. Sed tum benignarum, aut spuriarum varietatem eum dumtaxat vidisse censerem.

(*l*) *Idem l. c.*

(*m*) *Ibid. p. 100.*

## VARIOLÆ CONFLUENTES BENIGNÆ.

## §. CLXXXIV.

Discretas proxime sequuntur Variolæ *confluentes*; sed inter utrasque medium quasi locum te-  
nent illæ, quæ *cohærentes* (§. CLXVI.) nomi-  
nantur. In his pustulæ discretarum more pro-  
deunt, hoc à discretis tamen discrepantes, quod  
denso agmine cutim replent, atque ita sibi in-  
tuo incumbunt, ut plurimis in locis se tangant;  
& quasi racematin aliae aliis adhæreant. In pri-  
mis vero ad pustulas, quæ in facie exstant, res-  
picere oportet; nam ab his potissimum, non ab  
aliis in reliquo corpore existentibus *discreta*, aut  
*cohærens*, aut *confluens* variolarum indeoles desu-  
mitur. Hinc si quæ faciem occupant, discretæ  
fuerint, et si reliquis in partibus cohæreant, aut  
confluant, *discretarum* nihilo secius naturam re-  
tinent: & contra, si in facie cohæreant, aut  
confluant, licet discretæ alibi appareant, *cohæ-  
rentium* tamen, aut *confluentium* pravitatem se-  
quuntur. *Cohærentes* præterea febre majorem  
gignunt, & serius, quam discretæ benignæ, ad  
maturitatem perveniunt; nam valde rarum est,  
eas octavo die suppurare, & maturescere. Hinc  
tardius etiam in crustas arescunt, & tardius iti-  
dem decidunt. Ratius etiam *cohærentibus* super-  
venit ptyalismus, qui alioquin confluentium co-  
mes fere inseparabilis est, qui a discretis, sal-  
tem benignis, abesse generatim solet. In univer-  
sum *cohærentes* confluentibus benigniores (a) ha-  
bentur; quamquam & ipsæ malignæ, & perni-  
ciosæ esse possint, velut nimirum eruptione fa-

Et a febris vel desinit, vel continuat, & malignitatis symptomata vel absunt, vel cum ea copulantur. Quia vero proprius ad confluentes, quam ad discretas ratione numeri formæ, & gravitatis accedunt; idcirco petimus, ut nobis integrum sit eas sub uno confluentium genere cum PONTECELLIO (b) comprehendere.

(a) HAEN. Febr. divis. p. 98.

(b) L. c. cap. VI.

### §. CLXXXV.

*Confluentes.* Cum igitur confluentes universim discretis, saltem benignis graviore, periculosioresque sint, male hæ ita audiunt, ut pro malignis, atque anomalis vulgo reputentur. At non nunquam si ne magno periculo, et si discretis benignis aliquanto graviore, suum curriculum absolvunt, felicique exitu terminantur, ut benignæ præ discretis malignis, quod supra animadversum est, *Divisio in benignas.* ipsæ dici possint. Quare satius existimò eas diligenter videre in benignas, sive minus perniciose, & in malignas, sive perniciosiores. De utrisque autem hic acturum me ordinis ratio admonet, ut initio a benignarum expositione facto paullatim ad malignas gradus fiat, hac tamen venia, ut multa, quæ ad alterutras opportune illustrandas pertinent, subinde, ubicunque res postulaverit, interferere liceat.

### §. CLXXXVI.

## §. CLXXXVI.

Tempus contagii , sive primum stadium confluenter benignarum , eodem ferme modo transigitur , ac in discretis benignis ( §. CLXIX. ) , Confluentes benignæ quartæ in principio stadio. nisi quod febris , & symptomata , uti anxietas , ægritudo , vomituritio , vomitus , sitis , dolor capitis , dorsi , & lumborum , & reliqua ut plurimum sunt aliquanto graviora ; minor vero , aut certe rarer ad sudores in adultis (a) proclivitas , frequentior tamen in pueris diarrœa (b) , quæ non modo eruptionem antecedit , sed etiam ab ipsa eruptione per unum , vel alterum diem quandoque protrahitur ; quod nunquam in discretis SYDENHAMUS animadverterat . Febris autem etsi a primo statim insultu assidue , & graviter ad eruptionem usque pustularum teneat , non tamen acutissima est , neque ea virium dejectione , aut spirandi difficultate , aut mentis perturbatione , aut pulsuum pravitate , & debilitate stipatur , quam in discretis malignis ( §. CLXXVIII.) memoravimus . Immo facta eruptione , mox aliquantum mitescit , quasi inducias datura , & sæpe , ut in discretis benignis , matutino præsertim tempore intermittit ad suppurationis usque stadium . Tunc vero resurgit quidem iterum , sed , pure confecto , mox evanescit , & cessat . Contra in confluentibus malignis assidua est , & vespertinis , nocturnisque horis cum omnibus symptomatis exacerbatur , intenditurque (c) non leviter . Quod probe animadvertendum est ; nam ex hoc potissimum signo variolarum benignitas , aut malignitas manifestatur . Absunt deinceps a confluentibus benignis in hoc ipso stadio contagii peticu-

Quales  
in secun-  
do, & in  
tertio.

læ , maculæ lividæ , atque exanthemata miliaria , itemque tremores , subsultusque tendinum , qui malignas sive confluentes plerumque antecedunt .

(a) SYDENH. l. c.

(b) Id. ib. HAEN. Divis. Febr. p. 95. 96. SCHÄCHT. Instit. med. pract. cap. XIII. §. V.

(c) SYDENH. l. c.

### §. CLXXXVII.

*Secundum stadium* Tertio die ineunte , immo etiam citius *eruptionis stadium* incipit , & longius quam in discretis præsertim benignis producitur . Quo vero maturius variolæ erumpunt , eo etiam magis confluere , & copiosiores esse (a) consueverunt . Interdum eruptio differtur ad diem usque quintum , sextum , aut septimum , & ultra etiam , *Quo differunt malignis.* sed malo semper omne ; idque in confluentibus præsertim malignis accidit . Natura enim tum aut debilior , aut morbi malignitate oppressa , aut aliquo dolore non vago , nec versatili , qui minus periculi habet , sed defixo , & stabili , puta in lumbis nephritici æmulo , aut in lateribus pleuritico simili , aut in articulis , aut in ventriculo cum ingenti ægritudine , & vomitu , arthritide , cardialgiā ; aut colicum affectum imitantē excruciatā , & quasi compressa ægre eruptionem molitur , seriusque consequitur . Ceterum multæ prodeunt , jam ab ipso exortu implicatae , aut cohærentes , aut confluentes . Quandoque fit , ut prima apparitione distinctæ , & discretæ appareant , sed mox ipsæ vel una cohærent , vel in latiores vesiculos coalescant , & con-

confluunt. Generation parvæ admodum, & magis minutæ, quam in discretis, atque ita crebræ, & densæ cernuntur, ut primo intuitu inter initia non facile eas a morbillis, aut ab erysipelate distinguas. Ab utroque tamen exanthematis genere discernuntur reliquis signis erysipelatis (§. XV.), aut morbillorum (§. CX.) propriis deficientibus, præsentis epidemiac consideratione, & paullo post manifestiori vesiculari, variolosa que conformatioe. Si igitur hujusmodi postulæ faciem veluti confertissimæ arenulæ, contegant, licet in reliquo corpore discretæ, & paucæ reperiантur, non ideo tamen a confluentium, natura, & gravitate desciscunt, æque ac si magna frequentia omnia membra afficerentur. Contra si truncum, & artus erebræ, & densæ occupent; quæ vero in facie effluerunt, rariores, majoresque fuerint, magis ad discretarum benignitatem accedunt, tutioremque morbum significant. Magnitudo enim morbi, & benigna, aut maligna confluentium natura æstimanda potissimum est, ut supra dictum est, ex numero, & qualitate variolarum, quæ faciem corripiunt. Facta eruptione, ni febris cum suis symptomatibus cefset, ut in discretis benignis, plerumque tamen, ubi confluentes vere benignæ sunt, plurimum remittit; at si malignæ, ne remittit quidem (b).

(a) SYDENH. l. c. HAEN. l. c. p. 96.

(b) SCHACHT. l. c. cap. XXI. HAEN. l. c.

## §. CLXXXVIII.

*Eruptio  
confluen-  
tium qua-  
nam ha-  
beat cum  
malignis  
& beni-  
gnis com-  
munia?*

Variolæ igitur confluentes postquam in cutem prodierint, de die in diem mole augmentur; sed namque vix unquam ad eam magnitudinem assurgunt, ad quam discretæ pervenient; speciatim etiam, quæ faciem obsederint. Mutuo enim inter se communicaentes vesicularum rubrarum instar universam faciem operiunt; & brevi deinde latam pelliculam albida rapresentant, quæ toti vultui veluti agglutinata adhaeret, parum supra cutim (a) prominens. At quo longius a facie descenditur, pustulæ sensim paullo maiores sunt, sic ut omnium maximæ in manibus, & pedibus existant, semper tamen discretis minores. Liquorem continent acquosiorum, tenuioremque, qui per molestum acritatem sua pruritum creat. Facies universalis citius, quam in discreto benigno genere, intumescit (b). Infantes, & primos fere semper alvi fluxus premit, adultos vero ptyalismus, qui statim cum ipsa eruptione exorditur (c), vel saltem postridie, aut biduo exacto supervenit, fereque constans confluentium in adultis symptomata censetur; quamquam in his interdum, ut verum fatear, omnino deficiat, quemadmodum fere semper deficit in discretis (d). Ptyalismo autem isto humor tenuis effluit, atque ad aliquot dies, nempe ad suppurationis usque tempus ad minimum ita ubertim exstillat, ut multa lin-  
*Quanam  
maligna.  
rum ma-  
gis pro-  
pria?*

teola tam die, quam nocte madefiant. Atque hæc quidem confluentium omnium, sive benignæ sint, sive malignæ, communia existimantia. Alia autem quæ in hoc ipso secundo stadio variolis con-

confluentibus tribuuntur symptomata, uti phrenitis, coma, peticulæ, pustularum nigredo, narium hæmorrhagiaæ, menstruorum intempestivus fluxus, hæmaturia, sive mictus cruentus, ischuria, sive urinæ suppressio (*e*) & tetra hujusmodi symptomata, vix in confluentes benignas unquam cadunt, cum eârumdem, sed malignarum propria pene sint, ut postea ostendam.

(*a*) SYDENH. *l. c.*

(*b*) *l. c.* HAEN. *l. c. p. 97.* SCHÄCHT. *l. c.*

\* Cl. SAGARIUS (*Epid. Iglavien. ann. 1776. pag. 71.*) vidit etiam in pueris ptyalismum huic stadio non nunquam supervenientem, frequentius vero tertio stadio. Sed malignæ admodum erant variolæ in illa constitutione. Saliva autem, quæ tunc excrenebatur, acerrima, & fere caustica erat, & ni cito expueretur; maxima mala inferebat. Nam deglutita dolores, & anxietates primum; deinde convulsiones, & mortem progignebat.

(*c*) SYDENH. *l. c.*

(*d*) HAEN. *l. c. pag. 97.* SCHÄCHT. *l. c.*

(*e*) *Id. ib.*

## §. CLXXXIX.

Die porro circiter octavo ab inchoata (*a*) eruptione, nempe die totius morbi nono, decimo, aut undecimo, modo decimo quarto, modo decimo sexto, prout citius, aut serius variolæ prodierunt, incipit tertium stadium, sive suppuratio-  
nis. Sed quo tardius hoc evenit, eo pejus. Tunc, si benignus est morbus, pustulae mature-  
scunt, pusque conficiunt; sed non multum ele-  
vantur, neque in fastigium attolluntur, ut di-  
scre.

Tertium  
earum  
stadium.  
*Quid in  
benignis,  
quid in  
malignis  
accidat.*

scrotæ benignæ solent. Ac quo minus confluxerint, atque adeo quo benigniores extiterunt, eo citius maturitatem assequuntur, & magis flavescunt. Contra si malignus, vix unquam perfecte suppurant, & planæ, depressoque manent; & prout gravior, atrociorque fuerit, eo magis subfuscum colorem induunt, & lentius, si sibi relinquuntur, pure replentur. Pellicula vero illa albida, de qua supra (§. CLXXXVIII.) retuli, asperior tactui redditur, sensimque non flava, ut in benignis; sed fusca (*b*) evadit, & tenditur. Interim saliva viscidior, & crassior facta, quod plerumque in regularibus die undecimo accidit, ægerrime profluit, & difficilime excernitur; id-  
eoque suffocationem ægro intentat. Hinc ægri-

*De ptyalismo non nulla.*

anxiæ fiunt, & siticulosi; vehementer subinde tussiunt inter bibendum, quod potus in laryngem delabitur, & tussi sic excitata per nares re-jicitur; vox raucescit; somnolentia, & stupor accedit, & ptyalismo penitus suppresso facies detumescit, & subsidit, eodemque sæpe die, nimirum undecimo, pallidiore cute, & anhelosa redita respiratione cum placida mentis aberratione mors celerrima, & quasi repentina vitam abrum-pit. Scire vero oportet, ptyalismum qui circa hoc suppurationis, tempus, ut dixi, sisti solet, non nunquam post unum, vel alterum diem ve-luti postliminio reverti, & redintegrari feliciter: Quoties vero ipse non revertitur, nihil sane, ut modo dixi, est ejus cessatione perniciosius; nisi ejusmodi evacuationis defectum suppleat faciei tumor persistens; aliquam materiæ variolosæ por-tionem retinendo, impediendoque, ne ad inte-riora convertatur, aut nisi id, quod per ptya-lismum excerni debuit, ad minus pedesque tran-sfe-

sferatur, tumorem ibi salubrem excitans, imminentemque perniciem avertens. Non enim propere nimis, nec repente facies detumescat, oportet, sed paullatim; sic, ut ad aliquot adhuc dies ejus tumor permaneat; eique cessanti manuum, & pedum tumor succedat, necesse est; si ægri vita in tuto posita (*c*) dicenda sit. Quod si & ptyalismus desistat ex toto, & facies justo citius subsidat, nec manus, nec pedes in eorum locum tumefiant, unica spes est in largo urinæ, aut alvi profluvio, quo noxia variolarum materies extra feratur; ut in confluentibus benignis, & regularibus plerumque contingit. Quemadmodum ergo magnum momentum habet ad latum variolarum exitum in adultis ptyalismus, si copiosus, facilis, & diutinus sit; sic in infantibus, & pueris, dum variolis confluentibus laborant, plurimum ad id confert diarrhoea, quæ etsi non ita mature eos interdum invadat, ut adultos salivæ fluxus; quocumque tamen tempore accederit, ad finem morbi usque produci salutariter solet, nisi improvide per artem sistatur. Sisti vero haud debet, nisi profusior, & vires dejiciens. Utraque eam evacuatio, nempe ptyalismus adultis, diarrhoea infantibus, ad pueris non minus necessaria in hoc morbo videtur, quam pustularum præsentia, & maturatio, & faciei ipsius, manuumque, aut pedum tumor.

*Deficit  
tumor.*

(*a*) HABN. l. c. p. 97. (*b*) *Id. ibid.* SYDENHAM.  
l. c. (*c*) SYDENH. l. c.

## §. CXC.

*Febris se-*  
*cundaria* Maturazione, ut indicavi (§. CLXXXIX.)  
*tempore* incipiente, febris plus minus ingravescit, prout  
*suppura-* variolæ frequentiores, copiosioresque sunt, &  
*tionis.* prout magis, vel minus confluent, aut benignior  
natura est. Non enim a sola suppuratione, ut  
in benignis discretis, pulsus aliquantulum conci-  
tatur, & increbrescit, sed febris vehementius  
movetur, nec finita suppuratione evanescit. At-  
tamen, quoniam hujusmodi febris numero (a)  
pustularum respondet, qui numerus ingens in  
confluentibus est, magna ex parte ab earum sup-  
puratione proficiunt videtur, aut certe a puris,  
ichorisque, quo illæ scatent, copia, & in san-  
guinem refluxu. Addunt etiam non nulli reten-  
te, cohicitaque cutanæ expirationis concursum,  
nec sine veri specie, quia universa cutis pustulis  
obsita expirare vix quidquam potest. Præterea  
probabile est, cum febris ista interdum etiam si-  
ne magna \* suppuratione invalescat, & trahatur,  
& materia variolosa in sanguine relicta originem  
ducere, quod fortasse non omnis a cute excipi  
potuit, aut vitæ vires ad eam penitus expellen-  
dam non valuerunt. Id saepe subsequentes pü-  
stularum eruptiones declarare videntur. Hæc fe-  
bris secundaria noimen recipit, & modo inflam-  
matoriam indolem, modo putridam ostendit pro  
varia sanguinis, temperamenti, ætatis, habitus,  
anni, temporis, & constitutionis epidemicæ ra-  
tione. Gradu vero majore, vel minori invale-  
scit secundum majorem, vel minorem caussarum  
numerum, & vim. Protrahitur ipsa etiam ad  
initium quarti stadii, in quo universa facies cru-  
sta

sta densa , & plus minus fusca obtegitur , sub qua  
pus latitat , & fluctuat . Pus istud resorptum non  
modo febrim fovere videtur ; ut supra posui ;  
verum etiam in nobilissimas interiores partes me-  
tastaticæ migrat , ibique hærens periculosissimos  
morbos generat . Quod vero in ambitu exterio-  
re corporis subsistit , subjectas cuti partes , atque  
in primis telam adiposam , cuius adeps fere totus  
computræscit \* \* , erodit , saepe ad ossa usque sic ;  
ut in his caries , & spinæ ventosæ interduin  
orientur . In artubus interea rumpuntur pustulæ ,  
nullam exsiccationem adeptæ ; immo dorsum , a  
liæque partes cuticula exutæ nudam vivamque  
cutim exhibent .

## (a) SYDENHAM. l. c.

\* Supra (§. CLXXXIX.) monui , variolas con-  
fluentes eo periculosiores esse , quo serius , difficilius-  
que ad suppurationem deveniunt . Ad hoc maxime  
respiciens SYDENHAMIUS tres confluentium species  
constituit , *mitissimas* nempe , in quibus die a primo  
morbì insultū undecima febris secundaria accedit ,  
partim ex suppuratione incipiente , partim ex resor-  
pto pure orta ; *mediocres* , in quibus diem decima  
quarta suppuratio tantum incipit ; *crudissimas* , quæ  
ad suppurationem dumtaxat die decima septima per-  
veniunt . *Dissert. epist. p. 405.*

\* Pinguedinem in variolis hujusmodi corrumpi ;  
atque in pus transmutari adeo perspicuum est , ut  
pus variolosum ad flammam incendi , atque exarde-  
re viderit HÄLLERUS *Histor. variol. ann. 1735.*

## §. CXCI.

Quarum <sup>Scindit</sup> Tandem cuticula tam in facie, quam alibi la-  
 tioribus laminis desquamatur; vel crustæ crassio-  
 res secedunt, & delabuntur; id quod die deci-  
 mo septimo, vel vigesimo, vel etiam serius  
 quandoque (*a*) contingit. Crustis, aut squamis  
 delapsis rubicunda subter manet cutis, cui mox  
 albicans pellicula succrescit; qua pariter desqua-  
 mata nulla quidem scabrities in vultu percipitur,  
 sed paullo post illam excipiunt squamulæ furfura-  
 ceæ indolis admodum erosivæ, quæ non solum  
 foveas plus minus altas pro erosionis majoris, vel  
 minoris modo relinquunt, verum etiam faciem  
 foedioribus, quam solent discretæ, in primis be-  
 nignæ, cicatricibus (*b*) deturpant. Pus etiam re-  
 sorptum quandoque per urinas, quandoque per  
 alvi fluxum excernitur, quandoque parte sui ali-  
 qua in cellulosa tela hic illic congeritur, & ab-  
 scessus, aut phymata rubra, dolentia, & cito in  
 abscessum desinentia efficit; quæ opportune, ma-  
 tureque sectione aperta pus verum, aut saniem  
 copiosam, interdum acrem, & erudentem effun-  
 dunt. Idque plerumque crustis jam delapsis, va-  
 riolisque finem adeptis evenit, febre interim nom-  
 peoitus discussa, sed mitiori redditæ, & remit-  
 tentis in modum adhuc accessiones habente, do-  
 nec & ipsa paullatimi evanescit. Non nunquam  
 variolis jam exsiccatis, & delapsis aliæ quædam  
 minutiores, & distinctæ variolæ succedunt mor-  
 bidi contagii reliquias ad cutim proferentes, quas  
 variola variolas secundarias, aut repullulantes vocant.  
 repul-  
 lantes. Sed mutta ex his, quæ modo exposita sunt,  
 cum

cum variolis etiam discretis mali præsertim moris  
communia (c) esse solent.

(a) HAEN. l. c. p. 97.

(b) SYDENH. l. 1.

(c) SCHACHT. l. c. §. XXXIV.

## VARIOLÆ CONFLUENTES MALIGNÆ.

### §. CXCII.

Confluentium variolarum, quas *benignas*, sive *minus pernicioſas* vocavimus, descriptionem dedimus. Fieri non potuit, quin in ea malignarum quoque mentionem subinde habereamus, ut utratunque symptomatibus, & notis una collatis clarius singularum differentia pateficeret. Insunt enim cuicunque variolarum confluentium generi quædam malignitatis quasi semina, & benignarum, malignarumque extrema ita se attingunt, ut maxime ardua res sit utras perspicue discernere; nisi *minus*, ut ita dicam, *pernicioſæ*, sive *benignæ* cum *perniciſoribus*, sive *malignis* mutuo conferantur, comparenturque; quod supra quidem a nobis præstitum sane est. Nunc vero, ut melius inter utrasque discrimen liqueat, confluentes malignas specialiter, & distinctæ persequemur, retento malignitatis eo significatu, quem alibi (§. VI.) jam exposui, & quo uti deinceps mihi licet, efflagitavi. Cum autem pleraque signa: quæ ad malignas variolas pertinent, a nobis supra pluribus in locis memorata sunt, & ibi præcipue, ubi variolæ discretæ malignæ (§. CLXXVIII. & seqq.) expositæ fuerunt; cumque multa in descriptione variolarum confluen-

gium benignarum (§ CLXXXIV. & seqq.) obiter quidem, sed apposite hic illic intersperserimus, quæ ad confluentes malignas distinguendas plurimum faciunt, ea cuncta hoc revocanda existimo, utpote his apprime spectantia, ne præter necessitatem quæ jam tradita, & communia sunt, hic repetantur ad nauseam. Qua de cauſa etiam prætermittam referre, qua ratione confluentes malignæ invadant, erumpant, progrediantur, & suppurent, & exſiccentur; cum jam ista, quoad utrisque communia sunt, in benignarum confluentium recensione ſatis comprehendenderimus. Satius igitur erit quasdam confluentium malignarum ſpecies, ſive differentias malueris, quales a medicis peritissimis observatae fuerunt, breviter describere; quo euidem confeſtum iri ſpero, ut omne confluentium malignarum ingenium per suas notas, & proprietates facile cuique pateat.

## §. CXCIII.

*Prima species confluentium malignarum.* omnium malignarum confluentium specie, quam diligentissimus scriptor MORTONUS vivis expref-  
ſit (a) coloribus, prout suis oculis eam vi-  
dit. In primo ejus ſtadio æger vix, quod ad  
pulsum ſpectat, febricitare videtur, dum interim  
in ſummo languore versatur; arteriarum mica-  
tus, ut ut celeres, ſunt tamen debiles, & par-  
vi; urinæ tenues, claræ, & aqueæ; lipothy-  
miæ languorum, & hystericarum ſuffocationum  
iñſtar ſæpe recurrent; dolor capitis, & lumbo-  
rum atrox, acutus & plane spasmodicus torquet;  
ſitis vero exigua eſt, & calor moderatus; nau-  
ſea,

fea, vomitus, atque ægritudo præter consuetudinem fere nulla, quibus symptomatibus si ad-dantur reliqua malignarum signa, ut fluxus ventri debilitans, vigiliæ pertinaces, tendinum sub-sultus, aut aliæ spasticæ affectiones, coma profundum, peticulæ, aut maculæ purpureæ, aut nigrae in summa cuti, aut miliaria exanthe-mata pellucida, & veluti crystallina in collo & pectore, itemque largæ hæmorrhagiæ vires magis magisque prosternentes, nulla amplius fal-lax mitioris morbi in reliquis imago incautos decipiet.

(a) Exercit. 3. cap. VII. p. 59.

## §. CXCIV

Secundi stadii initium facit ipsa variolarum eruptio, quæ modo præmatura est, ut olerum-  
que in constituentibus evenire supra jam dixi dium.  
Ejus alterum stadium.  
(§. CLXXXVII.), vel tardior, quam iam discre-tis, aut confluentibus benignioribus. Sub ipsa autem pustularum eruptione, quæ minus certe conspicuæ sunt, mox universa cutis momento fere temporis rubore erysipelatode, atque altius penetrante suffunditur, atque intumescit. Qui rubor toto triduo, quo eruptio absolvitur, per-stat assiduus, æqualis, atque immutabilis, si excipias faciem, & labia, in quibus tumor iste toto hujus stadii cursu magis magisque increscit, manifestiorque fit ad primum usque maturatio-nis diem. At protinus ab incepta hujusmodi eruptione Natura, quæ jam languida erat, pro-pemodum fatiscit, viribus peuitus destituta, febris nullo modo remittit, sed persistit ut an-

tea , aut etiam , quod s̄epius incidit , ingrave-  
scit cum deliriis , vigiliis , hæmorrhagiis , aliis-  
rue terrificis symptomatibus , quæ omnia invale-  
scunt ad fatalem usque diem ; qui in hoc effre-  
ni , ac funestissimo genere non differtur ultra  
hujus stadii finem , aut , quod longissimum est ,  
non ultra initium stadii sequentis , sive primum ,  
vel alterum suppurationis diem . Tum vero ante  
appropinquantem interitum universa cutis , sed  
præsertim faciei , plumbœ , alboque colore  
fœdata pergamenæ chartæ speciem exhibit ,  
visu horridam . Hæc porro pessima variolarum  
species , quæ vix stilum indicato tempori super-  
poteſtry-  
ſpelato-  
des . stitem (a) relinquit , rarissime observatur , &  
non inepte dici posset erysipelatodes .

(a) MORTON. l. c. p. 79.

### §. CXCV.

Quod in superiore modo (§. CXCIII. CXCIV.)  
*Species altera ,* descripta specie toti , universæque cuti obve-  
*ris varie-* nit , hoc in altera , quam describere instituo ,  
*sas -* soli vultui contingit . In hac enim sola totius  
faciei cutis æquali , plano , & erysipelatoso tu-  
more crassescit , atque atrollitur ; dum in artu-  
bus , & trunco corporis exantheñata variolosa  
sunt ferme discreta , colore tamen , magnitudi-  
ne , & figura a discretis regularibus , & beni-  
gnis non parum discrepantia . Colorem enim  
habent , qualem morbilli , sed minus vividum ;  
figuram incertam , & magnitudinem multo mi-  
norem . Hinc primo eruptionis die a morbillis  
non distinguuntur variolæ istæ , nisi duritie  
qua-

quadam renitenti. Secundo, & tertio depresso; & sessiles adhuc remanent, & vix, aut ne vix quidem acumen proferunt, nec in fastigium elevantur. Interim colore quasi livescunt, non se-  
cus, ac in iis sanguis stagnaret, atque imminutus consisteret. Primo denum suppurationis die faciei cutis albescere chartæ pergamenæ instar, ut in priore specie, consuevit, morte paullo post subsequente, æque ac in toto corpore variolæ confluxissent (*a*). Hæc species *morbillosa* dici posset; estque æque maligna ac superior, sed frequentior, & magis obvia. Hujus propemodum generis fuerunt variolæ-confluentes anomala ann. 1670. 71. 72. quas Londini sœvientes vidit SYDENHAMUS (*b*). Quia tamen discrimen aliquod inter hasce, atque illas MORTONI intercedit, idcirco harum quoque descriptionem adjiciam. Secundo vel tertio die se primum exserebant *specie tumoris subrubri*, atque uniformis, *vultum omnem contegentis*, *erysipilate* quidem *densioris*, *nullo fere visibili pustularum* discrimine. In reliquo corpore sparsim cernebantur quædam latiora spatia innumeris prope pustulis rubris, & acribus in unam coalescentibus conspersa, inter quæ in femoribus potissimum vesiculæ satis conspicuae, iis quas ignis excitat, persimiles, sero limpido plena eminebant. His subinde disruptis, & sero copiose effuso, nigra & veluti sphacelo affecta caro subter apparebat. Quando dirum hocce spectaculum occurrebat; rarum enim erat, & tum solum obvium, cum ferocius epidemica constitu-  
tio debacchata est; non diu post ægri mortem obibant. Ceterum die undecimo subrubrum faciei tumorem hic illic primum excipiebat alba pellicula splendens, quæ mox toti vultui obduce-

*Morbillo-  
sa.*

ba-

satur. Ex hac alba pellicula brevi post materia quædam splendescens, in crustas desinens colore saturate rubro concreti sanguinis speciem referente, qui maturante pustula ad nigrum magis in dies vergebant, donec tandem tota facies, quasi fuligine tincta, atra appareret. In hac pestilitate qui gravius, & ferocius ægrotabant, paucis ab eruptione diebus, ut dixi, interibant. Reliqui non undecimum diem, qui communiter confluentibus malignis extremus est, sed decimum plerumque quartum, aliquando etiam decimum septimum, nisi malo regimine mortem accelerarent, fatalem experiebantur. Quem si effugissent, res in tuto erat. Febris, & symptomata omnia, quæ vel præcedebant, vel comitabantur hanc luem, solito graviora erant, & manifestiora ignææ cujusdam, & causticæ conflagrationis indicia exhibebant. Major quoque solito erat ad ptyalismum proclivitas. Pustulæ vero mole longe minores, sed ita ardentes efferatæque, ut non facile, ubi primum apparebant, ab erysipelate quis eas disreverit, vel etiam a morbillis. Crustis demum decidentibus succrescebant furfures diutius hærentes, fœdioraque stigmata cuti inusta relinquentes. Tempore eodem dysenteria epidemice urbem peragrabat. Ab hac interdum variolæ in primis regimine calidore provocatae stipabantur, quod notandum erat, ne quis credat proprium variolarum symptoma fuisse.

(a) MORTON. l. c. p. 80.

(b) Oper. sect. 3. cap. VI. p. 229.

## §. C X C V I.

Quæ sequitur variolarum confluentium species, *Tertia species.*  
 maligna item est, sed minus feralis. In hac va-  
 riolæ consertim erumpunt, parvæ admodum, &  
 quasi discretæ, sed ubique, non excepta facie,  
 cohærentes, & sine ordine dispositæ. Hæ quo-  
 que, postquam eruperint, toto reliquo eruptio-  
 nis stadio, nunquam acuminantur, sed cum  
 tantummodo, veluti urticarum ictus, exasperant.  
 Initio vero tertii stadii, sive suppurationis albe-  
 scunt & ipsæ, & sic confluant, ut speciem albi-  
 dæ cujusdam telæ, præsertim in facie, exhibeant.  
 Hæ quamvis binis prioribus minis perniciose,  
 utpote quæ facilius suppurant, atque exsiccantur,  
 egent tamen ptyalismo protracto, urinæ copia,  
 atque extremorum diutino tumore, ut in salu-  
 tem terminentur. Sin vero ptyalismus, qui a  
 prima mox eruptione incipere solet, justo citius  
 sistatur; aut eum in suppuratione suppressum non  
 suppleat uberior urina, aut alyi fluxus, aut su-  
 dor largus, atque universalis; aut harum eva-  
 cuationum quodammodo vices gerat citus, &  
 permanens extremorum artuum tumor; vix quis-  
 quam ad decimum quartum, aut decimum quin-  
 tum morbi diem vitam (*a*) producit.

(*a*) *Id. ib.*

## §. CXCVII.

Quar<sup>a</sup> species; Quarto loco referam illam variolarum confluentium & malignarum speciem, quas *sanguineas* *riole* san<sup>vocant</sup>. Sunt enim vesiculæ sanguine veluti pleguineæ. næ, quæ modo liveſcent, modo maculas lividas conjunctas habent, aut purpureas intervallis liberis interspersas. Tales vero vel jam ab ipso initio apparent, videlicet minuta tubercula atro sanguine plena repræsentantes, iis profecto-simillimis fugillationibus, quas cutis aliqua particula forcipe comprehensa, & vexata relinquit: vel tales processu tantum morbi evadunt, cum nempe variolæ conseruum jam natæ, tertio vel quarto ab eruptione die, quo suppurare deberent, nequam tum suppuratum eunt, sed lividæ, & subcruentæ fiunt, maculis simul nigris, vidicibus, vel periculis per totum corpus obortis; quæ nihil aliud esse videntur quam parvæ quædam gangrenulæ, plerumque intra unum vel alterum diem sequuturam mortem significantes. Tunc temporis sœpissime sanguis sic diffusus, liquatur, & corruptitur, ut ex ore, naribus, oculis, vel ex quocunque alio corporis meatu, renibus præsertim, vesica, utero, quam attenuatissimus prorumpat. Atque id quidem non solum in eo, quod dixi, suppurationis stadio, verum etiam in duobus prioribus quandoque (a) usuvenit. Variolæ hasce *sanguineas* brevi liveſcentes cum multa sanguinis copiosissimo semel vidit HAENIUS; iam gangrenosæ & putridæ. quinto morbi die (b) jam lethales. Si quis eas gangrenosas, & putridas vocare malit, præsertim cum livent, & nigræ phlyctenæ imitantur,

tur, jure eum quidem facturum ego putave-  
rim.

(a) MEAD. de Variol. p. 28. & SYDENH. Differ.  
epistol.

(b) Febr. division. p. 100.

## §. CXCVIII.

Putridæ certe, & malignæ fuerunt variolæ Descriptio  
confluentes plerumque cum periculis, interdum putrida-  
cum exanthematis miliaribus, immo etiam non rum con-  
numquam cum utriusque complicatæ, quas grassa-  
Halleri.  
ri vedit magnus HALLERUS anno 1735. Jam plu-  
ribus annis, ut ipse narrat (a), quieverant va-  
riolæ, sparsim paucis molestæ, & benignæ. An-  
nus 1736. tota parte priori humidus, pluvius,  
& adeo aquilonius fuit, ut tota cœstate tonitru-  
semel aut bis sit exauditum, raro certe hisce in-  
terriss exemplo, & aquarum eluviones passim fa-  
etæ sint. -- Martio mense prodierunt variolæ  
discretæ, &, ut in nostra regione plerumque,  
benignæ. Auctus paullatim ægrotantium numerus,  
& majo, junio, augusto mense plane insolitus  
fuit, & pauci omnino homines immunes manse-  
runt, qui prius id tributum naturæ non depen-  
derant. Septembri morbus languere cœpit, &  
paullatim cessit febri miliarie. Æstivis mensibus  
variolæ confluentes frequentes fuerunt, neque ra-  
ro erumpentibus supervenerunt maculæ nigrae, &  
in adultis ægris exanthemata miliaria. Plurima  
ergo funera elata sunt, & gravius ægrotantium  
pauci evaserunt, iique post longum demum tem-  
pus. Gravius, dintiusque ii laborarunt, solique  
maculis nigris infestati fuerunt, qui medicamen-  
tis,

tis, & victu calidioribus morbum corruperant : Erumpebant maeulae nigrae simul cum confluentibus variolis die morbi quarto, quintove, ab eruptione adeo secundo, tertioque, copiosæ, planæ ; ad duas lineas latæ, ex cœruleo nigrae, sèpe atramento nigriores. Eas præcedebant acres dorsi dolores, pleuritica puncta ; sanguinis sputum : excipiebant deliria, tussis ferox, & octavo die, nonoque subsidentia pustularum funesta. --- Aderrat summa humerum alcalescentia, inde fætor horridus tum pustularum, tum animæ agrotorum. Qua ratione vir suminus a tam terribili malo suos ægros servaverit, dicimus postea, ubi de variolarum curatione sermo habebitur.

(a) Opus. patholog. p. 112. Lausan. 1755.

### §. CXCIX.

*Sexia species* Confluentium quoque malignarum species interdum sunt *Cristallinæ*, sive *lymphaticæ*, item *confuentes cry-* que *siliquosæ*, de quibus supra (§. CLXXXIII.) *stallinæ*. memoratum est. SAGARIUS in ferali illa Iglavienſi Variolarum epidemia, quam memorix scripto prodidit, plures confluentes lymphaticas sibi adjacentes interdum coivisse in vesicas magnitudine nucis myristicæ, vel Jobis. His siliquosas alii vocant, ipse bullatas. Raro eas *lympha aquæa pellucida*, sed plerumque *semiopaca candida*, aut *subopaca gilba*, vel *pulla repleri penitus vidit*, aut *quod sèpius contigit*, *flaccidas vacuas inventit*. Præterea testatur, se nunquam *bullatas istas solas per se in ullo ægrotante reperisse*, sed *in seminatas verrucosis, herpetosis, purulentis seorsim, vel omnibus simul (a).* Concedit tamen, sta-

dia omnia in eis de more fuisse longiora , & ini  
primis illud , quod dicunt , suppurationis , si hoc  
nomine tamen dignum est , cum nulla suppura-  
tione terminetur . Ampullæ enim vel a lymphæ  
contenta exesæ , atque arrosæ , vel disruptæ mor-  
bo finem faciunt (b) . Mirum sane est ; quod non  
nulli ex variolis lymphaticis una cum suppurato-  
riis decumbentes , qui ignavi , & sui quasi incu-  
rri jacebant sine febri , sine ullo faciei tumore ,  
& sine ullo ferme ptyalismo , repente ex latente  
caussa occumbere interdum visi (c) sunt . Proba-  
bile est , id ex metastasi humoris variolosi intro-  
versi evenisse .

(a) *Dissert. de Variol. Iglav.* p. 10.

(b) *Id. ib. p. 18.*

(c) *Id. ib. p. 21:*

### §. C C.

Omnes autem memoratas hasce species ( §. CXCIII. ad CXCIX. ) post variolarum etiam eruptionem febris continua mali moris cum pulsu debili , & crebro , aut celeri , lingua arida , calore ad tactum non magno , deliriis , corrone , per vigilio , subsultibus tendinum , aliisque id genus perniciosis symptomatibus per totum secundum stadium prosequitur : non enim post eruptio-  
ne , quod jam notavi ( §. CXCIV. ) , ipsa ces-  
sat ; aut remittit , uti in benignis , aut medium  
naturam ( §. CLXXXIII. ) habentibus (a) . In his  
æque ac in reliquis confluentibus niti solet Na-  
tura se ab variolofo veneno , assimilatisque per  
ipsum humoribus liberare vel ptyalismo , vel di-  
arrœa , vel sudoribus , vel urinæ profluvio : ve-

*Harum  
specierum  
sympto-  
mata in  
secundo  
stadio.*

rum non semper suo fine potitur ; nam s<sup>e</sup>xpenu-  
mero in inutilem , ac crebrum mingendi cona-  
tum omne ejus studium resolvitur , subsequente  
deum Ischuria letifera .

(a) MORTON. l. c. p. 81:

### §. CCI.

*Quando sub benignarum specie su-* Quando vero variolarum benignarum (Paragr. CLXXXVI CLXXXVII.) more invadunt, erum-  
*puntque, quod interdum fit, & fallacem quo-* dammodo speciem assumunt ; abdita tamen earum malignitas manifestatur ab effervescere alvi fluxu , su-  
*dore colliquante, deliriis, agrypnia, aliisque ma-* lignis symptomatibus , aut peticulis , vesiculisve miliaribus interstitia variolarum occupantibus , quæ , uti jam diximus (§. CLXXX. ) secundo  
*Confuentes mediae naturæ.* saltem ab eruptione die in collo, pectori , bra-  
chiisque se exserunt . Præterea quemadmodum discretas variolas mediæ inter benignas , & ma-  
*lignas naturæ interdum existere (§. CLXXXII. )* supra comprehendens est ; sic confluentes ejusmodi quandoque sunt , ut medium inter benignas , & malignas locum teneant . In his eruptio non adeo cito , & prompta est , & natura ad secundum , aut tertium fere ab incepta eruptione diem du-  
bio pene marte dimicare videtur . Interea febris in eodem quasi statu manet cum vigiliis , delirio ; aliisque symptomatibus , quibus in primo jam sta-  
dio stipabatur . At post hæjusmodi spatium , na-  
turæ vi superante , febris intermittit , vel sal-  
tem cum omnibus symptomatibus manifesto re-  
mittit ; pulsus , calor , atque appetitus ad natu-  
ra-

ralem prope modum redeunt; verum cum variolosa materies non omnis secreta, atque expulsa fit, partim ex hac causa, partim ex incipiente suppuratione pustularum in tertio stadio febris invalescit, resurgitque in continentis acutæ speciem, quæ tamen ultimo demum stadio in remittentem, & mitiorem commutatur. Quia vero in secundo stadio non universa variolosa materies ad cutim, ut animadversum supra est, propulsâ est, atque adeo febris non omnino cessavit; idcirco recentia quotidie exanthemata variolosa hic illuc erumpunt. Non enim in hac specie uno, eodemque die, ut in discretis, & benignis, pustulæ cunctæ una prodeunt, sed primo faciem & manus, secundo brachia, & truncum, demum crura & pedes pervadunt. Immo interdum, truncu corporis præterito, sola facies, atque artus variolis admodum sequentibus, & fere cohærentibus obruuntur. Aliquando etiam inter pustulas primum ortas aliæ atque aliæ recentes succrescunt, sic ut quæ primo die discretæ, & distinctæ cernebantur. tertio mox die confluant, aut cohæreant, magnitudine, & forma plane incertæ, & variæ, nec probe rotundæ, nec colore vividæ, ut regulares. Sequentibus porro diebus lentius etiam suas bases protendunt, ægriusque acuminantur, quodammodo sessiles, & depresso, rectuique minus renitentes. Tertio autem eruptionis die, antequam recrudescat febris; supervenit ptyalismus sine ullo tamen, præsertim si æstas sit, oxanthemate in faucibus, & tonsillis, aut ore, quod salivæ fluxum proritet; si contra hiems fuerit, cute nimis frigore obstricta, minusque patula, exanthemata in illis partibus se quoque produnt, &

frequentem expuitionem , & tussim ( a ) con-  
citant .

(a) MORTON. l. c. p. 82.

## §. CCII.

*Quando-  
que in  
benignas  
mutan-  
tur.*

Non nunquam variolæ istæ ( §. CCI. ), quas  
mediae naturæ vocant , veneno per eruptionem  
expulso , vel certe multum minuto , sique san-  
guine ab eodem repurgatio , in benignas prorsus  
vertuntur . Tunc , licet ægrius eruperint , figu-  
ram exæste rotundam assequuntur , & rubro mar-  
gine circum cinguntur , & quamquam primo in-  
euntis suppurationis die earum complures hic il-  
lic ostendant in medio foveolas , tertio tamen ,  
aut quarto assurgunt , & apicem extollunt .  
Quinto demum die jam pure repletæ flavescent ,  
& siccari incipiunt . Hinc æger sine ptyalismo ,  
sine febre secundaria , sine extremorum tumore ,  
alias pernecessario , feliciter (a) convalescit . At si  
imperfecta variolosi humoris expulsio contigerit ,  
reliquum per glandulas salivales amandare natura  
tentat . Sed tum serius , segniusque ad maturita-  
tem variolæ perveniunt ; quo fit , ut maturatio-  
nis stadium incertæ omnino durationis sit , & mo-  
do ad quatuor , sex , octo , duodecim , modo  
etiam ad plures dies extendatur . Quo in casu  
pusculæ in medio depresso ubique apparent , neque  
earum margines rubent ; quamquam deinde paul-  
latim eleventur , & exturgescant . Remanent ni-  
hilominus albidae , & quasi dellucidae , quia non  
pure , sed aqua limpida , aut aere replentur , De-  
nique debita jam adeptæ magnitudinem pus ali-  
quod conficiunt , atque ex eo flavescent , justo-

ta-

tamen flaccidiores, & pleræque, in artubus sp̄eciatim, confluentes. Ut vero lentissime suppurationem subeunt, sic valde sero exarescunt, & cutim cicatricibus s̄æpe deturpatam relinquunt (b). Ceterum tanta est ptyalismi in confluentibus variolis præstantia, ut quandoque eo omnis variolus humor excernatur, ægro interim & a febre, & ab alio quocumque malo symptomate libero.

(a) *Id. ib. p. 104.*

(b) *Idem ibid.*

### §. CCIII.

In tertio stadio quæ confluentibus variolis malignis obveniant, jam supra magna ex parte comprehensum est. In primis animadvertisendum duximus, variolas, quæ in stadio secundo symptomata maligniora (§. CXCIV.) sibi adsciscunt, & præ ceteris ob universalem cutis rubedinem erysipelatosæ dici possunt; initio tertii, primo vide licet, vel altero suppurationis die mortem (a) ut plurimum afferre, ruboremque illum eo tempore in albedinem late diffusam, & prope universalem, visu tetterim permutari. Nunc addimus quædam de illis, quas *morbillofas* ob magnam sub initium cum morbillis similitudinem appellari posse (§. CXCV.) diximus. Hæ igitur, et si in pectori, aliisque corporis partibus fere discretis æquales videantur, atque in medio albcent, tamen in tertio hocce stadio non ambientur, circulo rubente, ut veræ discretæ, nec elevantur, nisi quam minimum, & interjecta cutis spatia tangentia abest ut rubeant, quin potius livent, aut

*Quæ in  
tertio sta-  
dio mor-  
billifas  
variolæ  
accident.*

pallent. Hinc pustulæ sessiles, & depressæ manent: Cuticula vero, quæ in earum summitatibus secedere visa antea est, iterum aridæ squamæ instar cuti agglutinatur. Illud autem fere commune omnium confluentium malignarum est, quod ptyalismus, qui singulas in secundo stadio, præsertim in adultis, comitabatur, in hec tertio exiguus omnino est, & cito sine capitis, faucium, aut extremorum tumore cessat. Tunc succedit molesta, frequens, atque ut plurimum irrita mingendi cupiditas. Quod ubi incidit, æger raro miserimo in hoc statu ad secundum, aut tertium hujusce stadii diem vitam \* protrahit.

(a) *Id. ib. p. 102.*

\* Micturitionem hanc universum ceu signum fatale plerique dampnant. At LUDWIGIUS (*Instit. med. clinic.* §. 198.) monet, non semper eam metuendam esse, dummodo reliqua signa bona sint, in primis si urina non prorsus aquosa, sed quodammodo tintæ est, & partem materiae morbosæ subducat. Sed tunc micturitio irrita non est, qualem supra reprehavimus.

## §. CCI V.

*Quæ in* Si quis tamen fortunatior, quod quidem rā-  
*quarto* gissimum est, tamdiu, variolis nunquam mature-  
*stadio eis-* dem ob-  
*scentibus*, morbum sustineat, ut in quartum, si-  
*veniant,* ye ultimum stadium ingrediatur, quod decem,  
*quando* aut duodecim diebus tunc absolvitur; is febrici-  
*superan-* tate continenter, & vigiliis, delirio, lipothymiis,  
*tur.* aliisque pravis symptomatibus, quæ antea jam eum  
 premebant, divexari pergit; donec artis, naturæ  
 que auxiliis febris vitetur, die videlicet morbi  
 fortasse decima septima, aut vigesima, sanitasque  
 tan-

tandem redeat. At si haemorrhagiæ, quæ plerumque antea supervenire solent, adhuc persistant, fieri non potest; quin citissima mors eum tollat. Alii quasi hectice confecti, & lente consumpti ad tricesimum usque diem trahuntur quidem, sed tandem sphacelo quarundam partium fere inopinato (a) correpti decedunt. Reliqua; quæ ad tertium & quartum stadium in qualibet specie attinet, missa facio; utpote vel jam in singularum recensione satis supra indicata, vel non dissimilia ab iis, quæ in confluentium benignarum historiis (§. CLXXXIX. ad CXCI.) exposita fuere. Hoc unum adjiciam scitu non inutile; in quibusdam epidemicis constitutionibus non modo frequentius genus unum variolarum, quam aliud observari, sed etiam interdum species omnes seorsum vagati; immo etiam sic commisceri, ut simul in eodem quartoque agro cernaniur, discretæ nimirum, cohærentes, verrucosæ, crystallinæ, siliquosæ, morbillosæ, erysipelatosæ, sanguineæ &c. quod SAGARIUS in epidemia Iglaviensi ann. 1776. se vidisse testatur.

(a) MORTON. l. c. p. 103.

Symptomata non nulla notari digniora; discretis & confluentibus variolis communia:

### §. CCCV.

In præcipuis, & gravioribus symptomatibus, quæ variolis superveniunt, numeratur Phrenitis, Phrenitiss.

quam adesse dicimus, quando æger caloris impatiens & lecto magna vi prossilit, furiſ, delirat, & vix ab assidentibus contineri potest. Id in quo-cumque variolarum stadio accidere observatum **Ejus** est. Pro diverso autem tempore, quo symptoma **cauſa**, istud accesserit, variæ etiam cauſæ ejus accusari solent. In *apparatu*, aut in *eruptione* ipsa plenumque eam efficit *plethora*, nimius sanguinis fervor, concitator ejusdem ex febri motus, inflammatoria diathesis, acritas variolosa cerebrum irritans: in *suppuratione* vehemens, atque ingens pustularum præsertim cum multæ, & frequentes sint, *inflammatio*, dolor molestissimus, nervorum ataxia, per vigiliū; aut puris regressus, & metatasis. Similibus ex cauſis oritur non nunquam **trunque**, **coma somnolentum**, aut **lethargus**, somnus scilicet altus, e quo difficeret, & vi tantummodo **Peticula** ægri excitantur, in eundem mox relapsuri. Plurimes jam adnotavimus, maculas rubras, aut purpureas, aut lividas, peticulasve variolis internasci, quæ modo primariæ sunt, atque adeo cum variolis conjunctæ, ac complicatae, modo secundariæ, & variolarum effecta, sive symptomata videntur. Primum accedit potissimum, quando peticulæ epidemice grassantur, aut stationariæ sunt; tunc enim morbi quicunque intercurrentes, aut subsequentes, itemque variolæ, si simul ingruant, aut superveniant, cum morbo peticulari complicantur, aut aliquid ejus naturæ participant. Alterum vero evenit, quando variolæ cum ea sanguinis dyscrasia, quæ ad ecchymoses, vibices, suggillationes, peticulasque gignendas prionor est, **cauſa**. copulantur, aut regimine calidiori, medicamentisque alexipharmacis perperam curantur, sic ut sanguis præter modum effervescat, & vehementer in

*in minima cutis vasa impellatur. Quod de peti- Exanthemata miliariam.*

culis dicimus, intelligatur etiam de exanthemati- bus miliaribus, aliisque affinibus, quæ pariter cum variolis complicari possunt, aut iis, ut sym- ptoma, supervenire. Sed illud sciri etiam debet, quandoque in summis variolarum apicibus, qui in medio saepe subsidunt, sparsim exiguae macu- las nigras acicularum capita non superantes appa- rere. Hæ quidem vel a necrotica variolosi hu- moris natura, vel a prava sanguinis diathesi, vel ab inepto regimine profiscuntur, & pro parvis gangrenulis vere habendæ sunt. Quando a poste- riore caussa gignuntur, regimine in opportunis, temperatusque mutato, niger illarum color paul- latim diluitur, deinde in fuscum vertitur, & de- dum in flavum, qui bonæ & benignæ matura- tionis proprius est.

## §. CCVI.

Nec rarum est, variolas difficulter, atque im- perfecte prodire, aut jami natas repente concide- re, deprimi, flaccescere, utroque, ut ajunt, verti. Huic autem malo occasionem porrigit vel languida nimis vitæ vis, vel incauta frigoris su- sceptio, vel præpostera sanguinis missio, cathar- sis, aliave quæcunque nimia evacuatio, vel posi- tio corporis erecta diuturnior, vel longior extra lectum mora, vel animi defectio, vel subitus terror, vel tristis nuntius, similesque caussæ, quæ vitales vires minuere, aut dejicere aptæ sunt, vel vascula cutis coarctant, humoresque ad inte- riora repellunt. Quæcunque ex caussa fiat, peri-

culosa, immo lethalia inde symptomata oriuntur; retenta videlicet in interioribus sedibus, aut intro translata variolarum materia. In adultis ex hujusmodi metastasi \* saepe diarrhoea profluit, per *Interdum* niciem non raro afferens. Negari tamen haud *a contraria causa* licet, interdum variolarum eruptionem a vehe-*sa oritur*, mentiori sanguinis motu, aut a nimia vasorum plenitudine retardari, & quodammodo intercipi, & præpediri; paratam vero in pustulis materiam a nimio calore sive aeris, sive tempestatis, sive cubiculi, sive leæti, sive regiminis sic attenuari, & dissolvi, ut facillime absorbeatur, atque ad interiora remeet; flaccidis, inanibusque relictis variolis.

\* Pus resortum, & ad cerebrum perductum phrenitidem, convulsiones, soporem, ad pulmones, suffocationem cum pulsu deficiente, aut intermittente tempore præsertim inspirationis; ad oculos, visus extinctionem, eorumque corruptionem procreat, *SAGAR de Variol. Inglaviens. p. 20.*

### §. CCVII.

*Ischuria vera, & spuria.* Frequens quoque symptomæ est in Variolis quibuscumque, sive discretis, sive confluentibus urinæ suppressio, aut retentio dolorifica. Supprimitur enim vel quod in renibus ejus secretio deficit, vel secreta retinetur, quod vesica, cum in ipsam descenderit, eam excernere dequit, si-  
*Ejus canalis.* ve id vesicæ resolutione, sive sphincteris spasmo, sive tumore, aut inflammatione cervicis ejus, urethrae, adstiarumque partium, sive meatus, itinerante per mucosam, purulentamque urinam ob-  
stru-

structo id fiat. Juvenes in primis in hujusmodi malum incident. Quovis item variolarum tempore supervenit quandoque *hematuria*, sive sanguinis mictus, qui plerumque sumnum vitæ periculum intentat. Ei præcipue obnoxii sunt adolescentes, aut in ætatis flore constituti, & vi-no, fermentatisque liquoribus infarcti. Hi quoque, sed rarius, sanguinem expuunt, aut ex <sup>Hæmor-</sup> sputum. tussiunt. Aliis vero uteri, narium, intestinorum, <sup>rhagia.</sup> & ceterarum partium hæmorrhagiæ superveniunt; quæ omnes sanguinis evacuationes, quando ab ejus nimia tenuitate, & dissolutione proficiuntur, ut plerumque evenit, quasi semper propinquam mortem præmonstrant. Cavendum tamen est, ne catameniorum eruptio tantum in primo stadio, quam in sequentibus continuo vel in non amplius menstruatis cum vulgo pro malo, perniciose signo habeatur; nam sape sine ulla noxa hujusmodi evacuatio modum non excedens supervenire (a) visa est.

(a) *Journal de Mèd. Janvier. 1782. p. 86.*

### S. CCVIII.

Quandoque a Variolis non leviter oculi ple-  
ctuntur. Modo variolosa materies lympham la-  
crymalem inficit, atque hinc dolent, rubent,  
ardent, & lacrymas fundunt; modo palpebrae, vi-  
cinæque partes ita intumescent, ut oculi penitus  
claudantur. Sed hæc sane leviora videntur. Lón-  
ge deterius est, si in ipso oculi bulbo variolosæ  
pur-

pustulæ malo fato germinent : nam tum ophthalmias, dolores, abscessus hypopya, staphylo mata, leucomata, cicatrices, sœpe indelebiles inferunt, immo interdum sic totum bulbum corrumpunt, ut oculis ægri orbentur. Nec aures ab iis immunes linquuntur. Si earum interiora materies variolarum obsederit, non desunt otalgiae, inflammations sive otites, apostemata, ulcera manantia, surditates, aliaque harum partium pertinacissima incommoda. Sed inter symptomata cuiusunque variolarum generi communia non reticendus est vomitus, de quo pluries in earum descriptione mentio facta jam est. Is plerumque a sola febrili concomitione in tenellis, sensibili-ribusque corporibus, aut a varioloso miasmate nervos paris vagi, ventriculique membranas irritante in primo stadio, sive in apparatu concitatur. Quando ex hac caussa pendet, simul ac extorsum omne virus pustularum forma prodierit, protinus conquiescere consuevit. Interdum gastrica, aut biliofa saburra, ingestorum depravatio, aut vermes eum fovent. Tunc antecesserunt cacochyliae caussæ; adeo malus oris sapor, linguæ sœditas, ciborum fastidium; bilis, aut corrupti alii humores vomitu prodeunt; vermes aut & ipsi expelluntur, aut suis se signis prædunt, uti narium pruritu, sternutamentis, fugacibus alternisque faciei ruboribus, pavoribus in somno, dentium stridore, ventris doloribus, & hujusmodi aliis symptomatibus. Non raro hisce omnibus adjungitur alvi fluxus fœtens, cinereus, viridis, flavus, vitellinus, variegatus. Quando hinc vomitus oriri videtur, facile patet, variolas cum gastrica, & verminosa cacochylia complicari, atque multa anomala, insolitaque symptomata sibi

adsciscere, quæ uollo modo varioloſo miasmati adscribi debeat.

## §. CCIX.

Febres etiam intermittentes quandoque se va-  
riolis admiscent, & propriam, peculiaremque cu-  
rationeim exigunt; quod opportune, & reſte a-  
nimadvertisit (a) MEADIIUS. Interdum etiam iussis Tuſſis.  
variolis adjungitur, plerumque uti epigenome-  
non. Nam earum nequaquam propria est. Ipsa  
vero vel in principio, vel in progressu, vel in  
fine accedit. In primo caſu vel catarrhalis est,  
vel ſymptoma peripneumoniae; in altero a pustu-  
lis laryngem, & fauces obſidentibus gignitur. In  
tertio demum a variolosa materie ad pulmones  
delata. Neque interdum ſternutamenta abſunt:  
quæ a pustulis nares internas laceſſentibus poti-  
ſimum excitantur. Illud vero rariſ omnino eſſe  
arbitror, quod a MICHAELI SAGARIO (b) obſer-  
vatum lego. Is in variolis Iglavieniſibus epi-  
mice graſſatis, quarum historiam typis evulgavit,  
ſub finem tertii ſtadii, aut ſub initium quartit  
ſupervenire videt dolorem osteocopum omnium  
artuum, qui duodecim, aut ad ſumnum viginti  
quatuor horas perdurabat. Infantes, quos in pri-  
mis hoc ſymptoma infestavit, ejulabant, con-  
traſciebant, clamitabant, jactabanturque irrequie-  
ti, & moroſiſimi toto eo tempore. Quo exacto  
evanescerat dolor, ſuccedente artuum æde-  
ma, quod faciei jam collapſæ tumorem excipiebat  
bono omniſ. At ubi dolor ultra memoratum tem-  
pus producebatur, certum erat proximi obitus  
in-

Febres iu-  
termitt-  
entes.

Dolor e-  
ſteocopus.

indictum. Vedit quoque idem SAGARIUS non nullis pus variolosum adeo causticæ, exedentisque naturæ fuisse; ut fauces, uvula, velum pendulum, palatum, maxillæ, naresque penitus destruentur; ipsique dentes ex alveolis (*c*) exciderent. Atque hæc præcipua sunt symptomata; quorum, ubi se in variolis exhibent, peculiaris sane ratio habenda est; ut recte iis medeamur;

(*a*) *L. c. cap. IV.*

(*b*) *L. c. p. 19.*

(*c*) *Ib. p. 20.*

## §. CCX.

*Sympto-* Postremo restat, ut quedam de symptomatibus  
*matum* *triagend* ipsis admoneamus. Hæc enim non solum seor-  
*ra* sum, & singillatim; ut supra; consideranda sunt,  
 verum etiam conjunctim, & simul sumpta; quo  
 peculiaris totius mōrbi natura, unde curationis  
 ratio præsertim promovenda est, clarius, distin-  
 ctusque internoscatur. Quando enim hæc talia  
 sunt; ut variolas a regulari; miti, benignoque  
 ingenio deflectere ostendant; si probe pendantur;  
 non unius, sed multiplicis generis ea esse depre-  
 henduntur. Potissimum vero ad tria summa gene-  
 ra redigi solent; nimirum vel ad inflammatoria;  
 vel ad nervosa; sive maligna & typhodia, vel ad  
*Inflam-* *putrida*. Primi generis symptomata plerumque no-  
*matoria*, *nervosa*, tantur in iis, qui validis, durisque fibris donan-  
*& putri-* da. tur, & multo, densoque sanguine turgent; vi-

*Sympto-* Et uique lauto, atque opiparō vediti sunt. In his  
*mata pri-* variolosa contages magnum, vehementemque mo-  
*genes* rit.

cum febrilem suscitat, quocum pulsus velox, plenus, dures, tensus; respiratio calens & magna, & difficilis, vel parva, brevis & frequens; faciei, oculorumque rubor insuetus; calor ardens; sitis ingens; dolor capitis, dorsi, lumborum, atque artuum acutissimus; lingua sicca, & rubra; urinæ valde coloratæ; carotidum, & temporalium arteriarum incitator, altiorque micatus junguntur. Hinc saepe pulmonibus, cerebro, oculis, faucibus, aliisque partibus non leves impendent inflammationes. Sanguis, qui in his educitur, crassamento est firmo, compacto, valde cohaerente, serosæ partis inope, crusta rubra, aut flava, aut rubro-albida, tenaci, phlogistica \* obtectus (a).

\* Ex lingua alba, subsicca, tumidula, calente, papillis eminentibus distincta contendit SAGARIUS prænoscere posse crustam phlogisticam in sanguine educatione apparituram. Variol. Iglav. p. 46.

(a) HUXHAM. *Essay sur la petit. Verol.*

## §. CCXI.

Contraria his (§. CCX.) symptomata omnino sunt ea, quæ nervosa, sive maligna, & typhodia vocavimus, qualia nempe in febribus lentis nervosis malignis, sive typhis nervosis aliter dictis se exserunt. Siquidem æger, antequam variolis corripiatur, diu languet; & deinde iis corruptius languere multo magis pergit; febris non magna est; pulsus debilis, parvus, celer, inæqualis; animus abjectus; color faciei pallidus; aspectus teter, & tristis; urina aquæa; & crudæ; sitis exigua; calor mitis, & quandoque naturali minor; caput grave, ac facile vertigine affectum,

*sympto-  
mata se-  
cundi ge-  
neris.*

cum

cum tremore artuum, nausea, vomititione, ægritudine, comate vigili, subdelirio, & lassitudine universalis. In maligniori casu tanta est sensibilitatis, irritabilitatisque depresso, ut nulla ægritudo, nullus vomitus, nulla jactatio ægrum fatiget. Sæpe in hujusmodi statu, & stupore sex, septem; octo, vel novem dies transfiguntur. Tandem exanthemata variolosa erumpunt, plerumque mali moris, pallida, cruda, depressa, umbilicata, difficulter prodeuntia; quæ nūquā, ut par es-  
set, maturescunt. Plana enim, flaccida, fetide  
inaniam remanent, aut in vesicas, ampullasque hu-  
more crudo; aqueo, ichoroſo plenas confluunt,  
donec sub finem, quæ faciem tenent, in crustam  
horridam, nigram, aut luridam cinereum, & ca-  
davericam, apprime adhæsam (*a*) desinunt.

(*a*) HUXHAM. 1<sup>o</sup> c.

## §. CCXII.

Symp-  
toma ter-  
ris gene-  
ris.

Putrida demuni symptomata adesse dicimus,  
cum sanguis ita in variolis liqueſcit, & diſſolvi-  
tur, ut pene putreſcere videatur. Tunc ſane ſi-  
gna inflammatoriæ diathēſeos (§. CCX.) abſunt,  
eouimque loco cuncta phænoſena putridam hu-  
morū tenuitatē, & facilem corruptionē p̄-  
ſeferunt. Nervosa (§. CCXI.) vero vel omnino  
deficiunt; vel, ſi non defiſt, cum alcalescentiæ,  
diſſolutæque ſanguinis compagis symptomatibus  
conjuguntur. Fœtet vehementer oris halitus.  
ſcetet sudor urina ſcetet; pulſus languent, &  
preſſioni vel levissimæ ſe ſubmittunt, molliter-  
que ſubſiliunt; peticulæ, ecchymoſes, vibices in  
cute

cute apparent; hæmorrhagiæ effrenes corpus exhauriunt, vires prosternunt; pustulæ variolosæ nigricant, & gangrænosæ evadunt, & sœpe, simul effloruerunt, sanguineæ videntur, sanguinemque facile fiundunt. Id maxime evenit, ubi variolæ exiguæ admodum sunt, & distinctæ cum signis tamen malignitatis, aut calidiori regimine præter modum urgentur, aut in scorbuticam dyscrasiam inciderint. Exempla supra (§. CXCVII. & CXCVIII.) reperies. Caveto autem, ne has confundas cum aquosis, ichorosis, & crystallinis, siliquosisque (§. CXCIX.), quas a vere putridis omnino secerni oportet. Differentiæ igitur istæ a symptomatibus indicatæ (§. CCX. CCXI. CCXII.) animadversionem suminam merentur, ne in administrandis remediis turpiter (a) erramus, ut suo loco patebit.

(a) *Id. ib.*

### *Prognosis.*

### §. CCXIII.

At non satis ex Medico morbos per suas notas cognoscere, aptamque iis curationem adhibere; nam sœpe morbi, etsi perspecta sit eorum natura, quodcumque tamen artis conamen eludunt, atque aspernantur; aut contra ægri, ignoto licet Medicis morbo, vel naturæ solius, vel fortuita artis ope convalescunt. Quo fit, ut ex adverso, vel secundo morbi exitu de medici præstantia judicium ferri nequeat. Non desunt funera vel sapientioribus, nec imperitissimis interdum triumphi. Sed summa veri & sapienti medici laus in

*signa prognostica vel antecedentia sunt, vel comitantia.*

eo versatur; ut quid spei, aut discriminis moribus habeat, quo contendat, quem finem assecuturus sit, recte, prudenterque prævideat, ac præfagiat. Quod quidem nemini unquam licuerit, nisi peritissimo, exercitatissimoque Artifici. In hac igitur Medicinæ parte eum excellere oportet, qui a vulgaribus, ignarisque medicis distingui velit. Itaque cum variolæ multiplicis generis sint, magnitudinemque periculi non unam habent, neque exitum unum consequantur, rem non inutilem, neque supervacuam fecero, si quæcunque longa clinicorū observationem comperta habemus ad præfagiendum, in unum cœcta, & digesta oculis cujusque subjiciam. Quia vero ex his alia, quæ futuræ variolæ sint, edocent; alia præsentium naturas, atque eventus ostendunt; idcirco ea in *antecedentia*, & in *comitantia* recte tribuuntur. De illis primum dicam, deinde de alteris.

### §. CCXIV.

Quærendum primo est, qua æger valetudine ante usus sit; an bene habuerit, an bono corporis habitu prædictus existiterit, num commodo, & tranquille vitam duxerit? Tum enim variolas melioris notæ expectari licet, utpote quæ bonam, vel malam corporis humorumque temperiem plerumque sequuntur. Contra cacochymia, debilitas morbos toleratos subsequens, prava victus ratio, mœror, vini abusus, nimia cibi, carnium in primis, & rerum farinacearum voratio, tumores strumosi, scorbutica, venerea, herpetica, scabiosa, phthisica labes, complicatio

ver-

verium, aliorumque morborum de perniciosa variolarum natura suspicionem injiciunt. Suspicionem inquam; nam ex cachexia, scrophulari morbo, spina ventosa, aliisque mali habitus affectibus certo praedicti nequit variolarum futura malignitas; quod in his interdum benignissimæ variolæ observatæ sunt. Hinc HAENIUS (*a*) recte conclusit, inquiens: *mala corporis prædispositio incerta admodum lege vel auget, vel non auget periculum morbi.* Attamen habitus corporis me-<sup>signa qua  
benignas</sup> diocriter pinguis\*, cutis mollis, & albida; color nitidus, facies lata, & serena; oculi bilares quidem, sed non nimis vividi, nec scintillantes benignas ut plurimum variolas pollicentur: contra malignas, deterioresque corporis gracilitas, cutis arida, & dura, color fuscus, aspectus gravis, & tristis, oculorum languor, aut rubor, pilorum nigredo, vocis asperitas & rauicitas. Hinc ætas variolis opportunior est trima, aut quadrina, aut quæ a quarto anno ad decimum quartum ad summum concluditur, quam nimis tenera, aut proiectior, aut quod pejus est, senilis. Magni refert, genus a parentibus ducere, qui benignas variolas habuerint, non plethora laborare, nec corpus hæmorrhagiis exhaustum esse: nam his contraria variolas mali moris prænunciant, quamquam magnis prægressis evacuacionibus variolas interdum benigniores supervenire viderit (*b*) MEADIUS. Nec meliores in mulieribus utero gerentibus, puerperis, & inordinate, ut difficulter menstruantibus, aut recens nuptiis exspectandæ sunt (*c*) \*\*. Multum etiam ad variolatum benignitatem confert constitutio temporum salubris, & morborum malignorum, aut putridorum non ferax; nam si prægressæ tempe-

*signa qua  
benignas  
pollicen-  
sur, &  
contra.*

*Constitutio-* states, uti sunt calidæ & humidæ, corpus impul-  
*tiones ca-* rum reddiderint; atque sanguinem ad corruptio-  
*lida,* & humida, nem proclivem fecerint; aut jam morbi exanthe-  
*humida,* & morbi putridi, matici, maligni, putridi, aut inflammatorii do-  
*putridi,* exanthe- minentur, tum fieri non potest, quin variolæ  
*matici do-* quoque aliquid de eorum malignitate, ac natu-  
*minantes* malignas variolas sibi arripiant.  
*reddunt.*

## (a) Rat. contin. T. I. Cap. V.

\* Pueri valde pingues, atque obesi, variolis con-  
 fluentibus correpti vehementer periclitari dicuntur  
 a Cl. VARNIERIO (*Journ. de Medec. T. V. pag. 352.*)  
 quod universa pinguedo in pus vertatur, citissime-  
 que gangræna, & corruptio superveniat.

## (b) L. c. cap. IV.

(c) ROSEN. des Malad. des enfans p. 130.

\*\* Omnes utero gerentes, quas vidit VARNE-  
 RIUS (*l. c.*), variolis correptæ abortum passæ sunt.

## §. CCXV.

*Speradi-* Dispicere deinde oportet, variolæ ne sporadi-  
*ca beni-* giores e. cœ, an epidemicæ vagentur? Illæ generatim sunt  
*gniores e.* Epidemicis his benigniores. Si epidemicæ oberrent, in ea-  
*rum benignam*, aut perniciosem indolem inqui-  
*Epidemi.* *benigna*, rendum est. Sunt enim quedam epidemicæ con-  
*maligna* stitutiones valde benignæ, aliæ contra malignæ,  
*alia.* & deteriores. Plerumque in tempestatibus salu-  
 bribus mitius ingenium obtinent, præseruum si  
 parum temporis ab ultima epidemicæ constitutio-  
 ne elapsum fuerit; malignius vero, si jamdiu va-  
 riolæ siluerint. Initio epidemicæ, aut sub ejus fi-  
*Mitiores* nem variolis corripi præstat, quam in ejus aug-  
*initio, &* mento, & statu; tempore etiam verno, aut au-  
*fne.* tumnali, quam æstate præservida, aut hie me al-  
 genti \*; corpore puro; & ventre a fôrdibus va-  
 cuo,

euo, quam contra. Epidemicæ enim, sicut morbilli solent, Februario, & Martio mensibus caput efficerunt, æstate ferociunt, autumno mitescunt. Hinc initio, & fine benigniores plerumque sunt. Discretæ plerumque vacant periculo, rite curentur, & malignitatis expertes fuerint. Confluentes, coliærentes, & mixtæ periculi plus habent, in primis malignæ. In universum si sanguina adsint diatheseos inflammatorix (§. CCX.), vires vigeant, & malignitatis notæ deficiant, ut ut vehemens morbus & periculosus sit, levari tamen, & mitigari plurimum eum posse congrua curandi ratione, sperandum est. Contra viribus languentibus; ut in variolis nervosa symptomata habentibus, sive malignis (§. CCXI.), aut in putridis, & ad corruptionem vergentibus (§. CCXII.) irritus cedit quicunque artis (*a*) conatus.

(\*) LUDWIGIUS contra opinatur, variolas æstate & hyeme ut plurimum benigniores esse, quam vere, & autumno (1). Idcirco temporum & epidemicæ constitutionem inspicere oportet. Nihil enim tam perpetuum in Medicina est, ut aliter interdum non accidat (1) Inst. med. Clinic. §. CLXXXII.

(a) STORCK Instruz. med. pratic. P. I. p. 278.

## §. CCXVI.

Dum singularum historiam supra tradidimus, notisque cuius generis proprias enumeravimus, subinde non prætermisimus eas, quoque attingere, quæ mitiorem, aut graviorem morbi gradum, & prosperiorem, aut funestiorem evenitum significant. Quare non est, cur ea omnia, quæ ad hunc locum spectarent, repetamus; cum quilibet illis sibi ea comparare possit. Ibi quæ

*Maligna.* ex confluentibus perniciosiores sunt, nimirum  
rum variæ erysipelatosæ (§. CXCIII. CXCIV.), morbillosæ  
specieis, & (§. CXCV.), cohærentes (§. CXCVI.), sanguinearum  
periculum. neæ, gangrænosæ, & putridæ (§. CXCVII.  
CXCVIII.), crystallinæ, sive lymphaticæ, & si-  
liquosæ (§. CXCIX.), & reliquæ, satis abunde-  
que, ni fallor, eas explicavimus. Quod vero  
speciatim attinet ad sanguineas, hæ multo peri-  
culosiores crystallinis habentur; verrucosæ autem  
crystallinis, ubi vere maligna sint: crystallinæ  
videlicet, quia nunquam suppurant. Scire tamen  
convenit, has interdum vel cutanea exspiratione  
evanescere, vel urinæ copia densiorem earum  
materiam excerni posse. Atqui verrucosæ majus  
periculum afferre dicuntur, quia nec suppuratione,  
nec aliis excretionibus solvi queunt. Hinc  
RHASES (a), & MEADIUS (b) mortiferas eas de-  
clarare non dubitarunt; quod tamen de malignis  
intelligendum puto.

(a) *De Variol. cap. VIII.*

(b) *L. c. cap. 3.*

## §. CCXVII.

*Prognosticæ cujus-* His generatim præcognitis ad ea transeundum  
*que sta-* est, quæ speciatim in quolibet variolarum cujus-  
*dii.* que generis stadio præsagitionum adjuvant scien-  
tiam. In primo stadio ratur periculum perhibe-  
*Primi* tur (a), nisi a dentitione, vermis, aut aliis  
*stadii ..* morbis coniunctis impendeat. In eo autem dolor  
*signa sa-* capitidis, & dorsi levis; calor mitis; sitis mode-  
*lutoria.* rata; pulsus æqualis, parum a naturali recedens;  
vires validæ; nullus, aut parvus vomitus; respi-  
ratio facilis, & lenis; somnus tranquillus, &  
re-

feficiens; nulla ægritudo; aut jactatio; appetitus  
 satis bonus, nulla in abdomine molestia mitissi-  
 mas, benignissimasque variolas (§. CLXIX.) <sup>signa ē  
variolas:</sup>  
 præmonstrant (*b*), ut manifestum plane est. Quo  
 longius ab hoc placidissimo genere discedit mor-  
 bus, eo gravior. Hinc acuti capitis, & lumbo-  
 rum dolores; sitis ingens; sudores profusi; vo-  
 mitus creber, & permolestus, jactatio, ægritu-  
 do, vigilia, aut sopor, pulsus vehemens, varius,  
 aut quod deterius est, parvus, inæqualis, debi-  
 lis cum virium prostratione; pedum, & manuum  
 tremores, præsertim quando aut tanguntur, aut  
 moventur; ventris tormina; nausea; ciborum fa-  
 stidium; respiratio difficilis, anxia, anhelosa gra-  
 vitatem, malignitatemque (*c*) patefaciunt. Sed  
 maxime animum advertere debemus ad dolores;  
 si qui sunt, in aliqua parte defixos, qui pleuri-  
 ticum, colicum, ischidiacum; aliumve a variola-  
 rum symptomatibus alienum simulant. Nam hi,  
 quod sœpè vidi; non modo variolarum eruptio-  
 nem ad nonum internum diem usque retardant,  
 verum etiam malignissimas, & pene lethiferas  
 varicias antecedunt. De ciborum vero fastidio,  
 dummodo alia præva symptomata absint, non val-  
 de sollicitos nos esse oportet, nam plures vario-  
 læ taliis benignæ occurunt, in quibus ad moihi  
 usque finem sine ullo detrimento vix quidquam  
 cibi præter potum, aut vini tantillum ab ægris  
 capit. Quod ad febrem attinet, cavendum est,  
 ne prima accessionis speciæ benignior decipiat:  
 sed tota ejus ab exordio ad eruptionem usque  
 pustularum ratio & progressus (*d*) perpendenda  
 est. Pro longiori, aut breviori primi stadii ex-  
 tensione benignior, aut malignior variolarum na-  
 turæ, Homio (*e*) asseverante, se habet. Sed id

Inappa-  
 tentia in-  
 terdum  
 innocua.  
 Febris  
 quomodo  
 conhde-  
 randa.  
 Brevias  
 aut lon-  
 gius pri-  
 num sta-  
 dium quid  
 indicas?

universum nequaquam verum est. In discreto potius genere monitum ejusmodi locum obtinet, Defectum vomitus, & jactationis, & quaedam <sup>Quando</sup> ~~vomitus,~~ quietis speciem cum MORTONO supra (§. CXCXIII.) <sup>& jacta-</sup> retulimus inter signa variolarum pessimi moris, <sup>tionis de-</sup> Verum cum solum eventu hæc comprobantur, <sup>fectus b-</sup> <sup>nus, aut</sup> cum æger vim morbi non percipit ob summum malus: naturæ languorem, & quasi attonitus jacet, comate oppressus cum pulsu debili, urina tenui, reliquiue pravis, malignisque signis ibidem (§. CXCIII. CXCIV.) memoratis. Ceterum urina <sup>significatio</sup><sub>nis</sub>, que colorem habet vini canariensis, optimæ notæ (f) censemur, praesertim cum anæromate, aut hypostasi levi, alba, copiosa sine aliis malis signis. In hoc quoque stadio, aut initio sequentis interdum peticulæ, & maculæ purpureæ erumpunt, itemque sanguineus mictus, hæmoptisive accedit mala semper significatione, sed non nunquam adeo exitiosa signa hæc sunt, ut ante eruptionem variolarum, aut ea vix apparente ægri (g) intereant. Id in primis evenit in variolis epidemicis anni 1681. in quibus maculæ purpureæ, antequam variolæ prodirent, apparebant, & præmaturam mortem (h) asserabant.

(a) SCHACHT l. c. cap. XIII. §. VIII.

(b) LOBB. *de la petit. verol.* Tom. I. *Introd.* §. XLIX. ROSEN. *Malad. des enfans* p. 130.

(c) *Idem. l. c.*

(d) AZZOGUID, *l. c.* p. XIV.

(e) *Loco cit.*

(f) LOBB. *l. c.*

(g) SYDENH. *Diss. epist.* p. 404.

(h) *Idem ibid.*

## §. CCXVIII.

In altero stadio pro symptomatum varietate va-  
rios quoque discriminis gradus habent (a) Va-  
riolæ. Pustularum eruptio præceps, præniatura, secundi  
stadii  
prava si-  
gna.  
nempe intra sexaginta horas conspicua, conser-  
ta, minuta, & copiosa, præsertim in facie re-  
probatur; itemque, si statim confluant, aut acri-  
ter pruriunt, malæ habentur, & contra (b).  
Quo pauciores faciem impetunt, ut plurimum eo  
mitiores esse (c) consueverunt. Si incipiente eru-  
ptione alvus laxetur, profluatque, malum (d),  
in primis in discretis, aut confluentibus adulto-  
rum: quainquam hoc minime perpetuum est. In-  
terdum enim ejusmodi alvi fluxu gastrica, & bi-  
liosa cacochylia, que morbum graviorem redde-  
ret, utiliter subduci visa est. Quo magis pustu-  
læ deprimitur, & quo minus post eruptionem Quando  
alvus la-  
xa non  
damnan-  
da.  
febris se remittit, eo gravius imminet peri-  
culum, & contra. Delirium, quod eruptionem Pustula-  
rum de-  
pressio,  
& febris  
continua-  
tio mala.  
subsequitur, terrere (e) debet, & multo magis  
phrenitis quarto post exclusas variolas die super Delirium  
post er-  
ptionem  
peccatum  
Infida  
delirii  
remissio.  
veniens, quia perniciem ominatur. Nec delirio  
remitenti licet confidere, & spei inde alere,  
si eadem febris vis (f) perseveret. In hoc ipso  
stadio inflammatio faucium, difficilis deglutitio,  
respiratio frequens, anxia, intercisa interiores  
quoque partes variolosa materia occupari non si-  
ne periculo, significant (h), in primis si ore  
hiante, & naribus obstructis spirare æger co-  
gatur. Contra nares, & fauces liberæ, & cir-  
ca nasum paucæ pustulæ bonum præsigium (i)  
præbent.

- (a) SCHACHT. l. c. §. XXI.
- (b) ROSEN. l. c.
- (c) HOM. l. c.
- (d) ROSEN. l. c.
- (e) HOM. l. c.
- (f) MEAD. l. c. cap. 30.
- (g) HOM. l. c.
- (h) LOBB. l. c. p. LIII.
- (i) ROSEN. l. c.

## §. CCI X.

*Tertii stadii prædictiones ex suppurationis ratiōne potissimum ducuntur. Optimum, & magna prognostica turæ legibus consentaneum est suppurationem Suppura-diebus septimo, octavo, nono, decimo, undētio bona, aut mala. cīmoque in pustulis faciei; deinde in reliquis partibus duodecimo, & decimo tertio die fieri cum sensu doloris, aut cum magna sensibilitate in locis, ubi pustulæ sitæ sunt; bonumque indicium est, eas turgere, plenas humore tendi, reniti, dolere (a). Hinc eo major salutis spes affulget, quo variolæ ad suppurandum paratores (b) existunt, quoque magis earum intervalla rubent, colore videlicet rosis Damascenis (c) simili. Contra si pustulæ, aut earum interstitia palleant, aut liveant, aut variolæ rugosæ sint, flaccidæ, & dolore vacuæ, aut in medio subsident, aut nigricent, aut peticulis ex atro purpureis stipentur, mortem in propinquō esse (d) scito. Pus vero album, viscidum, lente flavescentis, vesiculas perfecte opprens bene auguratur; male fuscum, tenue, aut præmature flavidum, aut nimis paucum. Palpebrarum tumor circa diem octavam, & capitis inflatio circa*

nonæ diei initium, atque ad undecimam usque protracta faustum eventum (*e*) promittit.

- (*a*) LOOB. *l. c. p. XLIX.* ROSEN. *l. c.*
- (*b*) MEAD. *l. c. cap. 3.*
- (*c*) SYDENH. MORTON. *l. c.*
- (*d*) HOM. *l. c.* ROSEN. *l. c.* SAGAR. *l. c. p. 20.*
- (*e*) LOBB. *l. c. p. L.*

### §. CCXX.

Facies quoque sua signa habet: hanc æqualiter tumere, ut oculi occludantur, aut vix ullo tumore affici, quod quidem in benignissimis variolis plerumque evenit, bonum: At copiosissimis pustulis obsitam esse, nec tamen inde intumescere, aut sola labia, & palpebras tantum inflari (*a*), malum. Quod si facile detumescente, aut ptyalismo cessante, quod die undecima ut plurimum contigit, non cito primum brachia, & manus, deinde crura, & pedes successive intumescant, pene mortiferum (*b*) est. Collapsus variolarum, nisi ptyalismus, aut alia copiosior ex-crétio opem ferat; itemque ptyalismi defectus in confluentibus adulorum augurium triste dabit; nam ptyalismus summopere necessarius atque utilis est non modo in confluentibus, sed etiam utilitate non caret in discretis, si his, ut interdum accidit, superveniat. Stridor quoque dentium in infantibus, & pueris cum dormientibus, tum vigilantibus, aut convulsio quæcunque alia huic stadio superveniens, jure (*c*) metuenda est. In variolis discretis dies plerumque fatalior esse solet octava; in confluentibus, ut alias diximus, undecima (*d*). Quod ingens vitæ periculum, die

*Ex facie  
præstria.*

*Signa ex  
ptyalismo.*

*Ex stridor  
dente dentium.*

*Dies fa-  
talior  
qualis e.*

undecima futurum, omnemque fere medellam spernens multo prius prædicti potest ex sola pustularum exiguitate, multitudine & frequentia.

*Quid va-* Siquidem in multitudine, aut paucitate exanthemarum copia, aut matutin magna ex parte discrimen, aut spes salutis consistere saepe (e) videtur. Salivæ fluxus ab ipsa eruptione exortus, huc usque perdurans, facilis, liquidus in confluentibus adulorum, aut

*Ptyalismi* in puerorum variolis nullus, aut paryus ut salu-  
*bona, aut* malæ notis spem facit, sic difficilis, viscidus, cito desiste-  
nens, aut repente suppressus exitium (f) minatur. Sed maximum periculum est tam in discre-  
tis, quam in confluentibus variolis a febre sup-

*Febris* puratoria. Hæc si vehemens est cum dolore ca-  
*suppura-* pitis, virium defectu, oculorum rubore, anxie-  
*toria quid* periculi tate, jactatione, delirio, pectoris oppressione,  
*periculi* *kabeat:* atque angustia mortem fere certam (g) intentat.

*Ejus ab-* Contra tutissimum est toto hocce stadio parvam,  
*fentia* vel nullam febrem esse, somnum tranquillum,  
*sum tran-* respirationem facilem, & (h) æqualem.

*guillo,*  
*somno,* &  
*facili re-*  
*spiratio-*

(a) ROSEN. l. c.

(b) STDENH. MORTON. HOM., ROSEN. l. c.

(c) SAGAR. l. c. n. 55.

(d) SYDENH. *Dissert. epist. p. 407.*

(e) *Id. ib. p. 404.*

(f) MORTON. ROSEN. SCHACHT. l. c. §. XXIX.

(g) SYDENH. ROSEN. l. c. SCHACT.

(h) ROSEN. l. c. *Bona respiratio*, inquit BAGLI-  
VIUS, in variolis est unum ex optimis signis, licet  
sint gravia cetera, ut centies observavi. *De re-  
spirat. in acutis.*

## §. CCXXI.

Ut in duobus primis stadiis, sic in tertio alvi <sup>Tertii</sup>  
auxus, nisi ex cacochylia gastrica fuerit, quod <sup>Radii</sup>  
jam supra monitum est, plerumque ut noxius in  
discretis, & benignis (*a*) damnatur. In confluen-  
tibus vero puerorum non modo totum fere mor- <sup>Alvi flu-</sup>  
bi cutsum comitatur, ut suo loco notavimus,  
verum etiam utilis esse consuevit, subtrahendo  
aliquam exuberantis materiae variolosae portio-  
nem. Frigore suscepto si suppressatur ptyalis, <sup>Ptyalis mi-</sup>  
periculosum. Hoc ipso tempore dolorem osteoco- <sup>Suppres-</sup>  
pum cum magna inquietudine interdum superve- <sup>Dolor</sup>  
nientem, si viginti quatuor horas non excesse- <sup>osteoco-</sup>  
rit, salutarem; ultra vero hunc terminum pro- <sup>pus.</sup>  
tensum, lethiferum jam supra (§. CCIX.) ex  
SAGARIO (*b*) pronunciavimus. Singultum quoque <sup>singul-</sup>  
sub finem hujuscce stadii, vel circa initium se- <sup>tus, &</sup>  
quentis moveri, aut ulcera in ore, & faucibus <sup>ulcera</sup>  
nasci, haud vacat (*c*) periculo. Funesti quoque <sup>oris, &</sup>  
habentur horrores, aut rigores, qui in augmen- <sup>faucium,</sup>  
to morbi, aut sub ipsa febre secundaria ægros (*d*)  
corripiunt.

(*a*) LOBB. *I. c. p. L.*

(*b*) *L. c. pag. 19.*

(*c*) LOBB. *I. c. p. LIV.*

(*d*) HUXHAM. *de aere, & morb. epid. T. I. pag. 37.*

## §. CCXXII.

Calor temperatus non modo in tertio, sed <sup>Quarti</sup>  
etiam in quarto stadio notis salutaribus adnume- <sup>stadiis</sup>  
xatur. Alvus die duodecimo, aut decimo tertio <sup>præsagia-</sup>  
mo. <sup>tiones.</sup> <sup>Calor.</sup>

moderate fluens , & laxata ita , ut vires non perterat , cum in variolis confluentibus , tum in discretis malignis plurimum morbo levando , soliendoque (a) confert . Contra nimius alvi fluxus *Tormitica* , cum terminibus sine levamine ; dejectiones purenes . re , aut sanguine mixta ; epigastrii tumor , & *Tumor epigastrii* dolor gangrenam ventriculi , aut intestinorum in *Alvi adstrictio* . dicans ; aut alvi adstrictio pertinax , item lingua *Lingua status* . nigra , aphtosa , arida , siticulosa ; humidi desiderium , & ejusdem avida suuctio periculi magnitudinem , & quidem quam proximi ostendunt . Sed *Urina* . exitiosa fere sunt urinæ paucæ , rarae , pallidæ ; *Micturatio* . inanis micturitio ; delirium , convulsiones ; & *Delirium* . dum arteriarum carotidum , & temporalium miscantur . catus crebriores , patentioresque , dum in carpis *Convulsio* . languent , deficiuntque . His enim non modo *Carotis* . phrenitis , verum mors ipsa indicatur . Salutem *bratio* . vero sperate licet , si deglutitio facilis sit , si lingua bona ex deglutitione dolor (b) discruciet ; si pustularum exsiccatio eosilenti , dem prope ordine , quem tenuit eruptio ; procedatur naturali . dat . Pustularum vero exsiccatio vel nulla , vel *Exsiccatio tarda* . nimis , itemque répetita cruxarum (c) repustula . pullulatio , non expers sane discriminis est .

(a) LOBB. l. c. p. LI. RÖSEN. l. c.

(b) Id. ib.

(c) Id. ib.

### §. CCXXIII.

*Quædam alia observationes generaliores* , quas scire maxime expedīt , ut præsanctorum doctrina cumulatione habeatur . In universum peticulæ , & mictus cruentes , quocunque *prognosticū* . sta-

Radio accesserint, item suppressa ex toto variolarum eruptio, febrisque secundaria, quæ ratio nem multitudinis pustularum sequitur, sunt adiutus præcipui, quibus ad interim (a) ducitur. Gravidæ mulieres, si variolis prehendantur generatim non modo facile abortiunt, verum etiam Gravidum ob febrem pueralem, quæ sæpe eas invadit, tum ob hæmorrhagiæ metum gravissime pleniusque vita periclitantur. Hystericæ affectiones, spasimi, frigus horrificum, rigorve pessime (b) audiunt. Urinæ emissio, aut alvi dejectio inscio. Urina inægrotante; sudores profusi, aut viscidi & frigi scio agredi, aut ephidrosis, sive sudatluncula tenuis, aut reddita. Sudores. guttatim exstillance fere mortis prodromi (c) habentur. Tubercula, sive phymata rubra, crebro sub finem morbi exterius se produnt, membra namque adiposam occupare consueverunt. Si suppurationem subeant, citoque aperiantur, ut plurimum criticæ evacuationis vice funguntur: at non suppurantia, aut non opportune, & in tempore aperta alterutrum denotant, videlicet vel deficientis naturæ conatum, vel materiae purulentæ (d) ad interiora regressum. His vero tuberculitis frequentius obnoxii sunt illi, qui miictu Quinam. cruento laborarunt, & ope acidi vitriolici, & phymatis magis obnoxii. vesicantium, ut animadvertisit (e) MEADIUS, evaserunt. Sed hi in tumores etiam glandularum Tumores non suppurantes, & gangrænosa tonsillarum glandularum, & ulcera tonsiliarum, & cetera incident. Ex quo patet, virus variolosum nulla alia ratione tutius, meliusque e corpore efferti (f), exernique, quam suppurationis via, atque adjumento. Non nullos SAGARIUS vidit, qui præter variolas suppurare solitas crystallinis, & verrucosis simul affecti erant. Hi suppurationis tempore sui quasi obliti, incuriique jacebant, do-

Peticule,  
miatus,  
cruentus,  
variola-  
rum sup-  
pressio,  
febris se-  
cundaria.  
Gravidi-  
tas.

Quinam.  
phymatis  
magis ob-  
noxii.

Tumores  
glandu-  
larum, &  
ulcera  
tonsiliarum.

Observa-  
tio Sag-  
arii.

donec inopinato quasi e vita excederent ; quod supra ( §. CXCIX. ) jam ex eodem retulimus . Mirabatur autem , eos neque tum febricitasse ; neque unquam facie intumuisse ; neque ullum ferme salivæ fluxum expertos fuisse .

- (a) SYDENH. l. c. p. 413.
- (b) LOBB. l. c. p. LIII.
- (c) Id. p. LIV. ROSEN. l. c.
- (d) Id. ib. SAGAR. l. c. p. 20.
- (e) l. c. cap. 2.
- (f) l. c. p. 21.

### *Curatio.*

### §. CCXXIV.

*Absoluta* ; ut potui , accuratissime variolarum *Curatio* *in appa-* *historia* , conquisitisque undique illustrium Medi-  
*ratu-* corum observationibus , in quibus prolixitate , &  
*copia* maluimus ; quam inopi brevitate peccare :  
*nunc* , qua ratione earum curatio instituenda sit ,  
*exponere* aggrediar . Sed primum animadverten-  
*Quid na-* *dum est* , naturam ut in ceteris exanthematicis  
*zura in* *variolis* morbis , sic quoque in variolis summa ope niti ,  
*meliatur* : ut principium illud heterogeneum , quo ipsa in-  
*stigatur* , ad cutim ( §. IV. ) critice protrudat , se-  
*que* exiguis phlegmonibus ibi inductis , atque ini-  
*pis bonæ notæ conversis ab omni noxio humore*  
*qua ope* liberet . Id autem etsi non nunquam leni , &  
*ferme insensibili* motu moliatur , pletumque ta-  
*men febris* cuiusdam manifestæ concitatione ipsa  
*consequitur* : quæ *febris apparatus* , sive *contagii*  
*( §. CLXVII. )* appellari solet . Hæc vero quodam-  
*gradu* , & tempore eget , quo iniasma variolosum  
*præparari* , extricari , & expelli queat , non secus  
*ac*

ac in fermentationibus usuvenit, ut liquor fermentans heterogeneas, impuras; inutilesque substantias secernat, ac diuittat. At illud miasma variolosi proprium videtur, quod non modo quamdam fermentationis veluti speciem exfusci tet, verum etiam fermenti instar plus minus sibi nos humores in sui naturam transmutet, sibique assimilet. Hinc consequens plane est, ut, si naturæ motus iste neque excedat, neque deficiat, nullo unquam artis auxilio perturbari debeat; sed sini, donec suum opus perficiat, & compleat. Si vero aut torpeat nimis, & præter modum cunctetur inefficax, aut contra vehementius, quam opottet, concitetur, turbasque cieat; tunc eum prudenter, & caute sollicitari, aut cohiberi conveniat \*. Sed in primis quam diligenter cu randum est, ut, quoad fieri potest, minima humorum assimilatio a varioloso fermento præstetur; id quod in regimine potissimum diaetetico rite instituto penè totum contineri, vix est hodie, qui ultiro non fateatur.

Motu quod  
dam si  
mili fer  
menta  
tioni.  
Miasma  
variolo  
sum agit  
fermenti  
instar.  
Motus  
natura  
quomodo  
regendi?  
Maxima  
cura par  
in diaete  
tico regi  
mine.

\* Hæc respondet optimis documentis, quæ SY DENHAMUS de variolis regularibus ann. 1667. 68. 69. scribens (Oper. sect. 2. cap. 2. n. 159. edit. Patav.) nobis reliquit, ubi ait indicationes esse, ut æquabilis ille tenor ebullitionis in sanguine conservetur, qui neque nimis propere separationem nimia sua vi perficiat, neque tamen tortido nimis motu eamdem remoretur, vel non satis idoneam præstet; 2. ut abscessuli, postulæve summa cura sustineantur, quo debita tempora percurrentes, tandem contentam in se materiam omnino avehant, ipsæque extiam evanescant.

## §. CCXXV.

**Damna** Nihil enim magis conferre ad febrem præter **caloris** modum augendam , humoresque sanos varioloſo **lecti** , & **cubiculi** tabo assimilandoſ afferitur , quam lecti , & cubiculi nimius calor (a) . Hoc ſcilicet ſanguinis æſtus , & fervor , qui in *Variolarum* apparatu mortui , & fervori fermentationis valde affinis eſt , ſic excandescit , intenditurque , ut cuncti prope humores , amissa priore blanda natura , novam , pravam , analogamque varioloſo fermento qualitatem adipiſcantur . Quapropter SYDENHAM IUS

**Quamdiu** ſuadere paſſim non definit , ægros non ante lectum ma- Etulo addicendos eſſe , quam tota variolarum eru-  
**nere agri** debeat . ptio in conſpectum veneſerit ; id eſt non ante ſextum ab initio morbi diem , ſive ab eruptione in- cepta tertium , aut quartum . Quin etiam poſt hoſce terminos lecti calorem ita conſpectum ha- bet , ut ex eo vigilias , phrenitidem , aliaque periculosa ſymptomata derivare (b) non dubitet . Quamobrem continuo ſubjicit , ægrorum poſt ſextum etiam diem extra lectum interdiu , quoad per vires licuerit , detinendum eſſe , præſertim cum pustularum frequentia , & copia tanta ſit , ut fræno , & moderamine coerceri debeat . Tunc

**Exceptio-** vero non amplius e lecto eximendum , cum a-  
**nies que-** prior pustularum dolor , aut animi ad deficien-  
**dam** diū propensio decubare , & quiescere eum co- gat . Concedit tamen in variolis discretis beni- gnis (c) , itemque ubi ſanguinis copia per venam ſectam minuta eſt , minorem eſſe extra lectum manendi neceſſitatem ; quandoquidem in his non adeo vehementer effervescit ſanguis , ne- que

que tantus est memoratae assimilationis timor. Excepit quoque casum, in quo ante variolarum eruptionem eclampsia, sive morbus comitialis accesserit; nam tunc lecto tradendum esse ægrum, & cardiacis medicamentis cum paregoricis junctis, in primis laudano liquido ad paucas guttas propinato, & cantharidibus nucha impositis variolas ad cutim alliciendas (*d*) jubet. Neque pariter eos e lecto eximendos existimat, qui ægritudine vehementiori, intensiori febre, vomitu enormi, vertigine, artuum dolore, quasi rheumatismo laborarunt, & similibus contra indicantibus afficiuntur. His enim, ubi maxime sanguinei, ætateque florentes sunt, quia lecto abstinere non possunt, opem fere nitebatur sanguinis e brachio missione primum, & deinde aliquot post horis emetico; quibus sic eos revelari vidit, ut quasi sani lectulo abesse (*e*) possent.

Quibus  
extra le-  
tum ma-  
nere non  
licet,  
quodnam  
aliud au-  
xilium  
adhiben-  
dum;

- (*a*) *Diss. epist. paf.* 406. (*b*) *Ibid. p. 403.* *q*  
*p. 406.* (*c*) *Ib. p. 407.* (*b*) *Ibid. p. 415.* *q* 420.  
 (*e*) *Ib. p. 422.*

## §. CCXXVI.

Non modo assidua in lecto cubatio vitanda est, verum etiam cubiculi calor nimius, & diutina in eodem aere, non renovato, præsertim tempore æstivo, mora. Pernecessarium enim prædicat idem SYDENHAMUS (*a*) aeris puri, & recentis accessum. Nec ab eo dissentit MEADIUS (*b*), ubi aeris puri, novi, & subfrigidi laudes; calidi vero, clausi, halitibusque infeciæ noxas commemmorat, utpote qui respirationem anxiam, & difficilem reddit, febrim, & pustularum nu-

Noxa ca-  
lidii cubi-  
culi, &  
aeris non  
renovat?

merum adauget , unde inflammationes , & gari-  
grænæ postremo insequuntur . Confrinantur hæc  
omnia a fidissimo SYDENHAMII sectatore , & cli-  
nico expertissimo ANTONIO HAENIO (c) , qui non.  
cessat summis celebrare laudibus crebram aeris re-  
novationem , & diligentem leæti mutationem ,  
*Nihil u-*  
*tilius ae-*  
*ris aper-*  
*ti , &*  
*renovati*  
*usu , hi-*  
*laritate,*  
*musicae ,*  
*deambu-*  
*tatione*  
*&c.*  
stragulorumque , & cubiculi ventilationem . Nihil  
enim præstantius se nosse affirmat , & cum eo af-  
firmant omnes fere nuperi scriptores , in primis  
ii , qui inoculationis utilitatem experti sunt , ad ,  
variolarum malignitatem cum præcavendam , tum  
inhibendam , quam longiorem extra lectur inter-  
diu morari , leæti , indumentorumque inunditiam ,  
animi hilaritatem , oblectationem , jocos , musi-  
cos concentus , & præ ceteri lenem in aere libe-  
ro (d) deambulationem . Deambulationis vero hu-  
jusce saluberrimos , indubiosque effectus a nemи-  
ne satis mente concipi posse dicunt , nisi ab eo ,  
*Effecta*  
*aeris a-*  
*perti.*  
qui ejus periculum (e) fecerit . Asseverant enim ,  
languentes , anxios , immani æstu ; & febri pro-  
pe conflagrantes , statim ac in aerem apertum  
transferuntur , & manibus assistentium suffulti ad  
deambulandum leniter impelluntur , brevissimo  
temporis spatio recreari , alacres fieri , vires resu-  
mere , spiritum liberius ducere , exhilarari , &  
sensim sine ullius subsidio huc illuc vagari ; febrim-  
que quam plurimum defervescere , pulsu arteriarum  
citissime ad pacatiorem rhythmum (f) restitutio .

(a) L. c. p. 407. (b) De variol. c. 3.

(c) Rat. contin. T. I. cap. V. §. VII. n. 4.

(d) Id. ib. nam. 9. (e) STORCK. Instruz. med.  
practic. T. I. p. 371. Id. ib.

## §. CCXXVII.

Neque mirum cuiquam videatur, tot emolumen-  
ta a puriore, liberiore que aere permanare; quandoquidem nemini in hac physices; ac physio-  
logiae luce ignotum esse potest, puti & novis ea-  
ris accessu non modo calentem, atque effluviis  
refertam agrotantis atmosphaetam, quæ respiratio-  
ni non minus, quam exspirationi insensibili fere  
inepta reddita est, procul ab ejus corpore disper-  
gi, calorem paullatim contemperari; & ininui;  
pulmones facilis ad ducendum spiritum dilatari,  
& sanguinis fervorem, & quasi dixerim fermenta-  
tionis speciem; qua ebullit, effervescitque,  
compesci: verum etiani utramque insensibilem ex-  
pirationem, cutaneam videlicet, & pulmonarem  
promoveri, extrorsum quodammodo allici, attrahique  
lege affinitatis, & chymicæ cujusdam solu-  
tionis, quam præstat aer purus & recens, sicque  
variolosi miasmati fortasse partem quod sane ma-  
gni refert, insensibili exhalatione effiri, ac di-  
sperdi. Quæ omnia tanto in pretio habentur a  
magnis viris, ut inanem timorem eorum, qui  
ab aere libero, & aperto variolarum eruptionem  
impediri, aut earumdem retrocessum induci cre-  
dunt, fidenter aspernentur; ac derideant, constan-  
ti, & diutini, ut ipsis videtur, experientia con-  
victi, variolas in ejusmodi aere facilis, certius,  
tutius, ac magis regulariter (a) ad cutem prodi-  
re solitas esse. Si quis tamen objiciat, ab ejus-  
modi regimine interdum pustularum eruptionem  
retardari visam, quod negari omnino nequit, &

Quæ ra-  
tione aer  
recens  
tam bo-  
nos effe-  
ctus pra-  
bet.

Variola  
in aere a-  
terto faci-  
lius pro-  
deunt.

Si tamen  
interdum  
eruptio  
retarde-  
tur, non  
valde id  
nocet.

hoc minus periculi pendere asseverat SYDENHAMUS, quam ex illa humorum depravatione, quæ regimen contrarium subsequitur, quæque in causa est, ut die porro undecima ob innumeratas variolas suppurationem subeuntes exorta vehementior febris agrotantem occidat (b).

(a) STORCK. l. c. p. 272. 273.

(b) L. c. p. 413.

### §. CCXXVIII.

**E**ncta igitur hæc, quæ de recta lecti, cuticuli, aerisque procreatione, & de aura liberiore captanda, ac de ambulationibus, aliisque animi oblectamentis interdiu, assidueque adhibendis ex magnorum virorum sententia, & præceptionibus hactenus (§. CCXXV. ad §. CCXXVII.) exposuimus, semper præ oculis ita habenda sunt profecto, ut nunquam nobis e memoria excidant, utpote & rationi consona, & multorum firmata experimentis. Nolim tamen quis credat, hoc regiminis genus indiscriminatum, & sine ulla limitatione, & quovis anni tempore observandum esse, aut, quia universim in variolis insititiis, & artificialibus felicissime cedit, pari semper eventu in naturalibus, sive spontaneis esse cessarunt. Non leve enim inter utrasque discrimen intercedere videtur, quo maxime fit, ut non eadem omnino regiminis, & curationis ratio semper eis accommodari queat. Namque exigua admodum puris variolosi, & quidem benignioris, ineliorisque notæ particula ad insititas procreandas adhibetur; quod sane plurimum inter rest.

*Præcepta tradita limitantur.*

*Discrimen inter variolas insititias & naturales.*

eo etiam tutissimo, atque a vitalibus, interioribusque sedibus valde dissipato, quasi pedetentim contagiosum miasma inferitur. Corpus, quoad fieri potest, sanissimum, ætas magis propitia, anni tempus tēmperatissimum, vernum videlicet, aut autumnale ad inoculationem feliguntur. Quas ob res non solum febris, quæ a *contagio*, sive *apparatu* nomen habet, mitissima esse consuevit; verum vires etiam, appetitus, & reliquæ functiones modice lœduntur; variolæ ut plurimum numero paucæ, discretæ, & benignæ erumpunt, ac demum placidissime ceteta morbi stadia transfiguntur. Non ideo mirandum nobis est, si in aerè libero versari, & deambulare sine molestia, atque a lecto interdiu abstinere, & vigilare sine detrimento inoculari tum possint. Contra in variolis naturalibus major plerumque variolosi contagii vis corpus ingreditur, humores inficit, ac depravat. Ore, naribusque potissimum recipitur, atque adeo caput, cerebrum, pulmones, & ventriculis, viscera certe nobilissima præcipue afficiuntur. Hinc gravior functionium omnium labefactatio. Præterea omnes cujuscunque valetudinis, habitus, ætatis sine delectu morbo subjiciuntur. Quolibet item tempore; etiam minus salubri, uti æstivo, & fervido, aut hiemali, & perfrigido, aut ob alios perniciosos morbos grassantes, malignioreisque aliquam epidemicam constitutionem inopportuno hujusmodi pestilitate corripiuntur. Quapropter & febris, quæ inde sequitur, saxe vehementior, & graviora symptomata, & major virium defecatio, ut ægri nec stare extra lectum & multo minus incedere, & gradū sine animi deliquio possit, præsertim si malignæ, & confluentes: variolæ futuræ sint, & pessimæ

*Hinc fu-  
ratio di-  
versa.* cum peticulis, aut exanthematis miliaribus com-  
plicatio, alioque ejusmodi non raro faciunt, ut  
non modo naturales ab insititiis longe differant,  
sed etiam aliam cum regiminis, tum curationis  
rationem exposcant.

## §. CCXXIX.

*Qua di-  
ligenter  
attendi  
debeant,  
ut regi-  
men rite  
institua-  
tur.* Quia & yaletudinis statum, & ætatem, & an-  
ni tempus, & morborum vagantium constitutio-  
nem, nem, & contagii quantitatem, magnitudinem  
que, & vitalem virtutem sedulo considerari, ex-  
pendique oportet, & pro singulorum ratione quod  
magis conveniat, consilium capi. Tuto, exem-  
pli caussa, quædam possunt æstate fieri, quæ hie-  
me non sine periculo tentantur; commodeque id  
fieri a bene valente, aut juvene, aut viro ro-  
busto, quod imbecillum, aut infantem, aut tene-  
rum feminæ corpus, ut scite admonet MEADIUS,  
everteret. Sed paullo distinctius rem, prout ego  
*Quid  
hieme,  
quid æ-  
estate pre-  
fettere.* quidem sentio, proponam. In universum biemale  
frigus accommodatis, cautisque præsidiis temperan-  
dum est, ne coriugata, contractaque cutis vario-  
losæ materiæ appulsuræ enixe obnitatur, aut jam  
appulsam improvide repellat; itemque ne febrilis  
motus, quo natura utitur ad eam secedendam,  
excernendamque, ita sufflaminetur, supprimatur  
ve, ut irritus, atque inanis fiat. Opportunum  
igitur quandoque erit aures præbere MORTONO,  
& MEADIO jubentibus, ægros primis ante eruptio-  
nem diebus lecto concredendos esse, ut leni tem-  
pore cutis universa laxetur. Quod etiam fieri  
expediet, ubi aut ætate, aut habitu, aut vitæ  
ge-

genere, aut morbo densata cutis nimium obriguebit. Nihius vero calor aestivus levibus indumentis, atque aura frigidore, aut mora aliqua extra lectum temperetur; eademque providentia curabitur, ut ardenter febris, si modum excederit, intra justos limites redigatur. Äque temerarium est tempore hiberno, aut tempestate algenti perfrigefacere ægrotantes, aut eorum languidam vitalitatem restinguere, \* quam æstate eos præpostere torrere, & flammæ quasi oleum adjicere.

\* Quæ scripsit C. LORRYUS in *Commentario morborum*, qui Parisiis anno 1777. regnarunt, adeo ad rem mihi facere videntur, ut me continere non possum, quin ea e Gallico in Latinum idioma versa huc transferam: „Omnino, mihi persuadeo, in re adeo  
 „ gravi, uti est vita hominum, unumquemque eorum, qui nostram artem necessariis cognitionibus,  
 „ ac debita probitate profitentur, serio veri studium  
 „ sequi. Sed quis ab entusiasmo temperare possit?  
 „ Timeo equidem, ne aliquid ejus irrepserit in variolarum curationem. Antiqui præter modum car-  
 „ diacis, & alexipharmacis institerunt. Non labo-  
 „ rabo, ut refellam systema jure jam proscriptum.  
 „ BALLONIUS, FERNELLUS, & SANCTUS MARTIUS  
 „ ipse, quin esset medicus, in suo poemate de PÆ-  
 „ DOTROPHIA, declamarunt contra hujusmodi abu-  
 „ sum, & differuerunt de vena vel in media vario-  
 „ larum eruptione incidenda. Proxime elapso sæcu-  
 „ lo SYDENHAM. regulas sancivit certissimas, quibus  
 „ medeamur variolis. FREINDIUS, & MEADIUS,  
 „ qui antiquissimam medendi rationem a RHASI com-  
 „ mendatam restituerunt, itemque HELVETIUS, SI-  
 „ DOBRIUS, & HEQUERUS ostenderunt, quanti fa-  
 „ cienda sit aeris frigidi introduc̄tio, lēti, & ve-  
 „ stimentorum mundities, ususque potionum refrige-  
 „ rantium in morbo hoc, qui in omnibus suis sta-  
 „ diis vere inflammatorius est. Verum ab aliquo jam

„ tempore nonne medici abusi sunt hisce dogmata  
 „ bus , ægros exponendo frigori immoderato glacia-  
 „ lis atmosphæræ , & non ne possibili ad interiora  
 „ variolarum repulsioni anteposuerunt falsam cutis  
 „ præservandæ sedulitatem , & persuasionem ? Tu-  
 „ mor faciei , & manuum non ne postulat certum  
 „ tempore , & harum partium dispositionem quam-  
 „ dam ad evaporationem , blandumque sudorem ?  
 „ Expiratio ista , quæ certe in atmosphæra glaciali  
 „ vix obtineri potest , impedita , per lentas , & pra-  
 „ vas successiones nonne modo ad pectus , modo ad  
 „ articulos , modo ad oculos transfertur ? In eon-  
 „ valescentibus , tempore nimirum , quo tota humo-  
 „ rum massa purificari consuevit , nonne regimen  
 „ diutissime tam quod ad diætam , quam ad atmo-  
 „ sphærarum summarum in autumno variationem obser-  
 „ vandum effet ? Sed &c . “ *Histor. de la Societ. Ro-  
 yal. de Medecin.* T. 3. p. 11.

### §. CCXXX.

Media igitur via tutissimus ibis , videlicet si  
 via ter- neque calore , neque vestimentis ægros suffocave-  
 nsndā. ris , neque frigore , aut nuditate sic affixeris , ut  
 cutanea vasa prope occludantur , aut necessarii na-  
 turæ motus penitus intercidant . Vidi multoties  
 calor algida tempestate tardam , cunctantemque vario-  
 auctus larum eruptionem , pustulasque fessiles , aut um-  
 quando biliçtas , ægro se attollentes , quas feliciter ex-  
 profit. pliavit , erexitque lecti , cubiculi calor moderate  
 Quando prudenterque auctus . Nec caruit semper periculo ,  
 aeris li- vel in ipsa æstate , aeris accessus , temere , aut  
 beri ac- imprudente admittens , præsertim cum variolæ suppū-  
 cessus no- rarent , aut accrescerent . Metastases ex hac sola  
 reat. causa , in discreto etiam , & benigno genere ,  
 celeriter lethiferas interdum demirati sumus . Fu-  
 nesta ejusmodi exempla nullibi frequentius vide-

re est ; quam in plebejorum filiis , quibus res domi angustior est. Hi ut plurimum in conclavebus minus spatiose quidem , sed male ab externis injuriis defensis , & fere undique aeri , vento , & frigori perviis degunt , vixque habent , quo se in lectulis contegant , aut in atriis apertis , aut ante domunculas sub dio versantur , aut huc illuc per publicas vias circumferuntur . Proh quantam stragem in his edunt variolæ ! Itaque , quando , & quantum præcepta supra exposita usum habeant , quando deserendus lectus sit , quando cubiculum ventilandum , quando in aerem apertum prodire liceat , prudentissimi , & sagacissimi Medici omnino est decernere . Generatim lecti , & cubiculi calor modum non excedat , potiusque ad frigiduscum inclinet , præsertim quando æstas est , aut febris vehementius exardet , & pustulæ multæ , & quasi furentes prorumpunt . Tumque si nimia siccitas calori aeris juncta sit , magno quoque usui erit cubiculi pavimentum aqua frigida aspergere , & vegetabilia virentia in eodem collocare , quæ putrida , & phlogistica effluvia absorbere , sicque aerem purificare dicuntur . In aere vero liberiore & puro admittendo , quoniam cubiculum ab impuris , phlogisticis , putribusque halitibus repurgari subinde convenit , temperamentum aliquod adhibendum est , ne subitum frigus , aut ventus , humiditas exspirationi adversa irrumpat ; & variolas emicare vetet , aut jam præsentes reprimat . HAE NIUS ipse , si quis alias aeris renovandi , & refrigerandi laudator amplissimus , summa cautione opus esse fatetur . Vult enim , ut dum ventilandum cubiculum est , æger in proximum aliud bene clausum se recipiat , quo tutius fenestræ , & valvæ aperiri possint , quin ipse aer frigoris in-

Cautiones , &  
præcepta  
utiliora.

Haemis-  
monita-

cle-

clementia, aut novi aeris afflatu offendatur. Addit etiam, grabatum quo cubare solet, ita locandum esse, ut fenestra, aut janua aperta ad aeris renovationem, eum nequaquam directe (*a*) feriat.

(*a*) *Rat. contin. T. I. cap. V. 9. VII. n. 4.*

### §. CCXXXI.

*Victus ra-* Diætetics vero (§. CCXXIV.) cum pars non  
*tio qua-* infima sit ipsa victus ratio, de hac quoque aliis?  
*lis?* quid dicere oportet, ut quænam variolis oppor-  
*In La-* tunior existimetur, facile cognoscatur. Infantibus  
*lætentibus.* adhuc lætentibus non alio alimenti genere opus  
 est, quam consueta lacticis functione. Ad summum  
 si vehementer sitiant, & caleant, ne nimia se  
 lacticis copia repleant, concedi iis potest aquæ po-  
 tus frustulo panis triticei tosti infuso temperata,  
 aut ex hordeo, aut oryza, aut gramine decoctæ,  
 aut etiam purissimæ, qua non solum sitis extin-  
 guatur, verum humores etiam omnes diluantur,  
*In nutri-* & refrigerentur. Nutricibus vero imperandum est,  
*sibus.* ut a vino, a nimio carnium usu, a pinguibus,  
 acribus, salitis, aromaticis, aliisque calefacienti-  
 bus abstineant, & cibis vescantur blandis magnam  
 partem vegetabilibus, non valde jurulentis, ovis  
 recentibus, piscibus fluviatilibus teneroris textu-  
 ræ; & potui plurimo, temperatissimo, & diluen-  
 ti indulgeant. Præ primis autem animi tranquil-  
 litati, hilaritatique, quoad possunt, impense dare  
 operam debent.

## §. CCXXXII.

Pueris vero, adolescentibus, atque adultioribus, si tamen cibum appetant, ( nam interdum ab eo summiopere abhorrent, ut nihil per aliquot dies sumant ) alimenta dentur tenuissima, In pueris, juventibus, adultisque.  
humectantia, &c, ut vulgo vocantur, refrigerantia; cujusmodi sunt cremores hordei, aut oryzæ liquidiores, decoctum panis albi, fructus dulces, vel subacidi, uti pruna, cerasa, fraga, pyria, poma præsertim cocta, & saccharo condita, & similia, quibus etiam alvus blande leniter, quod primis potissimum diebus maxime conductit. Quod si ab his quoque abhorreant, aliquid identidem juris tenuioris ex ranis, aut ex pulli, vitulique carnibus largiri sine ulla noxa licebit. Novi quosdam omne alimenti genus sine ullo detrimento ad perfectam usque variolarum inclinationem respuisse præter quedam panis frustula vino dilutiori intincta, & subinde vorata: quod in primis usui esse potest in summa nausea, & vomitazione perpetua, viriumque languore magno. Ceterum potui opportuna sunt aqua cum succo malii medici, citrei, aut aurantii, paucō edulcata saccharo; decocta pomorum; emulsa tenuiora ex amygdalis dulcibus, aut seminibus melonum; serum lactis defœcatissimum, atque alia hujusmodi, æstate naturaliter frigida, biemie vero tepentia, aut certe egelida,

## §. CCXXXIII.

*Curatio chirurgica, & pharmaceutica in primis variolarum stadio.*

Quod ad diæticum regimen, hactenus satis Reliquum curationis, quod ex fonte chirurgico, & pharmaceutico promi solet, ordinatim modo persequar, singula, quæ cuique variolatum stadium, generi, & symptomatibus administrari debant, diligentissime, ut par est, enumerans, atque ad æquam lancenti experidens. Itaque in primo variolarum stadio si mitissimus morbus sit, ut in benignissimo, & discreto genere (§. CLXIX. & seq.) est, ubi nimirum vel nulla, vel exigua febris cum eo conjungitur, vel ejusmodi ea est, ut pulsus moderatus, atque æqualis, calor mitis, respiratio facilis, & lenis, caput liberum, mens integra, & reliqua symptomata pacatoria non modo plenari variolosæ materiæ separationem, verum etiam pustularum debito tempore suppurationem, exsiccationemque sperandam esse significant;

*Natura & quomodo ussecundandum.*

totum negotium Naturæ relinqu oportet, & solo diætico regimine, blandisque diluentibus ei dem recte operanti succurrere satis est. Ad sumnum si alvus adstrictior fuerit, enemate aliquo emollienti laxari poterit, ut a folidibus, quæ tentæ molestiam parerent, intestina mature libarentur.

## §. CCXXXIV.

*Quando sanguis miti debeat.*

Verum si æger plethoricus vere sit, febris vehementior, pulsus magnus, plenus, & durus, aut ob vasorum plenitudinem nimiam obscurus, & suppressus, calor ingens, cutis arida, respiratio anxia, facies rubra, capitis dolor acerbus, aut ejus

ejus stupor insolitus , aut sopor comatosus , aut delirium , & cetera respondeant , ut in morbo inflammatorio . ( § . CCX. ) , & præterea constitutio aeris , morborumque antecedens , & comitans diathesim inflammatoriam ostenderit , tunc sanguinis missio necessaria est . Juvenibus , adultis , atque ætate florentibus non raro evenit , ut ob febris vehementioris , symptomatumque continuationem his , vel ter \* detrahi sanguis debeat . Id autem in quovis alio etiam morbi stadio fieri licet , si quod grave symptoma sanguinis missionem indicet , & vires eam ferre (a) possint . Neque timendum est , dummodo debita virium ratio habeatur , ne per sanguinis detractionem futura variolarum eruptio impediatur ; nam vasorum nimia plenitude ablata , aut laxata sanguinis compage , a quibus interdum eruptio retardatur , plerumque facilior redditur variolosæ materiæ separatio , atque ad cutim expulsio ; immo multa mala , quæ procedente morbo supervenirent , uti phrenitis , convulsiones , peripneumoniae , sic provide avertuntur . Infantibus tenerimis raro accidit , ut sanguinis missione egeant . Si quando tamen plethora , convulsiones , aut alia symptomata , præsertim inflammatoria in his quoque eam postulent , nec ex venis jugularibus , aut brachii , aut manuum sanguis educi potuit , hirudines temporibus , vel penne aures applicitæ venæ sectionem quodammodo supplent . Non vero sine consideratione , atque examine pro uno , vel altero signo indicante phlebotomiam , protinus ad eam properandum est , nisi constans , & vehemens persistat , aut ejus generis sit , quod nullum dubitandi locum de sanguine mittendo relinquat . Interdum enim omitti hac potest , aut differri sine ullo noxæ metu ; immo fe-

*Infantes  
raro egen:  
sanguinis  
missione .*

*Quomodo  
omitti s.  
M. possit,*

febris, calor, anxietas; delirium s<sup>e</sup>pe visa sunt solo medicamentorum diluentium, attenuantiumque antiphlogisticorum, atqu<sup>e</sup> aeris puri, & liberi usu, & indumentorum immunitio<sup>n</sup>e (b) mitigari.

(\*) Non possum hic prætermittere animadversionem in Cl. ARCHIBALDUM PITCARNIUM, qui inter opuscula medica cap. de Variolis. (Vid. Ejus elem. Medicin. Physic. Mathem. Ed. Ven. ann. 1773. p. 174.) non timet in primo stadio variolarum febricitantibus jubere sanguinem mitti; quamdiu febricitant; & si variolæ eruperint, adhuc mitti; donec febris cessaverit. Nemo enim non videt, quantum ejusmodi præceptum universim, & absolute traditum a vera, rectaque medendi ratione tirones abducere possit. Caveant igitur a sanguinis missione instituenda, aut iteranda, nisi vera indicantia præsto sint; & quidem urgeant; neque ea abutantur quoisque febris c<sup>e</sup>sset, nam prius æger vitam amittet, quam febris desinat. Neque adeo formidanda febris est, si intra mediocritatis limites consistat; quia ejus ope, ut supra ostensam est, natura variolosam materiam ad cutim propellit, seque ab eadem provide liberat. Quam ob rem non facile etiam SIDOBRIO parendum est; qui in primo itidem stadio sanguinis missionem sine limitatione ulla commedat, eamque iterandam bis, ter, quater, quinques; immo sexies, & octies pro symptomatum ingruentium ratione, viriumque & ætatis modo præcipit. De variol. §. XXVIII. Namque rarissime tanta sanguinis profusio ferri potest, aut vix unquam necessaria est. Sapienter & recte de sanguinis missione in variolis sic scripsit TISSOTIUS: *in miti morbo iutilis; in mitissimo, aut maligno noxia; in gravi repetenda initio, donec ex pulsu, laxitate cutis, & remissione symptomatum phlogosim imminutam noicas.* Ep. v. arg. p. 38.

(a) MEAD. l. c. rap. 3.

(b) STORCK. l. c. p. 271.

## §. CCXXXV.

Post sanguinis missiōnem , ubi ea opus fuerit ,  
 si febris , & symptomata inflammatoria nihilominus perseverent , antiphlogisticis remediis uen-  
 dum est , speciatim potu diluente , attenuante ,  
 & compescente , uti decocto hordei , cui nitrum ,  
 oxymel , aut subacidi vegetabilium succi additi  
 sint ; donec febris & symptomata remittant (a) ;  
 nec alienum est interdum in summo humorum  
 fervore , & præter modum furente cordis , atque  
 arteriarum irritabilitate , potui aliquid spiritus vi-  
 trioli ; aut nitri adjicere ad gratam aciditatem .  
 Animadversum quandoque est , vires quæ a prin-  
 cípio validiores , concitatoresque apparuerant , sub  
 horum remediorum adhibitione , vel etiam spon-  
 te , illoco , & repente corruere , vix sufficietas  
 reliquo morbi cursu ; tunc omissis refrigeranti-  
 bus , & compescientibus , mox ad excitantia ; &  
 leniter cardiaca confugere oportet ; hisque tam-  
 diu insistere , donec vires satis erectæ admoneant ,  
 deserenda ea esse . Dum hæc aguntur ; negligi  
 haud debent præcepta , quæ supra de mora extra  
 lectum , & de aeris liberioris usura tradita (b)  
 fuerunt . Neque aliter in quovis alio stadio , si  
 hujusmodi virium lapsus incidat , se gerere debet .  
 Medicus .

Diluen-  
tia anti-  
phlogisti-  
ca .

Acida  
minera-  
lia .

Quando  
cardiaca  
substitu-  
endas sunt .

(a) STORCK. l. c. p. 270.  
 (b) Id. ib. pag. 279. 280.

## §. CCXXXVI.

ubi purga- Misso , aut omisso , prout res poposcerit , san-  
 re oppor- guine ; præscriptisque opportunis secundum indi-  
 gunum fit. cationes internis medicamentis , decernendum re-  
 manet , utrum purgari ægrum expedit . Si ex an-  
 tecedenti victus ratione , aut ex signis bilis , aut  
 pituitæ in primis viis exuberantis , quæ pluries  
 alibi , sed speciatim capite de *Febre gastrica acuta*  
 ( Vol. II. §. CCCLXXIII. ) retulimus ; conjici pos-  
 sit , ventriculum , aut intestina sordibus crudis ,  
 corruptis , biliosis , aut mucosis scatere , nemo du-  
 bitat , quin eæ vel vomitu , vel alvi ductione ,  
 prout facilius , promptius , opportuniusque videhi-  
 tur ( Vol. II. §. CCCXCI. CCCXCII. ) expellendæ  
 (a) sint . Interdum cunstitutione ipsa epidemica , ad  
 Quando Emetisis , quam semper attente respiciendum est , aut mia-  
 quando cathartis smatis variolosi in ventriculum ingressi copia , &  
 magis con- molesta ibidem retentio , quæ sola nauseas , &  
 veniat . vomituritiones pene inanes ciere apta est , expo-  
 stulant , ut vomitu aliquanto validiori primæ viæ  
 excutiantur , quemadmodum utilissime non nun-  
 quam factum esse perhibent Clinicorum quam plu-  
 rimi ; & speciatim in illa constitutione epidemica ,  
 quam supra ex HALLERO ( §. CXCVIII. ) memo-  
 ravimus . Vomitum enim adjuvit Vir clarissimus  
 emeticus sic , ut octies ad minimum larga emesis se-  
 queretur ; observaverat enim quoties vomitus , qui  
 fere perpetuum symptomata erat , supprimetur , fu-  
 nestiorem eventum subsequutum fuisse (b) . Quod  
 si emetica aliunde vetita aut suspecta videantur , tu-  
 tissimum tunc plane est , faburram gastricam miti-  
 ali-

aliquo eccoprotico , uti manna , syrupo , ejusdem , vel cichorei cum Rhabarbaro , aut florum persici , aut sale quodam medio leniter dejicere , aut clysteribus , qui innocui fere sunt , evocare . Leniter , inquam ; nam omnis immodica ventris turbatio vitari hic debet . Sed sive emesis , sive catharsis in usum veniat , alterutra semper ante variolarum apparitionem (c) tentanda plane est \*. Ab utraque tamen temperandum est , si vomitritio , nausea , & dolor cardialgicus , aut colicus non a faburra gastrica , nec a verminosa affectione , cuius signa supra ( §. CCVIII. ) tetigimus , nec a contagiosis miasmati copia ventriculum ingressi & vellicantis , sed a sola febrili commotione , aut a nervosa ataxia ( §. CCVIII. ) ut intenellis , sensibilioribusque corporibus ut plurimum evenit , nasci cognoscantur . Tunc enim hæc symptomata , simul ac omne miasma extorsum eruperit , conquiescere , ac sedari sponte solent . Caveret etiam ab emeticis , catharticisque oportet , si , levioris licet , ventriculi , aut intestinorum inflammationis indicia aliqua se præbeant . Patent enim omnia , quæ irritationem inferunt , vitanda esse , lenissimisque tantum medicamentis , quæ temperent , demulcent , diluant , & mollient , tam intrinsecus , quam extrinsecus esse utendum . Quoniam vero cum primarij viarum sordibus , præsertim in pueris , vermes etiam non raro complicantur , solo alvum laxantibus aliquod anthelminticum , uti semen santonici , corallinam maritimam , aut aliud ejusmodi adjicere , quo illi deturbentur facilius .

*Quando  
ab utra-  
que absti-  
nendum*

(a) Id. ib. p. 270.

(a) Opusc. pathol. cit. p. 114. 115. MEAD. loc. cit.

cap. 3.

\* Si in variolis benignis, inquit TISSOTIUS, tetra symptomata ex cacochylia accedant, jam initio morbi purgandum est cremore Tartari, & tamarindis, & sic deinceps, donec omnia illa ex hac caussa genita evanescant. *Epist. var. argum. p. 50.* in morosis, & difficulter purgantia sumentibus potest exigua tartari emeticci dosis potui addi, non ut vomitum exciteret, sed ut alvum moveat. Id bene cedit. *Id. l. c. p. 51.* Tentanda purgatio est etiam morbo proiecto, si cacochyliæ signa adsint. *Id. ib.* Signa autem cacochyliæ ab eodem (pag. 50.) recensentur 1. cephalalgia, aut sopor supra vim febris; 2. oris fœtor, fastidium cibi, & nausea post etiam eruptionem superstites; 3. febris post eruptionem in benignis adhuc permanens cum anxietate; 4. fecum fœtor, & saepe diarrhœa fœtida sine depressione pustularum; 5. delirium; 6. lotium crudum, turbidum; & venter tumidus.

## §. CCXXXVII.

*Quæ cu-  
ratio in  
hic stadio  
malignis,  
& patri-  
dis?* At quando vires in hoc ipso *apparatus* stadio valde languent, & nervosum *systema* in primis *malignis*, afficitur, uti in febre lenta nervosa, sive mali-  
gna cum symptomatibus alibi (§. CCXI.) descri-  
ptis accidit; aut sanguis ad liquefendum, pu-  
tredinemque præcipiti prope passu contendit  
(§. CCXII.) uti in quibusdam *Variolis discretis*  
*malignis*, speciatim earum, quæ cum peticulis,  
exanthematibus miliaribus, maculisque nigris,  
aut lividis complicantur (§. CLXXVIII.) vel uti  
in illis *confluentibus malignis* (§. CXCII. ad  
CXCIX.) quæ cito in universalem fere gangræ-  
*Cauæta* nam terminantur; fieri consuevit; profecto alia  
*circa re-* est opus curandi ratione. Primo casu regimen  
*gimen.* qui-

quidem temperatum esse debet, sed tale, ut ne-  
quaquam febrilem motum nimis infringat, neque  
vixit vitæ; & nervorum magis magisque dejiciat;  
nec demum exanthemata tam peticularia, quam  
miliaria introrsum repellat. Quare paullo plus  
lecto æger indulgeat, atque indumentis se con-  
tegat aliquanto gravioribus, neque se aeri libe-  
riori, & frigido temere committat, cautiusque in  
lecto permutando, aut veritilando cubiculo se ge-  
rat. Intrinsecus vero ei dentur quæ quidem di-  
luent, sed una moderate excitant, & motum  
cordis, atque arteriarum leniter sollicitant. Po-  
tui igitur aptissima erunt diluta florum Sambuci,  
Tiliae, summiatum Cardui Benedicti, aut folio-  
rum Scordii, vel decocta radicum Scorzonerae,  
& graminis, vel hordei, adjecto vini tantillo,  
vel serum lactis vini ope paratum. Præterea si  
validius adhuc torpens natura movenda est, pru-  
denter & caute aliquid cardiaci, & alexipharmacis  
subinde intermiscere haud erit alienum\*. Eo re-  
spicit alimenti genus paullo generosius, uti jura  
carnium, & vitelli ovorum, acido secco mali ci-  
trei correcta, atque animata. In altero autem *Alimen-*  
casu, si tamen, primo jam stadio ineunte, signa *ta.*  
dissolutionis putridæ se prodant, aut in eam pro-  
nior constitutio epidemica se ostenderit, mature  
contra pugnandum est antisepticis proprie dictis,  
uti acidis validioribus, camphora, cortice peruv-  
iano, aliisque, de quibus jam toties memorata-  
rum est, non neglecta interim cubiculi, & lecti  
ventilatione & mora, si fieri potest, aliqua ex-  
tra lectum in aere puro, aperto, & subfrigido.  
In neutrō vero horum casuum sanguinis missio  
locum habet; quia vires illico exsolvit, putredi-  
nem accelerat, & mortem.

Diluentia  
cum excis-  
tantibus

Cardiaca  
moderata.

Alimen-  
ta.

Antise-  
ptica.

Aeris re-  
novatio,  
& mora  
extra le-  
ctum.

\* Hic ad rem maxime facit MORTONI locus ; qui  
 ejus exercitatione *tertia de Febris inflammator.*  
*cap. VII. p. 65.* reperitur. Ibi sic inquit ipse : „ Si-  
 „ cuti enim a multis stragulis impositis , & medica-  
 „ mentis calidioribus perperam , atque sine necessita-  
 „ te ministratis spiritus in fluorem nimium , & mo-  
 „ tus efferatos adacti ( *fit venia ætiologie* ) non  
 „ possunt non dissipari ; ita a frigore nimio , & am-  
 „ bientis aeris injuriis coacti , & obruti nequeunt  
 „ prorsus se se satis expandere , atque robore nati-  
 „ vo hostem adoriri. Quo nomine nunquam hactenus  
 „ in sententiam clarissimi , doctissimique nostri . SY-  
 „ DENHAMII deduci potui , qui frigidum regimen in  
 „ variolarum curatione ( cuiuscumque fuerint gene-  
 „ ris ) ubique , idque indiscriminatim adhibendam a-  
 „ criter contendet , & spiritu vitrioli , decocto albo ,  
 „ syrupo de meconio , ceterisque id genus infrigi-  
 „ dantibus , & aere ipso cubiculi frigido utramque  
 „ curationis paginam adimplet ; adeo autem ab usu  
 „ alexipharmacorum abhorret , ut ægre admodum vel  
 „ tantillum aquæ epidemicæ , theriacæ , pulveris e-  
 „ chelis cancerorum compositi , vel quidem liquoris  
 „ possetici floribus calendulæ , & rasura corni cervi  
 „ alterati ( ut ut pestentialis , vel deterius fuerit  
 „ morbi genus ) concedendum opinatur . Et paucis  
 „ verbis interiectis , quæ , ut brevior sermo fiat ,  
 „ omitto , sic prosequitur : Cum hic morbus funestif-  
 „ simus animadvertisit , spiritus prorsus a veneno  
 „ delentur , ac superantur , unde calori vegeti defe-  
 „ stus magis , quam excessus ex vibratione arteria-  
 „ rum debili , & irregulari , atque pallido urinæ co-  
 „ lone se se palam prodit . Ecquis autem frigidum  
 „ regimen in curatione jam adhibendum duxerit ?  
 „ Præterea ipse auctor cl. sæpe sæpius agnoscit va-  
 „ riolas confluentes non nunquam pestis ipsius viru-  
 „ lentiam æquare , vel quidem superare . Quis au-  
 „ tem hoc usque pestis curationem frigido regimine  
 „ absolvit , vel tentando aggressus est ? Quod ad hi-  
 „ storias curationum hoc pacto feliciter absolutarum  
 „ a clarissimo Auctore relatas attinet , nullus dubi-

» to, quin ubi spiritus nimio calore præsertim ex-  
 » terius prius adhibito, diu, & perperam attriti,  
 » & dissipati fuerint, ad ægrotantem a lecto dere-  
 » pente exfuscatum, vel saltem ab onere stragulo-  
 » rum liberatum, aliquid refrigerii, & emolumen-  
 » ti accesserit, unde spiritus temperie mitti postli-  
 » minio quadantenus reducere potiti, magis strenue,  
 » & feliciter hostem adoriri potuerint; vel in beni-  
 » gno morbo ubi spiritus venenum longe superarint,  
 » injurias hujusc regiminis absque damno quovis in-  
 » si ni tolerarint. Inde autem regimen frigidum a  
 » primordiis ipsis morbi consulto, ac perpetuo, vel  
 » ubi ex apyrexia præsenti, & pulsu debili constet,  
 » a veneno spiritus plane prostratus esse, institui  
 » debere pernego. Siquidem Variolas fæpissime vidi  
 » confluentes, & maxime funestas, ubi ne minima  
 » gutula, vel granum medicamenti cujuscumque ale-  
 » xipharmaci, vel regimen quovis modo calidum  
 » durante apparatu, vel eruptione adhibitum fuis-  
 » set, & non alia de causa funestas, & mali mo-  
 » ris evasisse vehementer suspicatus sum, quam quod  
 » durante apparatu, scilicet priusquam spiritus ne-  
 » crosi afficerentur, eorum vires hujusmodi reme-  
 » diis non satis tempestive exfuscatæ fuerunt, quod  
 » multo magis accidit, ubi regimine frigido coactæ  
 » deprimantur. In qua sententia eo magis persisto,  
 » quia (quod ceteros Professores latere haud autu-  
 » mo) centies forsan nemini ægrotantes regimine  
 » nimis frigido prius utentes, atque inde in proxи-  
 » mis morbi stadiis, vigiliis, deliriis, fluxu alvi enor-  
 » mi, frequentibus deliquiis, madore colliquativo,  
 » aliisque funestissimis symptomatibus male mulcta-  
 » tos, & petechiis, atque exanthematibus ubique de-  
 » prestis, & aridis, carbone quasi nigro notatos,  
 » ope alexipharmacorum cum opiatis conjunctorum,  
 » & vesicatorium... iudua, ab ipsis orci faucibus ali-  
 » quando derepente, aliquando sensim ereptos. Cui  
 » observationi fidem faciunt historiæ aliquot huc spe-  
 » cantes, e multis aliis selectæ, quas in calce hu-  
 » jus tractatus haud pigebit graphice, & sincere

„ depingere ; ( sunt autem 19 , 21 , 22 , 25 , 27 ,  
 „ 29 , 31 , 47 , 48 , 49 , 50. ) non tamen in istis  
 „ historiis intelligi volo variolas intensissime mali-  
 „ gnas , quarum venenum ad summum gradum exal-  
 „ tatum est . Est enim ubi venenum a primo insul-  
 „ tu , sive postea a quodam infausto accidente adeo  
 „ prosternit , & quasi sphacelo afficit , ut compage  
 „ humorum soluta mors hæmorrhagia effræni , &  
 „ maculis nigris in cuticula sparsis denunciata præ-  
 „ foribus adest , quam neque alexipharmacæ , nec  
 „ alia quæcunque artis subsidia ( confitente ipso cla-  
 „ riss. Auctore ) unquam averruncare valeant Sileo  
 „ jam infaustum , ne dicam funestum hujusce fri-  
 „ gidi regiminis eventum , quem non tantum ejus  
 „ asseclæ , & fautores , sed etiam vir ipse doctissi-  
 „ mus NON SINE OPPROBRIQ SUO non nun-  
 „ quam expertus est , quam ob caussam in postremis  
 „ vitæ annis ( ut mihi narratum est ) disciplinæ hu-  
 „ jus rigorem ipse quadantenus relaxavit . Liceat igi-  
 „ tur mihi veritatis ergo , renitenti licet animo , a  
 „ magni Sydenhamii sententia de regimine in hoc  
 „ morbo discedere . Regimen igitur moderate cali-  
 „ dum ita ordinetur , ut calor quam proxime ad i-  
 „ psam spirituum temperiem accedat , & æqualem  
 „ tenorem servet . Quam primum igitur morbo isto  
 „ corripitur æger , lectum petat , ibidemque decum-  
 „ bat stragulis solitis ab aeris injuriis munitus ; haud  
 „ tamen nimiis opprimatur . A curis , timore , cete-  
 „ risque animi pathematibus , quantum fieri possit ,  
 „ immunem se servet , neque colloquiis quorumcun-  
 „ que interpelletur , verum somnum , aut saltem  
 „ quietem quoconque modo captet . Aer cubiculi  
 „ tempestate hiemali luculento foco accenso tempe-  
 „ retur , fervente autem æstate in leæo , ut in er-  
 „ gastulo æger minime incareretur . In reliquis re-  
 „ giminis partibus omnia manu adeo æquabili ordi-  
 „ nentur , ut spiritus in efferatos motus minime adi-  
 „ gantur , vel dissipentur , aut nimium coacti in he-  
 „ ste adoriendo deficiant ” . Hactenus MORTONUS ,  
 & quidem ratione experientiaque confisus . MOR-  
 TONI

TONI sententiam non modo MEADIUS, atque HUXHAMIUS, ambo anglī, ab omnique partium studio alieni amplexi deinde, tuitique sunt, verum etiam SYDENHAMII æqualis, idemque celebratissimus Londini Regius Medicus GEDEON HARVEJUS, acer ille errorum medicorum censor, castigatorque ante jam approbaverat, a quo peculiarem historiam, ut regiminis Sydenhamiani numenta patefiant, mutuabitur, infraque opportunius subnectemus.

### §. CCXXXVIII.

Cum vero quædam existant hujuscē stadii ve-  
luti propria symptomata, horum præcipuis quæ  
peculiaris medicatio præstanta sit, nunc singilla-  
tū explicabo. Dolori capitis assiduo, atque acu-  
to, si urgeat, nec quidquam aliis adinistratis  
auxiliis cesserit, levando plurimum valent balnea  
tepidā, aut moderate calida pedum, mane, &  
vesperi ad semihoram saltem iteranda; intervallis  
vero reliquis postea fermenti pani calens, & mol-  
lis, aut pulpa caricarum pinguium plantis pedum  
admixta. Hæc non nulli continuanda esse volunt  
(a) ad eruptionis usque initium tantummodo.  
Sed HAENIUS revellendi caussa, dolore ca-  
pitis etiam non urgente, artus superiores, infe-  
rioresque in calidam demitti quotidie saltem se-  
mihoræ spatio non modo in primo stadio, verum  
etiam toto reliquo morbo ad finem usque jube-  
bat, magna sibi inde emolumenta promittens  
præter illud, quod a mora extra lectum tali oc-  
casione ægri percipiunt. Absorpto enim per cu-  
sis venam, meatusque lymphaticos aqneō humo-  
re diluitur egregie, & temperatur universus san-  
guineus latex, a capite, & facie revellitur mor-  
bi vis, atque ab interioribus ad exteriora (b)

Dolori  
capitis  
levando  
balnea  
pedum.

catapla-  
mata ad  
plantas  
pedum.

Balnea  
artuum  
superio-  
rum &  
inferio-  
rum.

Emolu-  
mensa.

avocatur, ut copiosiores ut plurimum ad partes balneo laxatas & fotas variolæ exortæ \* declarare videntur.

(a) STORCK. l.c. p. 270.

(b) Rat. continuat. T. I. cap. V: §. VII. n. 5.

\* De balneorum hujusmodi tam particularium, quam universalium utilitate, usque in variolis nondum plane convenit inter medicorum primiores. Video in primis cl. LUDWIGIUM (*De Topic. medicam. usu in Variol. vid. advers. Med. Pract. Vol. I. P. 3-pag. 473.*) multis rationibus pugnare, ut demonstret, balnea, pediluvia; & fomentationes tam in variolarum apparatu, quam in ipsa eruptione imminente esse vel supervacua, vel etiam ad eruptionem adjuvandam inepta; atque experientia comperisse, minori variolarum numero eas partes corripi, quas balneum fovit, quam reliquas, & contra earum eruptionem aere sicco, & frigido felicius, saepiusque promoveri. Multo vero apertius balneorum, fomentationumque usum a clarissimo Neapolitano Medico reprobatum (*De sedib. variolarum*) jam pridem scimus, fidenter tradente, variolarum eruptionem humiditate impediri, siccitate adjuvari. Hisce autem balneorum, fomentationumque vituperatoribus longe major se se opponit numerus laudatorum. In primis in *expositione morborum*, qui frequentiores fuerunt Edimburgi anno 1773. (*Essay de medec. Vol. 3.*) lego compluribus ex balneo calido pedum semel aut bis in die adhibito usque ad absolutam variolarum eruptionem non modo caput mirifice levatum esse, verum etiam copiosiorem variolarum numerum ad crura, pedesque prolectum. Quod eo pluris faciendum, quo non opinione, sed experientia magis innititur. HAENIUS non modo memorat NICOLAUM FLORENTINUM, ASTATIUM Papensem, PETRUM FORESTUM, SYDENHAMIUM, BOERHAAVIUM, aliosque locupletissimos testes, qui balneis hujusmodi eruptionem variolarum promoverunt, verum etiam

etiam propriam experientiam adducit, qua pluries se didicisse ait, copiosiores ut plurimum variolas balneo ad brachia, & crura provocari; quamquam non diffiteatur, interdum id nequaquam contigisset. Nullus vero æquus rerum æstimator ex eo, quod balnea quandoque effectu caruerint, temere unquam concludet, uti supervacua, aut inepta, contra multo plura salubrium effectuum exempla, esse ableganda. Ad HAENII partes omnino nuper accessit Cl. AZZOGUIDIUS (*Lettera sopra il Vajuolo p. XXIV.*) qui præterea animadvertisit, universum quandoque corpus balneo immergi debere, eoque fieri, ut mirifice præsertim in pueris variolarum eruptio succedit. Addit demum, multis abhinc annis a BOUVARDO hanc methodum commendatam fuisse, eamque diu quasi oblivioni traditam, a SENACIO, aliisque tandem medicis in lucem e tenebris quodammodo revocatam jure esse. Verum jam apud RHASEN, AVICENNAM & DIOSCORIDEM vaporum, fotuumque humidorum in variolis curandis adhibitorum mentionem factam esse, ex FREINDII testimonio refert OCTAVIUS NERUCCIU, qui anno 1748. epistol. *de balneo tepido ad variolarum curationem vernacula lingua conscriptum evulgavit.* In hac tam suis, quam aliorum periclitationibus ostendit summam balnei universalis ad semihoram singulis diebus a principio ad finem morbi usque instituti utilitatem in curandis variolis, FISCHERI præsertim usus auctoritate, & consilio, qui anno 1721. in comitatu Argæ Oppidi in Hungaria superiore siti balnea istiusmodi vidit prosperrimo eventu universim adhibita, & deinde annis 1727. 1728. sua in regione eadem ipse met ad Variolas epidemicas non minus feliciter adhibuit. Ipse autem simul ac infantes, pueros, aut adolescentes febri correptos cernebat, eos mox in balneum aquæ simplicis moderate calidæ demittebat, idque bis in die, mane nimirum, & vesperi hora quarta pomeridiana iterabat, balnei usum quavis vice ab horam cum dimidia plerumque producens. Altero ut plurimum die, raro quarto erum-

pebant variolæ quasi uno impetu per totum corpus ; cito turgebant , ad debitam magnitudinem perductæ , & quinto , sexto , & rarissime post septimum diem disrumpabantur ; & tunc non ex aqua , sed ex sero laetis , aut ex lacte duabus tertiiis partibus aquæ diluto balneum administrabat , quo non secus , ac priore uti pergebat ad perfectam exsiccationem , quæ fere nono , aut duodecimo die contingebat . Rem confirmavit iteratis experimentis ex nostratis pariter MORANDUS MORANDIUS ( *Della cura del Vajuolo. Ancona 1753. p. 32. §. XIII.* ) in pessimi malignisque variolis epidemicis ann. 1737. & 1741. in quibus , cum quamcunque aliam curandi rationem inefficacem deprehendisset , balneo tepido a principio ad finem usque ad FISCHERI mentem usus felicissime est . Balnei quoque tepidi , aut moderate calidi utilitatem tam ad variolarum eruptionem adjuvandam , quam ad suppurationem leniter promovendam expertus est in Gallia cl. MARTEU , ut ex quinque historiis anno 1768. in *Diarii Medici T. 28. pag. 314. editis elucescit* . Immo ejus usum cum CLIFTONO ad febrem secundariam mitigandam commendare non dubitavit . His unum , ut multos alias prætermittam , celeberrimum TISSOTIUM adjiciam , qui in Variolarum curatione nedum pediluvia , vaporemque aquæ tepidæ toto corpore exceptum , verum balneum etiam universale ( *Epist. var. argum. p. 39. &c seqq.* ) tam revellendi a capite , quam extrorsum avocandi consilio approbavit . Quibus de cauissis satis evinci videtur , quotiescumque aut in caput humores vehementius feruntur , aut lente , & tarde ob vires vitæ languidas variolæ erumpunt , aut arida , & densa cutis eruptioni renititur , aut pustulæ ob frigus suscepimus , aut subitum terrorem , aut imminutam cordis , arteriarumque vim propellentem repente deprimuntur , & concidunt , pedum , manuum , immotius quoque corporis balnea tepida , aut certe non valde calida non modo opportuna fore , verum etiam necessaria .

## §. CCXXXIX.

Neque huic stadio aliena interdum est phrenitis (§. CCV.) quæ si cum plethora signis, calore ingenti, auctaque virium vitalium actione (§. CCXXXIV.) compuletur, sic ut a nimia sanguinis copia, ejusque concitatiore motu pendere videatur, præter phlebotomiam, temperantia, diuentia, antiphlogistica; exposcit etiam balnea pedum tepida modo (§. CCXXXVIII.) laudata. Si vero his furor non conquieverit, caputque ob nimium calorem quasi effervescere, atque aestuare pergit, capillorum sectionem non nulli propo-  
 nunt, quæ plurimum levaminis quandoque attulisse (*a*) narratur. Similibus quoque ex caussis *coma vigil*, aut *sommolentum* (§. CCV.) non nunquam exoritur: quod ubi incidit, eadem prope curatio opportuna est, sed tum post quodvis pedum balneum cataplasmata, quæ plantis ad revelendum, excitandumque admoventur, sinapis pulvere, aut acetato scillitico acui debent. Immo si prævideantur variolæ confluentes futuræ, non solum lecti calor diligentius vitandus est, verum etiam vesicatorium nuchæ apponentur (*b*). Capillerum sectione utilis.

(*a*) MORANDIUS *della cura del Vajuolo* p. 43.

(*b*) SYDENH. *Diss. Epist.* p. 421.

## §. CCXL.

De eclampsia, sive epilepticis insultibus, uti symptomate hujus stadii, eruptionem interdum precedente, supra (§. CLXIX.) loquuti sumus. Epilepti-  
cis insulti-  
bus quo-  
modo oc-  
curren-  
dum.

Ple-

Plerumque hoc symptomatis genus cito evanescit, subsequentे paullo post variolarum benignatū, & discretarum eruptione, sic ut vix ullo medicamento egeat, nisi diutius trahatur, aut ex alia caussa, quam a variolo contagio dependeat.

Attamen SYDENHAMIUS, quo scilicet nervorum

*Cardiacus.* systema ab irritante variolo principio liberetur, author est, ut (a) continuo æger lectulo trada-

*Paregoris- ca.* tur; quandoquidem variolæ, quæ subsequi solent, quia discretæ, & benignæ utplutium sunt, le-

cti calorem innoxie ferunt; & epispasticum nuc-  
chæ, sive occipiti applicetur, deturque ei intrin-  
secus aliquod cardiacum, paregoricumque reme-  
dium, quo non solum nervosa sensibilitas minua-  
tur, verum etiam variolarum imminens eruptio  
adjuvetur. Ipse autem trienni puerò guttas quin-  
que Laudani liquidi ex cochleari aquæ epidemiciæ,  
ut vocat, sive cardiacæ cujusdam dare soli-  
tus erat. Quæ dosis & imminui, & augeri non  
solum pro ætatis, & temperamenti, habitusque  
ratione potest, verum etiam prout saturatus,

*Cautio- circula- danum li- solo tempore sic condensatur, ut quælibet gutta  
quidum. glus opii contineat, quam dum liquidius, tenui-  
usque erat. Præter hæc plantis pedum epispastica*

*Epispa- stica. admovenda suadet MEADUS (b), quo certius a  
cerebro revellatur. Nonnunquam vidi plurimum  
profuisse calida, & humida fomenta cruribus cir-*

*Fomenta. cumvoluta, utpote quæ utramque peginam adim-  
Liquor a- pleverunt. Laudano subrogatur liquor anodynus*

*nodynus. mineralis HOFFMANNI, aut spiritus vitrioli ante-*

*antepile- pileticus PEZOLDTI, uterque tutissimus, & se-  
pticus. dandi facultate conspicuus. Quod si dentitio i-*

*Pezoldti. psa, uti caussa epilepticæ convulsionis in suspicio-  
nem veniat, tum spiritus cornu cervi, aut li-  
quor*

quor cornu cervi succinatus ad paucas guttas ex Dentitione aqua aliqua cephalica , aut syrupo aliquo gratiiori datus multis aliis præfertur .

*ni, si caus-  
sa epilep-  
sie, quid  
magis pro-  
fit?*

- (a) *Dissert. epist. p. 420,*
- (b) *De Variol. cap. 4.*

## §. CCXL I.

Quemadmodum igitur in epilepticis convulsionebus ( §. CCXL.) & maxima systematis nervosi ad spasmos proclivitate , absente tamen plethora , depressisque viribus vitalibus licet ad paregorica , atque opium habentia confugere ; sic etiam , ubi acutus aliquis dolor ægrum torqueat , & quasi conficiat , uti non raro in variolis confluentibus malignis ( §. CLXXXVII. ) usuvenit , necessario consequitur , ut ille opio sedetur , & natura penne obruta , & fatiscens cardiaca ejus facultate excitetur . Est quoque , ubi alvi fluxus , ad quem in primis pueri ( §. CLXX. & CLXXXVI. ) proclives primo in stadio esse solent , aliquam sui rationem requirit . *Is si a saburra primarum viarum est , & vere stercoreus , & foetidus , & facile toleratur , comprimi nullo modo debet , immo leniter sustineri , dato subinde tantillo vini , si opus fuerit , aut alio blando cardiaco , quo vires recreantur , fermenturque (a) . Sin vero ab acri variolo ab intestina præpostere delato fiat , viresque prosternat , ut in primo stadio confluentium malignarum ( §. CXCIII. ) saepe assolet , aut serofus , & colliquans magna copia humor prodeat cum virium jactura , cum opio sisti omnino (b) oportet , & quandoque etiam cantharidibus cuti impositis , ut extorsum malus humor*

*Paregori-  
ca etiam  
dolor acu-  
tus ali-  
quis ex-  
pedit.*

*Alvi flu-  
xus quo-  
modo con-  
sideran-  
dus.*

*Quiuam  
curandus  
& qua-  
ratione?*

*Opium non a vocetur . Hinc ( §. CCXL. & CCLXI. ) pa-  
prosus ex-  
cludi po-  
test in ap-  
paratu variolarum excludi posse , ut fortasse non  
paratu. nullis placuit.*

(a) VARNIER *Journal de Médecin. T. V. p. 152.  
Aout 1736.*

(b) *Id. ib. Dr TISSOT. epist. var. argum. p. 52.  
Dr MORTON. exercit. 3. de Febr. inflam. cap. VII.  
pag. 71.*

\* *Quamquam enim MEADIUS ( de Variol. cap. 3. )  
& MORTONUS ( Exercit. 3. cap. VII. p. 71. ) alii  
que ante plenam variolarum eruptionem opii , narcoticorumque usum reprobaverint , multis de caussis ,  
sed præcipue , quia materiæ variolosæ separationi ob-  
stare , deliriumque a febris impetu genitum augere ,  
aut spiritus consopire , eorum vires minuere , & co-  
ercere creditur : tamen utriusque post insultus epilepti-  
cos in hoc ipso stadio , in doloribus vehementioribus ,  
& magna ad spasmos & convulsiones quorumdam ,  
sensibilitate , atque irritabilitate nimia præditorum ,  
proclivitate , itemque in alvi fluxum immodico , & de-  
bilitante , pustularum eruptioni adverso , ut supra ( §.  
CCXL. & CCXLI. ) comprehensum est , a Laudano ,  
paregoricisque non penitus abhorrent ; cogunturque  
vel inviti Sydenhamianam doctrinam amplecti , qui  
Laudano suo vim tribuit non modo convulsiones se-  
dandi , evacuationesque nimias sistendi , verum etiam  
variolarum eruptionem ( *Dissert. Epist. p. 420.* ) ad-  
juvandi : Qua in re consentientes video cum STOR-  
CKIUM ( *Instruz. Pratic. P. I. p. 288.* ) qui somni-  
ferorum amicissimus sane est , tum cl. TISSOTIUM ,  
qui , et si ea plurimum vituperet sic , ut neque in fe-  
bre apparatus , neque post eam somniferum ullum  
dari ( *Epist. var. arg. p. 17.* ) velit ; ob vires tamen  
cardiacas , & diaphoreticas , ubi in hoc stadio iis opus  
sit , non audeat rejicere . His subscribere etiam vide-  
tur cel. GATTUS , qui sedantia , & paregorica in sta-  
dio variolarum febrili ante eruptionem ( *Novel. re-  
flex.* )*

flex.) quodammodo admittit. Ceterum, quoniam de ejusmodi remediis multa in utramque partem disputantur, aliis effuse laudantibus, vituperantibus aliis, idcirco non deerit deinceps occasio auctorum dissidia commemorandi, nostramque super his opinionem apriendi. Hoc loco tamen non prætermittam animadvertere, opio rarum in variolis locum relinqui, quod a viris celeberrimis quædam proprietates ei tribuuntur, propter quas noxiū in ejusmodi morbis censemur. Habetur enim 1. calidissimum sudoriferorum; 2. acerrium; 3. septicum, & gangrænas facile inducens; 4. rarefaciens, & quasque excretiones, sudore excepto, suppressiōnēs; 5. ptyalis̄mūm speciatim inhibens. & 6. somno inducto, qui noxiū in variolis s̄epe deprehenditur, calorem, febrem, capitisque affectus adaugens. Vid. Tiffot. Epist. var. arg. p. 8. ad 17. In quibus et si aliqua exaggerata videbuntur, in universum tamen veri habent plurimum.

## §. CCXLII.

In hoc ipso *apparatus*, sive *contagii* statu accedunt non raro hæmorrhagiæ, quæ tamen non semper formidandæ; nam a plethora, & concitatori febris motu genitæ salutiferæ plerumque deprehenduntur. At si malignior morbus est, hæmorrhagiæ ejusmodi, narium videlicet, intestinorum, atque uteri, sed præ ceteris hæmoptysis, atque hæmaturia, sive mictus cruentus (§.CCVII.) fere lethales esse solent; quæ, si a nimia sanguinis tenuitate, & solutione profluunt, uti plerumque fit, præter regimen frigidum cogentia, incrassantia, atque adstringentia requirunt. In his primum locum sibi vindicant acida quæcumque tam vegetabilia, quam e fossilibus educta, liberalius (a) haurienda. Deinde veniunt paregorica adstringentibus admixta, SYDENHAMIUS in hæmoptysi, Acido-  
rum lar-  
gior usus.

Paregori-  
ca ad-  
stringen-  
tibus nu-  
ptia.

*An san-* ptysi, & mictu cruento non timet sanguinem se-  
*guis mit-* mel e vena primum mittere aliquanto largius (*b*),  
*tendus?* quod in plethoricis tantum, & viribus satis va-  
 lentibus licere existimaverim; nam in mictu crue-  
 ento, qui serius morbo provecto supervenit, &  
 a soluto sanguine proficiscitur, venæ sectionem  
*Haustrus* nocuam alii experti sunt (*c*). Deinde haustum  
*ad spu-* commendat, qui habet aquæ florum papaveris er-  
*tum san-* guinis, & ratici uncias duas, Laudani liquidi guttas qua-  
*mictum* tuordecim, aceti stillati drachmas tres, Syrupi de  
*cruentum.* Meconio semunciam. Caveto tamen ne tota hæc  
*Adstrin-* gentia, & mucilagi- dosis detur, nisi adulto. Postea ad vere adstrin-  
*gentia, &* nosa. gentia descendit, uti ad terram lemniam, sigilla-  
 tam, bolum armenum, corallium rubrum, masti-  
 chem demum & gummi arabicum, tamquam glu-  
 tinantia. HOFFMANNO in magno pretio erat se-  
 rum lactis, in quo gummi cerasorum, aut tra-  
*Serum la-* gacantha solutum esset (*d*). In summo vitæ di-  
*ctis, va-* scrimine, & effreni sanguinis liquatione ad se-  
*rio modo* rum lactis quod vocant, aluminosum, atque ad  
*medica-* tum. *specificum HELVETII* fas erit confugere. Sunt qui  
*Specifi-* cum Hel- epispastica etiam ex cantharidibus proponunt: in-  
*ca.* Epispasti- vetii. ter quo Angli primas tenent, utpote qui ne in  
 diabete quidem a cantharidibus abstinent.

(a) TISSOT. *Epist. var. arg. p. 31.* *ib. 32.* SYDENH.  
*De febr. putrid. Variol. confluent. Superv. Oper. p.*  
*637.* *ib. schedul. monit.*

(b) *De febr. putrid. &c. ib.*

(c) SALISBURY *Epist. ad Rich. Mead.*

(d) *Capit. de febr. variol.*

## §. CCXLIII.

Sudores immodi ci , præmatûri adultos exer- *sudores*  
cent , magis in discreto tamen ( §. CLXIX. ) *nimii us*  
quam in confluenti ( §. CLXXXVI. ) *compe-*  
*scendi.*  
Hos , quia eruptioni , pustularumque elevationi  
impedimento sunt , compesci cito oportet mora  
extra lectum , aere subrigido , libero , puro , &  
levibus (a) tegumentis . De vigiliis vero , vomi-  
tibus , jactationibus , aliisque molestiis , quæ eru-  
ptionem necessario antecedunt , nisi ad summum  
gradum perveniant , atque ideo aliquo medica-  
mento anodyno , & sedante mitigari debeant , ni-  
hil peculiariter dicam , cum sine noxa ut plurimum  
tolerari soleant , & sponte post eruptionem ex to-  
to cessent , aut certe insigniter leniantur .

(a) HOM. Princ. med. de morb. febril. Sect. VII.

## E R U P T I O .

## §. CCXLIV.

Eruptionis tempore omne studium eo spectet , *Curatio*  
ut natura se penitus exuat variolosa materia . Si *in secun-*  
per se id præstet , sic ut eruptio rite procedat , *do stadio.*  
& regularis sit , ut in discretis ( §. CLXXI. &  
CLXXII. ) aut confluentibus non perniciosis *si eru-*  
( §. CLXXXVI. ) , & ea apparente , aut facta *ptio rite*  
febris , ejusque symptomata cessent , aut saltem *procedit ,*  
multum leventur , nihil immunandum plane est *nihil mo-*  
sive in regimine , sive in medicamentis , quæ di-  
lunt , & opportuna in primo stadio visa sunt ; *vendum .*

queque continuari etiam poterunt ad finem usque morbi, nisi quidpiam insolidum incidat, quod peculiarem medelam postulet.

## §. CCXLV.

*Eruptio quando adjuvan-* At natura, ut in malignis tam fentis (§. CCXI.), quam putridis (§. CCXIII.), saepe sic a venenada, & to miasmate opprimitur, prosterniturque, ut quibus auxiliis. ejus expulsioni molientæ pene impar existat: quo casu evidens est, eam blandis cardiacis erigi, atque excitari oportere (*a*). Præterea multis aliis

*Cardia- ca natu- ra langui- da suc- Quot mo- pto impe- diatur.* de caussis, quas supra jam (§. CCVI.) indicavi, eruptio variolarum retardatur, aut imperfæcta absolvitur. Harum autem major pars vires vita-currunt. Ies deprimit, motumque a centro ad circumfēdis Eru-rentiam minuit, vel resistentem cutis vim adau- get. Vires vitæ deficere commonstrat in primis

*Virium vita de- ficientium* pulsus debilis, parvus, mollis, & inæqualis. Multoque id luculentius appetet, si æger ipse signa.

langueat, simulque pallidus sit, anxius, & mente motus; aut si etiam hic illi aliqua pustula de-color se exserat, & cito evanescat, aut cutis in toto corpore flaccescat, & quodammodo frigescat (*b*).

*Cardiaca- bic ido- nea.* Inter cardiaca hic opportuna celebrantur præ ceteris diluta calida scordii, cardui benedicti, rutæ caprariæ, florum tiliæ, sambuci, quibus additum sit aliquid syrapi contrayervæ, aut chinæ chinæ, aut corticis citrei, aut liquoris anodynij mineralis, aut elixiri vitriolici, aut etiam acidi cuiusdam valentioris, si id ab imminenti sanguinis corruptione, ac liquatione exigatur. Quo casu etiam mirifice profest camphora, & yini tantillum.

- (a) HOM. Princ. med. Sect. VII.  
 (b) STORCK. P. 1. p. 28.

## §. CCXLVI.

Quod si sanguinis missio temere instituta , aut <sup>Quaado</sup> catharsis vires fregerit , aut nimis aliæ evacuationes etiam spontaneæ huic malo ( §. CCXLV. ) <sup>eruptio e- vacuatio-</sup> causam dedecint ; cardiacis analepticis , & in- <sup>nibus im- peditur , quid pre- stet ?</sup> staurantia adjicienda sunt ; curandumque paregoricis , ut immodecæ excretiones sistantur . Si vero frigus impròvide admissum ; aut tempestas præter modum gèlida ; aut diutius corporis situs erectus ; aut longior extræ lectum mora , quo minus variolæ libere erumperent ; fecerint ; tunc cubiculi calor prudenter auctus , quies , & mora in lecto , tegumenta paullo graviora , & potus moderate calidus remedio erunt : Hac ratione non semel cunctantem pustularum eruptionem promovi feliciter , aut pustulas sessiles , atque umbilicatas sic adjuvi , ut cito se attollerent , & perfecte turgerent . Hi sapenumero , ubi pallidusculta , & justo aquosiores videbantur , magnam operm tulit tonica , cardiaca , & antiseptica sua facultate cortex peruvianus paullatim datus . Huc spectant vapores aquæ calidæ cute excepti , somnations , balnea tepida , quæ egregiam plane operam præstant tum etiam , cum subitus terror , aut ira , aut aliud animi pathema , aut erratum aliquid sive ægri ; sive assidentium eruptionem inhibuerit , aut pustulas jam natas represserit , in primis si una aliquid ex opio , aut papavere intrinsecus præbeatur . Quotamen casu a calefacien-

<sup>Quid a- gendum , ubi fri- gus , s. t. us erectus , & mora extra le- ctum no- cuit ?</sup>

<sup>Mutari regiminis boni effe- ctus .</sup>

<sup>Corticis peruviani mira vis.</sup>

<sup>Vapores calidi , fomenta , balnea quando mæris conve- niant ?</sup>

eibus abstinere satius est , & in aere puro , & libero versari , corpore uestibus caute contecto ; & potu uti calido , aut tepefacto .

### §. CCXLVII.

*Quando* Statim vero , ac vires erigi videantur , *cardiacis* fus , & calor revivisceré , pustulæque non monfinis <sup>im-</sup> ponendus do satis erupere , sed attolli , repleri , & rubere ; non diutius urgenda cardiacorum , & calefacientis regiminis administratio , verum paulatim ad diluentia , & temperantia redeundum *Cardiaca* est . Accedit tamen non raro , ut cardiacis viinterdum <sup>irrita</sup> res , quæ deficiebant , nequaquam erigantur , & pustulæ , quæ erupere , humiles , ac depresso maneant , color earum ad fuscum inclinet , in *Qualia* earum foveolis punctum nigrum appareat , in cum symptomatæ terjecta cutis flaccida , & livida deprehendatur , immo maculis nigricantibus sparsim foedetur , urina subnigra ; fœtens , & tenui sanguine tincta excernatur , aliæque hæmorrhagiæ profusæ sanguinem dissolvi , corrupti , atque ad necrosim vergere ostendant : tunc profecto ad valentiora antiseptica , cardiacis admixta properandum esse , atque in iis insistendum assidue plerique arbitrantur . Si jam ab initio variolæ luridæ , inquit HUXHAMIUS (a) , lividæ , & depresso sunt , febrisque potius lenta est , generosa cardiana Antise- exhibenda , & epispastica applicanda , qualia sunt ptica tunc in usum crocus , pulvis contrayervæ compositus , moschus , vocanda , & theriaca Andromachi , immo vinum dulce , sed va- sentiora . quidquid contra reclamet SYDENHAMIUS . Acetum , & acidum vitriolicum potui ordinatio ,

rio , cui inserviet decoctum hordei , largiori manu adjici oportet , quo alkalescentia , acritasque colliquans emendetur , & debita sanguini iam pene dissoluto crasis donetur . Vinum etiam aqua dilutum , serum lactis vinosum , cortex peruvianus , sed liberaliter adhibitus \* , nec non camphora ipsa \*\* ceteris palnam præcipiunt , non modo cardiacæ , sed antisepticæ etiam virtutis præstantia . Interea , præsertim si variolæ confluentes sint , ægri , si unquam ; nunc Aer liber . certe aere libero , & puro egent , quo non modo graviora symptomata mitigantur , aut avertuntur , verum etiam eruptio ipsa allicitur , & adjuvatur , aere puro menstrui veluti attrahentis fungente . Tantique æstimatur a STORCKIO Ejus laudes . (b) aeris liberi , & aperti hisce in casibus vis , ut ægros , si in aerem liberum translati de frigore , & horroribus vagis quietantur , non audiendos esse sentiat ; qua in re tamen prudenter , & judicio , quo ipse præstat , opus esset , ne temeritatis notam medicus , æger vero pœnam incurrat . sed modus in coadhibendum est .

(a) De aere & morb. epidem. Tom. 2. pag. 122. ubi sequentia etiam habet : In variolis malignis ; in quibus pustulæ parvæ , atræ , aut cum foveola nigra , aut ichorosæ sunt , si ulla spes est , est in alexipharmacis subausteris cum acido plurimo , qualia sunt tinctura corticis peruviani , alexipharmacum cum multo elixirio Vitrioli , saepè vino addito his accidis , præsertim febre décedente cum potu copioso , acidulo , demulcente . Ibid.

\* Cl. TISSOTIUS (Epist. ver. argum. pag. 32. 33.) de cortice peruviano sic loquitur : Convenit tantum in malignis variolis ; ubi laxæ fibræ , solutus , putridusque sanguis , summa debilitas , & metus gangræ-

næ. Tunc ad drachmas tres , vel quatuor , vel quinque quotidie datus summopere prodest .

\*\* Camphora in malignis variolis utilis est , præsertim acidis admixta , uti aceto , in quo calido facile solvitur . Vires blande erigit , fibras exstimulat leniter ; putridum virus arcet , aut coercet ; atque ad cutim dicit . Id. l.c. p. 33.

(b) Instruz. med. P. I. p. 273. & 281.

### §. CCXLVIII.

*In vesicantia hic locum habeant?* In hac item tarda , & difficiili eruptione ( §. CCXLV. CCXLVI. ) variolarum , aut earum depressione ( §. CCXLVII. ) ex virium vitalium defectu , morbique maligniore natura , ubi nimirum cardiaca , atque antiseptica necessaria censentur , complures MORTONUM , MEADIUMQUE sequuti brachiis , & cruribus admoyenda etiam vesicantia non dubitant . At ubi cum virium lapsu jam signa putridæ tenuitatis & liquationis se sistunt , & magna ubique ad corruptionem , gangrenamque ( §. CCXLVII. ) propensiæ cernitur , non sine iatura deliberatione quidquam de vesicantibus ex cantharidibus decernendum est . *Mihi uti, ubi non.* hi vero , ut quod sentio dicam , tutum videtur iis uti in magna debilitate , solidarum partium atonia , febri exigua , calore niti , integra sanguinis crassi , absente plethora , & gangrenæ metu , multoque magis , si variolosa matières , quæ extrorsum pelli debuit , intus restitans in caput , fauces , pectus , abdominisque viscera impetum faciat , earumque pertium functiones lædat . Non tutum contra , immo noxiū , si contraria his offendantur .

\* Cl. TISSOTIUS generatim vesicantia in variolis  
damnat , 1. quia augent febrim inflammationem ,  
calorem , putredinem ; 2. quia cutim irritant , dum  
ejus phlogosis , tensio , dolorque demulceri debent ;  
3. quia urinas potius cohibeunt , quam incitent ; 4.  
quia dolores intendunt ; atque adeo inquietudines ;  
5. quia alvi excretionem suffflaminant . Quas ob res  
vesicantium usum etiam in soporosis affectibus , qui-  
bus discutiendis vulgo adhiberi solent , omnino re-  
probat , si ipsi à vi febris ac vasorum plenitudine  
gignantur . Hinc liquet , quanta opus prudentia sit ,  
quantoque examine , antequam vesicantia proponi pos-  
sint . Vid. Epist. var. argum. p. 26. Nec minori cau-  
tione se explicat MEADIUS ( De variol. p. 72. ) de  
vesicantibus loquens ; quando ea tum brachiis & cru-  
ribus imponi posse tradit , cum in variolis pessimæ  
notæ pulsus sit exiguus , languidus , sine ulla insigni  
manuum intumescentia , & torpē magis æger , quam  
calore utitur .

## §. CCXLIX.

At variolarum eruptio non a solis hisce caussis  
( §. CCXLV. CCXLVI. ) retardatur , aut deprimi-  
tur . Interdum vasorum plenitudo , motus sanguini-  
nis auctus , diathesisque phlogistica , quam pulsus  
magnus , validus , durusque , & quandoque respi-  
ratio difficilis indicat , impedimento est . Quo in  
casu non cardiaca , non excitantia , non calorifica  
medicamenta , sed sanguinis missio , refrigerantia ,  
diluentia , verbo antiphlogistica eruptionem pro-  
movent , ac ( a ) sustinent . Non nunquam prima  
rum viarum saburra eruptioni quoque obnittitur ,  
spasmis viedlicet inductis , cordisque motu infir-  
mato , aut inhibito . Tunc nemo non intelligit ,  
eruptionem sola cacoxyliæ evacuatione promo-  
vendam fore . Hinc vel emetica , quæ ab HUXHA-  
Eruptio  
ex contrariis  
quandoque causis retardatur , aut sub-  
sidet .  
Sanguinis missio , Cr  
antiphlo-  
gistica , quando eam pro-  
moveant ?  
Quando  
purgatis

Mio tamquam præstantissima ad variolosam materiam cutim versus propellendam prædicantur, vel lenia cathartica, præsertim in variolis confluentibus, in quibus commodissime pars exhuberantis variolosi fomitis alvi dectione \* educi potest, cauſam cunctantium, aut subsidentium variolarum evertunt.

(a) HOM. PRINC. MED. DE MORB. FEBRIL. SECT. VII.  
Item WINTRINGHAM (*Essays de Né d. d'Edimb.*  
*Tom. 2. pag. 524.*) qui hanc fortasse ob cauſam numquā vidit, quæ antiphlogistica sunt, & moderate alvum apertam servant, Juvenibus robustis, & plectoricis, id est sanguine denso, & compacto abundantibus nocuisse, sed profuisse semper in variolarum morbo.

\* Enimvero lenem purgationem a prima pustularum eruptione ad suppurationis usque tempus in variolis confluentibus utilem semper deprehendit, expertusque est SIMSNNUS. *Essay de Med. d' Edimb.*  
*Tom. 6. p. 144.*

## §. CCL.

Faucium Quod si fauces in hoc stadio, uti plerumque  
*inflammationi quid pro fit?* evenit (§. CLXXI.), doleant, tumeant, inflam-  
mentur, pustulis nempe ibi obortis, difficilem-  
que deglutitionem reddant, leniri assidue debent  
eclegmate mucilaginoso, potu tepido, mollienti,  
blando, crebro, & gargarismata ejusdem naturæ.  
Decocta radicis althææ, hordei, florum malvæ  
vel sola, vel lacti admixta utrique scopo satisfa-  
ciunt. Hi vero non proficienibus si malum in-  
crescat, anginæque instar inflammatoriaræ deglutitionem,  
aut spiritum jam jam intercipere videa-  
tur magno cum ægri cruciatu, & reliqua non re-  
pugnant, sanguinis missione tam magno discrimi-  
ni

ni succurrendum est \*. Post hanc etiam, si opus sit, a faucibus revellere licet leni eccoprotico ex cassia, aut manna, balneis pedum, & in graviori casu epispastico nucha applicato, aut cataplasmate moliente collo circum ducto.

\* Mirabitur fortasse lector, me neque hic, neque alibi de Variolarum curatione differentem quidquam de cucurbitulis, quas complures hoc in morbo adhibendas volunt, memorasse. Caussam si quæras, obvia plane est. Tutius educi sanguinem puto venæ incisione, quam sacrificeatione cutis, in morbis, in quibus sanguinis nimia tenuitas lethales hæmorrhagias procreare potest.

### §. CCL. I.

Ratio quoquæ habenda est ptyalismi, qui ab initio eruptionis, vel paullo post certe adultos variolis speciatim confluentibus laborantes (§. CLXXXVII.) adoritur, copiosusque esse solet, & debet, ut humoris variolosi pars magno ægri emolumento via hac excernatur. Cautio igitur adhibetur, ne per subitum frigus, aut frigidam potionem, aut alvi fluxum, aut narcotica, aut adstringentia medicamenta supprimatur. Actum enim fere esset de ægri vita. Nihil autem certius hunc salvæ fluxum promovet, & conservat, quam diluentia crebro, & tepide epota. Interdum salivalis iste liquor, qui assidue manat, tanta acrimonia præditus est, ut caustici instar erode, & ulcerare queat. Tunc non modo os, & fauces sape colluendæ sunt lacte dilutissimo, aut decocto hordei, aut radicis althææ, verum etiam cavere diligenter oportet, ne acerrimus ejusmodi humor voretur, descendatque in ven-

Ptyalis-  
mus que-  
ratione  
romo-  
vendus.

*Saliva  
non vor-  
anda est.*

triculum; si mala effugere velimus, quæ ex SAGARII observatione jam alibi (§. CLXXXVIII.) memoravimus.

### §. CCLII.

*sympto-* Neque desunt huic stadio quandoque hæmoro-  
*mata que-* rhagiæ, phrenitides, deliria, soporosi affectus,  
*dam huic* quoque convulsivi motus, anxietates, vigiliæ, aliaque  
*gravo-* gravissima symptomata, præsertim in confluenti-  
*stadio* bus malignis, in quibus variolosa materies non  
*commu-* penitus expulsa huc illuc vagatur, interioresque  
*nia.* partes adoritur, febremque cum suis symptomati-  
*Eorum pe-* bus intensius exasperat. Quæ curatio hæmorrhæ-  
*cularis* giis, phrenitidi, comati utrique, convulsivis-  
*curatio.* que affectionibus adhibenda sit, jam supra (§.  
*Vigilia* CCXXXIX. CCXL. CCXLII.) exposuimus. At  
*protractæ* vigiliæ plerumque protractæ, anxietates, corpo-  
*ansomni-* risque jactationes irrequietæ, si quando accesse-  
*feris op-* rint, quod variolarum confluentium, & maligna-  
*pugnan-* rum fere proprium est, sine aliqua medici opera  
*da?* vix præteriri possunt. Harum igitur caussa plerique  
*somnife-* ex SYDENHAMII sententia \* laigum, & cre-  
*rorum* brum hoc in stadio hypnoticorum usum incul-  
*laudes.* cant. Mox enim post primum stadium singulis  
noctibus dari jubent vel syrupum Diacodii; vel  
*emulsionem* cum Syrupo papaveris albi, sive de  
*rum* Meconio, vel laudanum liquidum, vel solidum,  
*laudes.* vel opium purum, vel pilulas de cynoglosso con-  
grua ætati cujusque dosi. Sic non modo per vigi-  
lio, inquietudini, ac delirio, verum etiam pu-  
stularum incremento, & repletioni prospicere se  
affirmant; tantaque id confidentia sibi pollicen-  
tur, ut si vespertina hypnotici exhibitione quie-  
tem, & somnum non assequantur, remedium  
ma-

mane repetant, & etiam interdiu, donec somnus inducatur. Id autem in juvenibus, adultisque præcipue licere monent, cum tenera ætas (a) ab hypnoticis facile lœdatur, nisi cautissime adhibeantur. At contrariam huic sententiam tumentur alii, cautoque opus esse volunt in hypnoticorum usu imperando, quod experientia didicerint, humores eo versus caput puberius pelli, cerebrum gravari, ptyalismum adeo necessarium supprimi, utilesque ventris excretiones saxe sisti. Immo addit SIMSONUS (b) ægrotantes die octava, & nona per continuatum vel Syrupi papaveris albi usum, quem Sydenhamiani commendant, interire delirio, angina, aut peripneumonia oppressus. Nocua quoque SACARIUS in Epidemia Iglaviensi (c) somnifera fuisse aperte experimentis edoctus profitetur \*\*.

Somniferorum  
damna.  
suo.

(a) MEAD. *de Variol. cap. 3.*

\* SYDENHAMIUS (*Dissert. epist.*) in variolarum confluentium curatione sic paregoricis confidit, ut non dubitet ea quasi specifica ostentare, non secus ac in febris intermittentibus corticem peruvianum.

(b) *Essays de Médec. d' Edimburg. T. VI. p. 144.*

(c) *L. c.*

\*\* Interdum in benignissimis Infantum variolis datum Syrupus Diacodii eo consilio, ut fletus gemitusque eorum ob pustularum molestiam sedarentur, quamquam innoxius reputaretur, fecit tamen, ut caput sanguine oppleretur, & oculi, ac palpebræ extumescerent. TISSOT. *l. c. p. xi.*

## §. CCLIII.

*Qui de  
hac sen-  
tientiarum  
discrepan-  
tia sen-  
tiendum.* In hac sententiarum discrepantia , si quid ju-  
dico , illud evidens est , non esse , nisi caute , &  
discrepan-necessitate urgente , ad somnifera procedendum .  
*Itaque si* vigiliæ ita pertinaciter teneant , ut  
mens aberret , viresque dejiciantur , si anxii , at-  
que inquieti vehementer evadant ægrotantes , si  
id aut ex pruritu ingenti , aut dolore pustularum  
contingat , si ataxia potius nervorum , & summa  
sensibilitas , quam phlogosis sanguinis , interiorum  
que partium in causa esse videatur , tum certe ,  
si diluentia , temperantia , demulcentia nihil pro-  
*Quando  
hypnoti-  
cis utili-  
cerat.* ficerint , licebit hasce turbas sedare mitiori alicui  
quo paregorico , idque prudenter , prout res po-  
stulabit , repetere ; cum in hujusmodi casu a  
blandis hypnoticis vel cautissimi medicorum om-  
nino non \* abhorreant . Verum animadverten-  
dum est , non nimis præcipiti consilio quasque  
vigilias somniferis medicamentis profligari oporten-  
te , cum sepe in variolis confluentibus sex , vel  
septem dies insomnes sine damno præterlabi so-  
*Cacci-  
casus.* leant , ut TISSOTIUS (a) admonet , salivæ fluxu in-  
teriori rite , utiliterque prosequente , qui alias per  
somnia magno cum detimento sisti posset . Ma-  
gni quoque intererit prænoscere , num ægri a me-  
dicamentis narcoticis lædi soleant . Nam sunt ali-  
qui , quorum idiosyncrasia tam adversa iis est , ut  
exagitentur potius , atque excalefiant præter mo-  
dum , quam consopiantur . Quare in his præstat  
ab ejusmodi medicamentis abstinere , ultro con-  
sentientibus eorum alias (b) propugnatoribus .

\* Apposite SIMSONUS ipse , apud quem omne genitum paregoricorum male audit ; in pervigilio tamen ingenti ; aut in pruritu intolerabili ; aut dolore permolesto pustularum concedit dare posse aliquid suripi papaveris albi , dummodo ab ejus abusu ; quem fecit SYDENHAMIUS , faciuntque ejus asseclæ , caryeatur . *Essays de Mèd. d' Edim. T. VI. p. 144.*

(a) *Epist. var. arg. p. 16.*

(b) STORCK. *I. c. p. 288.*

## S U P P U R A T I O .

### §. C C L I V .

Quibus auxiliis promoveri , sustinerique debeat variolarum eruptio , hactenus comprehensum est . Restat , ut qua ratione earum suppurationis procura- randa sit , quoniam gravissimis symptomatibus sa- pe sumnum vitæ periculum intentat , dicere non omissamus . In discreto , & benigno genere , ut priora stadia , sic tertium hoc sine magna mole- stia transfigitur . Dum tamen pustulæ inflammantur , & pus conficiunt , præsertim si copiosiores fuerint , cutis tenditur , dolet , febris redit , aut invalescit , sed cito absoluta suppuratione desinit . Eo tempore ægri inquieti sunt , somno sape ca- rent , pustularum dolorem , & quandoque etiam pruritum queruntur , & si quando somnum capiunt , cito evigilant , & obloquuntur , interdu- que mente etiam motentur . Plerumque solis di- fluentibus , subacidis , & temperantibus , tenuio- rique victu hæc omnia sedantur . Si tamen vigi- liae , jactationes , querelæ aliquanto molestiores videantur , certum solamen præbent paregorica prudenti manu sub vesperam data . Fereque suf- ficiunt

*Curatio  
variolar.  
in tertio  
Stadio.*

*Suppura-  
tio in di-  
screto ge-  
nere , &  
benigno  
vix ali-  
quid exi-  
git preter-  
diluen-  
tia , &  
subacida.*

ficiunt ea, quæ ex papavere albo multimodis pa-  
*Interdum* rantur. Raro valentioribus opus est. Non nun-  
*paregori-* quam tanta est suppurationis vis, ubi variolæ  
*co opus* est vesp- confertissimæ sunt, sanguisque bonus; & fibro-  
*pertino.*

*Si vero* sus aburidat, ut febris acutior exsurgat cum pul-  
*vehemen-* su vehementi, duro, magno, calore æstuque in-  
*tior sup-* genti, delirio perpetuo, & summa corporis in-  
*paratio* quietudine, aut diffcili respiratione, aut gravi  
*cum signis* faucium inflammatione, tunc præter medicamen-  
*inflam-* ta antiphlogistica, regimen frigidum, aeris libe-  
*matoriis* rioris admissionem, sanguis utiliter detrahi pot-  
*sanguis* est; nec quidquam inde nocumenti variolarum  
*mitti po-* suppurationi, & maturationi obvenit; si id so-  
*test.* lum sanguinis detrahatur, quod nimiam inflam-  
*mationem* refrenet, vasorumque plenitudinem  
*minuat*, non vires ultra modum prosternat. Non  
*rara* apud Clinicos hujuscce rei exempla occur-  
*runt*, longo usu, iteratisque periculis confirma-

*Etiam al-*ta. In magna alvi siccitate non erit quoque in-  
*vus leni-* utile eam leni antiphlogistico Eccoprotico laxare,  
*enda.* Dolorem, aut saltem enematibus aperire. Dolor, & tensio  
*& cuti.* cutis si alicubi acerbior, uti in facie, aut mani-  
*sensionem* fomenta- bus, percipiatur; foveri pars lacte tepido aquæ  
*to tollit,* admixto poterit, quo non modo ea mollitur, do-  
*adjuvat-* que sup- lorque placatur, verum suppuratione ipsa felicius  
*Puratio-* nem. absolvitur. Pruritui vero permolesto prodest loca-  
*nem.* leniter herba aliqua virenti, uti malva, mentha, ruta, vel simili percutere; sed simul curandum  
est, ut ægri manus sic contineantur, ne scaben-  
do cutim saucient.

\* Nemini ignotum sit oportet, sanguinem mitti posse quocunque morbi tempore, si signa inflammatoria vera, & non fallacia se ostendat. TISSOTIUS, quem alias in decernenda sanguinis missione cautissi-  
muni

num novimus, toties in variolarum progressu eam instituendam putat, quoties veræ inflammationis motus insurgit, idque etiam post plenam earum eruptionem. Epist. var. arg. p. 38. Præsentibus jam variolis tres maximos reges, nempe CAROLUM II. Hispaniæ; LUDOVICUM XIV. Galliæ, & CAROLUM II. Britanniæ eisdem prope temporibus venæ sectione servatos fuisse memorat FREINDIUS, Epist. de Purgant. in secund. variol. confluent. febr. adhibend. Hist. 2. Item HAENIUS non modo in quovis variolarum tempore, sed etiam variolis jam siccatis, & decidentibus ejus utilitatem expertus est. Rat. continuat. T. I. Cap. V. §. VII. n. 7.

## §. CCLV.

Sed nihil utilius est, pustulis jam maturitatem adeptis, & pure plenis, ad dolorem sedandum, puris resorptionem impediendam, cutisque foveas avertendas; quas puris acritas excavare solet, pustularum ipsarum incisione (*a*); quod non modo Arabibus in usu fuit, sed etiam subsequentibus temporibus repetita plerorumque medicorum experientia confirmatum \*. Pustulæ autem vel acu, vel forfice, cum pure turgent, aperiuntur, pus exprimitur, & pure espresso spongia lacte, & aqua tepida imbuta absterguntur. Idque repetitur, quoties iterum pure repleri videantur (*b*). Alii sic apertas vino, aqua, & melle abluant, & detergunt (*c*), quod maxime usum habebit, ubi magnus foetor, cutis livor, aut nigredo, & puris tenuitas de magna ad putredinem proclivitate fidem faciant. Quo casu etiam vino aliquid aromatici non nulli (*d*) adjiciunt. Detersis, uti opportunius visum est, pustulis, præsertim si cuticula per forficem resecta fuerit, ut quandoque

Vario-  
rum ma-  
turarum  
incisio.

ad pus omnes educendum opus est, s<sup>æ</sup>pe optimo eventu illini curavi oleum e vitellis ovariis leviter tostis recentissime expressum, quod dolorem ulceris mitigat, acrimoniam humoris demulcet, noxas aeris arcet, & cutis coalitum adjuvat. Incisio autem ejusmodi non solum convenit variolis pure bonae notae refertis, verum illis quoque, quae sanient, aut tenuem humorem continet, facileque concidunt, & subsidunt. Nam educto per incisionem varioloso humore, metastases pessimae præcaventur, & magna pars foemitis detrahitur, quo intro refluente febris secundaria augeretur.

(a) TISSOT. *Epiſt. var. arg.* p. 42. 43.

\* Duobus abhinc s<sup>æ</sup>culis, & quod excurrit, MARQUARDUS Vienn. Professor, deinde RAYMUNDUS Jo: FORTIS Professor Patavinus, & jamdudum Galli, Italique feliciter hac incisione nisi sunt, teste HAENIO. *Rat. contin. T. I. cap. V. §. VII. num. 6.* Ab HOLLANDIO, postquam desuevisset, revocatam, adhibitamque a SENACIO, TISSOTIO, HAENIO, SWIETENIO, HOMIO, aliisque commendat AZZOCUIDIUS, *Lett. citat. p. XLII.* His addendi sunt SIDOBRIUS, (*De variol.*) & WINTRINGHAM (*Comment. Nosolog.*) (Vid. *Essays de M<sup>e</sup>d. d' Edimburg. T. 2. p. 504.*), & non pauci alii; inter quos VERNIERIUS reticendus non est, qui (*Journal. de M<sup>e</sup>dec. T. V. p. 152. Aout 1756.*) eum viderit s<sup>æ</sup>pe variolis confluentibus in ægris obesioribus supervenire gangrænam, & putridam corruptionem, ideo non modo antisepтика valentiora tum adhibuit, verum postulas maturas aperiri, & totum corpus ablui vino aromatico suasit. Quod ad me attinet, multoties eisdem postulas maturas, & turgentes, itemque deprimi, & subsidere cœptas aperiendas curavi, nec unquam quidquam nocumenti, immo plurimum utilitatis inde manusse vidi. Non igitur audiendi videntur DIES MER-

MARBROECKIUS, aliique perpauci, qui variolarum incisionem rejiciunt: multoque minus LUDWIGIUS, qui etsi in *Advers. med. Pract. Vol. I. P. 3. p. 373.* eam reprobavit, alibi tamen (*Instit. med. Clinic. P. I. cap. 1. §. CCIV.*) saniori consilio malignas, & confluentes incidi, ut pus effluat, satius existimat.

(b) QUARIN. *Method. medend. febr. cap. VIII.*  
pag. 99.

(c) AZZOGUID. *I. c.*

(d) VARNIER. *I. c.*

### §. CCLVI.

Atque hæc quidem (§. CCLIV. CCLV.) in *In mali-  
suppuratione variolarum, quæ ex lege, atque in-  
gnis sup-  
stituto naturæ succedit, locum, & usum habent.* Sæpe nul-  
la, aut  
At ubi variolæ malignæ, atque anomalæ sunt, *imperfe-  
in primis confluentes, aut ad eas proprius acce-  
cta; ins-  
dentes, majus profecto negotium faceant. Nam torum  
sæpe aut nullo modo, aut ægre admodum suppu-  
malorum  
ratum eunt (§. CLXXX. CLXXXI. CLXXXII.  
origo.  
CLXXXIII. CCII.) ; aut sub ipsamet suppura-  
tione repente concidunt, & pure intro regresso  
vacuæ fiunt (§. CLXXXIII.) ; aut quæ jam lessi-  
les, & depressæ, ac marginibus lividae erant,  
hoc in stadio apicibus tantum albicant, humore  
propemodum inanes (§. CLXXXII. CXCIX.) ;  
aut depressæ, ut ante, omnino manent, nec  
unquam elevantur, fuscum vero colorem induunt  
(§. CLXXXIX.) ; aut pustulis flaccidis, humili-  
bus, & circulo rubro parentibus, cuteque cir-  
cumposita pallida, & laxa, facies universa plum-  
beo, alboque colore fœdatur (§. CXCIV. CXCV.  
CXCVI.), aut, suppuratione deficiente, pustulæ  
immaturæ in crustam quamdam primo sanguineam,  
deinde nigræ siccantur (*ibid.*) ; aut lividae, &*

Subcruentæ fiunt, sanguineisque facile effundentes  
citat gangrena nigrescant (§. CXCVII. CXCVIII.)  
Quæ ubi incidentur, gravissima sane symptomata,  
uti phrenitis, angina, suffocatio, peripneumonia,  
convulsiones, micturitio, hæmaturia, aliaque su-  
gestissima hujusmodi mala impendent\*, immo ci-  
tissima, & saepe inopinata mors.

\* Pleraque hæc symptomata aut omnino preca-  
veri, aut multo mitiora reddi mors extra lectum,  
leni deambulatione in aere libero, & puro, & diur-  
ni somni abstinentia contendunt Sydenhamiani. Ne-  
que quidquam, suppuratione præsenti, detrimenti  
timendum esse ab aeris liberioris usura, cum citius  
tam suppuratio, quam exsiccatio in aere aperto, &  
libero perficiatur. Neque demum ab ære libero,  
dummodo moderato, offici ne quidem illis, qui fe-  
bre suppurationis durante salivæ fluxum habent, dif-  
ficulterque deglutiunt; nam levari eos potius, ptya-  
lismumque continuari affirmant. *Vid. STORCH. l. c.*  
*pag. 272. 273. 274.* Et quod attinet ad moram pro-  
tractam extra lectum, tum præcipue eam necessariam  
existimat TISSOTIUS in gravi variolarum statu ip-  
flammatorio, aut vehementiore inflammatione. Ejus  
enim effecta dicuntur; 1. febris imminutio; 2. re-  
spiratio facilior; 3. capitis levamen; 4. refrigeratio  
lumborum; 5. avolatio putridorum effluviorum; 6. &  
émolumenta ex continua aeris renovatione, sive ægcr  
in ampio, & aperto conclavi sedeat, sive deambu-  
let leniter. *Epist. varii argum. pag. 39.* Concedunt  
tamen (STORCK. l.c. pag. 274.) vitandum esse subi-  
cum frigus, aeremque nimis ventosum, frigidum,  
vehementiusque spirantem. Et quamquam largiamur,  
pus in pustulis benignis, & maturis gemitum, non  
facile, quia crassum, & densum est, introrsum re-  
fluere aeris admissione, tamen hoc ipsum de ichore,  
seriosoque tenui humore, qui fere in variolis mali-  
gnis, & confluentibus, difficulterque suppurantibus,

col-

colligitur, æque dici haud potest. Levi enim ex causa eum resorberi, introque frigoris, aut aeris liberoris afflatu repellere, satis probabile videtur, GEDON HARVEUS, cuius supra mentio facta est, narrat historiam hominis cuiusdam variolis correpti, cui ante eruptionem ob catarrhum, & dolorem faucium venæ sectionem ipse suaserat. Hanc vero cum ille neglexisset, immo Pharmacopœi consilio usus multa sanorum instar exisset, deambulans in aere libero, et si variolæ confluentes existarent, & suppurratæ essent; ex hoc vitam cum morte commutavit. Vid. Art. curand. mora. expectation. pag. 159. Nec imunes ab hujusmodi infortunio omnino sunt variolæ discretæ, & benignæ. Nobilem puellam præsente variolarum benignissimarum suppuratione ex fenestra temere aperta sic affectam recordor; ut brevi post metastasi ad cerebrum facta in lethalem eclampsiam inexpectato incideret. Puerum etiam vidi, qui paucis, & discretis variolis laborans, cum toto morbi cursu vix ægrotare visus esset i atque idcirco lectulo assidue resedisset. parum, aut certe leviter tectus: pustulis demum maturius resiccatis cynanche laryngea corruptus est, quæ, nisi sanguinis missio celeriter succurrisset, eum fortasse strangulasset. Quare tempore suppurationis variolarum non temere, neque sine magna cautione, & prudentia ægri aeri liberori, aut frigori exponendi videntur, cumque aeris renovatio necessaria tamen sit, & cubiculi ventilatio, in hoc ea servanda sunt; quæ supra, cum de ea consulto ageretur, exequuti sumus.

### §. CCLVII.

In primis vero febris vehemens ad hæc (§. CCLVI.) accedit, aut quæ jam erat, gravius, intensiusque exscandescit, continua remittens, valde periculosa, secundaria vulgo dicta, quæ nisi cito enecet, diu certe trahitur, atque ultra suppurationis tempus procurrit (§ CCI.), a

*Felris  
tunc se-  
cundaria  
vehemens.*

brevi illa , & post suppurationem evanescente ; utpote solius , & simplicis suppurationis sobole ( §. CCLIV. ) maxime , ni fallor , differens ; quam ideo *putridam* appellavit (a) SYDENHAMIUS , ve-

*Quare* terum significatu vocem , ut mihi videtur , usur-  
*differat* *a simpli-* pans . Jure enim a suppatoria febri , quæ va-*ci febri* riolarum maturationem consequitur , distinguen-*suppura-* da ista videtur , quod variolis nequaquam suppu-*tionis.* rantibus , aut ægre , & imperfecte suppuratum euntibus concitatur . Quamobrem verisimiliimum profecto est , eam a variolosa materie in sanguine restitante , aut ab humorum omnium , sed præser-*Ejus* *caussa.* tim adipis per virus variolosum depravata , assi- milataque natura , aut a resorpto pustularum ichore , aut quod non infrequens est , ab inflammatione alicujus interiorum sedium , aut ab omnibus , aut plerisque hisce caussis simul junctis pro- ficiisci . Hinc quisque perspicet , omni studio tum

*Indica-* ( §. CCLVI. CCLVII. ) curandum esse , ut humor *tiones, &* variolosus ad cutim omnis feratur , & , quoad fieri potest , suppuratione in pus bonæ notæ co- quatur , aut si id fieri nequeat , aliqua alia via confessim emitatur . Quod plerique efficere ni- tuntur cardiacis lenibus , tonicis , antisepticis , itemque omnibus evacuationem , & revulsionum generibus ; de quibus pluries loquuti sumus , di- cemusque deinceps , prout res poposcerit .

### §. CCLVIII.

*Curatio* Sed in primis illud teneri debet , eisdem pro-*perficitur* pemedum auxiliis ad implendas , sustinendasque *alibi rro-* variolas , aut earum suppurationem promoverandam *posta jam* opus esse , quibus eruptionem ipsam adjuvari , aut pustularum depressionem emendari supra *sunt.* ( §.

(§. CCXLV. ad CCLIX.) docuimus, dummodo animadversiones, cautionesque, quas ibi tradidimus, adamussim: seiventur \*. Quare huc ea revocari oportet. Dici autem vix potest, quantum somniferis, atque opium habentibus medicamentis hoc in stadio cum SYDENHAMIO confidant doctissimi quidam viri. Si enim, quod saepe octavo, aut nono die in variolis maxime usuvenit, pustulae concidunt, & fuscæ, aut nigricantes fiant, cuti reliqua interim flaccescente, & livida cum pulsu languidissimo, extremis modo frigentibus, modo recalescentibus, faciei pallore, & rubore se mutuo excipientibus, motibusque demum quarundam partium spasticis obortis; tunc praeter alia jam indicata præsidia non dubitant in largiore, saepiusque iterato opii, aut aliorum narcoticorum uso spem omnem, ut alias innui, collocare.

\* Sed non omnes ibi cautiones attulimus. Hic unam maximi usus, & summopere notatu dignam ut adjiciam necesse est, quam mihi SYDENHAMIUS suppeditat. Is admonet, depressionem pustularum in confluentibus non semper tribuendam cauissis externis, aut frigori, cum nihil in ea sit, quod non a morbi natura, & more profluat; atque idcirco ex ea sola, ubi morbi morem servat, mali mihi impendet. Cavere igitur oportet, ne naturalis humilitas, & depressio accipiatur pro morbosa subsidentia, aut retropulsione. In distincto vero genere, cavendum quoque est, ne ante debitum diem eruptionem, atque argumentum variolarum expectemus, sed attendamus ad tempus, quo natura id præstare debet. SYDENH. Op. Sect. 2. cap. 2. p. 179. 180.

## §. CCLIX.

*sommifer-* Hinc eorum nonnulli auctores sunt, ut quin-  
*ra quo-* ta, vel sexta quavis hora dentur guttae octo vel  
*modo ad-* hibent, decem, adultis ut puto, Laudani liquidi Syder-  
*hamii*, vel, quando minus vel agere volunt,  
*singulis binis*, ternis, aut quaternis horis duo  
*cochlearia mixturæ* cujusdam paregoricæ, & car-  
*diacæ*, quæ habet aquæ florum tiliæ uncias se-  
*ptem*, syrapi Diacodii sesqui unciam, cui pro re-  
*nata ad compescendum sanguinis fervorem*, ejus-  
*que dissolutionem coercendam adjiciunt interdum*  
*tantum spiritus vitrioli*, quantum satis sit ad gra-  
*tum acorem*. Hac ipsa Mixtura audacter vinni-  
*tur etiam*, si suppurationis tempore ægri sint  
*anxii*, inquietique, aut aceibæ doleant, & san-  
*guinis insolito fervore exardeant*; dummodo eo-  
*ruri pulsus molles revera sint*, omnisque duri-  
*tiei*, aut tensionis expertes. Sic enim cito vires  
*erigi*, pustulas attollî, rubere, suppurare, sym-  
*ptomata prava mitescere*, atque imminens vitæ  
*discrimen fugari dicunt*. Illud tamen prudentissi-  
*me præcipiunt*, ut, quoties effectum, quem vo-  
*lunt*, obtinuerint, paregorica ista interdiu omit-  
*tantur*, & vesperi duntaxat, ut mox tranquilla  
*Allorum differ-* reddatur, locum (a) habeant. Verum alii cau-  
*tius in opii usu se gerunt*. *Tissotius*, qui so-  
*mnifera in duobus prioribus variolarum stadiis fe-*  
*re damnavit*, non ea pluris facit in tertio, in  
*quo suppuratio*, & secundaria febris ægros pre-  
*mit* (b). Animadvertisit enim, tunc præcipue le-  
*Tissotii animad-* thargum, coma., orthopœamque ex materiæ  
*verio.* variolosæ metastasi, humorumque congesione ur-  
*gere*,

gere, manifestumque esse, terrifica ejusmodi symptomata à narcoticis augeri debere, excretionesque omnes, tum maxime necessarias cum summo detimento sisti. Immo vehementer timendum esse, ut non ab earum usu anxietas, delirium, calor, & satis iam per molesta intendantur, aut phrenitis, peripneumonia, hepaticis, ischuria, intestinorum gangræna, aliaque lethalia mala inducantur. MEADUS ipse (*c*) mōrbo ad finem tēn-dente; si spiritus difficultas accedat, faucesque oppleat pītuita viscida suffocationem minitans, quod sēpe evenit ptyalismo cessante, opii usum omnino ut noxium rejicit. Non tamen ex hac sententiārum varietate velim quīs credat, liberum esse alterutram sequi, aut uni potius quam alteri adhærere, sine ulla deliberatione; cum rationi consonum omnino videatur, ut alibi iam indicatum est, opii usum modo falubertimum fore, modo noxium, prout nimirum vel incitandæ vitæ vires sunt, vel compescendā nimia sensibilitas, coercendaque nervorum ataxia. Utroque tamen casū temperamentum adhiberi oportet, ne in opio sive dando, sive rejiciendo modum excedamus, ad singulas sedulo, matureque respicientes.

*Meadii  
prudens  
cautio.*

*Opiata  
nec nimis  
profunda,  
nec nimis  
formidanda.*

(*a*) STORCK. *I. c. P. I. p. 287.*

(*b*) *L. c. p. 17.*

(*c*) *De variol. cap. 3.*

\* Quamquam opii usum in variolis TISSOTIUS sē-pe damnare videatur, non tamen ab eo ita alienum se declarat, ut nunquam ei locum superesse velit, jure, & merito limitandam ejus adhibitionem contendit, & satis opportune decernit, quando ad hypnoticis abstinere præstet, quando is uti tuto liceat. Quare non erit supervacuum, neque inutile cum

tanto viro casus percensere, in quibus somnifera in variolarum curatione adhiberi vetitum minime est; videlicet 1. quando debiles vires sunt, & cardiacis egent, & quando a centro ad peripheriam ducere oportet, uti in primo variolarum stadio, si pulsus sit debilis, atque inæqualis, æger frigeat, & in lymphymiam propendeat; 2. quando spasmi ex nimia mobilitate orti sedandi sunt, 3. ubi dolor pustularum intolerabilis est; 4. ubi eruptionis tempore humoræ confluunt ad intestina, alvusque liquidior minatur virium exsolutionem; 5. in diarrhœa colliquante cum animi defectionibus, extremorumque refrigeratione; 6. in alvi fluxu tempore exsiccationis superveniente, si is nimius sit, vires dejiciat, pustulas pallidas, & exsuccas reddat, syncopeim, aut delirium inferat, atque extrema frigefaciat; 7. in doloribus colicis sub finem morbi longum, & liberalem acidorum usum subsequentibus; 8. post catharticum in ultimo stadio datum. *Vid. TISSOT. l.c. p. 22. ad 26.*

### §. CC LX.

*natura depresso Variolas supplet ptyalismo, & diarrhœa.* At natura ipsa pustularum imperfectam matutinatem, aut depressionem in variolis confluentibus supplere tentat ptyalismo, aut alvi fluxu, illo in adultis, hoc in pueris, ut alias expositum est. Ergo enitendum omni cura est, ut istæ salivæ fluxus, quoad fieri potest, perseveret, quod in primis potu tepido, crebro, diluenti, melli-  
*Quomodo ultraque evacuatio sustinen- da.* to præstatur. Si vero salivalis humor viscidus, & tenax ita sit, ut egeri me e faucibus, & ora educatur cum suffocationis periculo, id quod circa diem undecimam non infrequens est; eum solvi, attenuarique oportet gargarinate ex aqua florum sambuci, aut decocto ficorum, aut radicis glycyrrhizæ addito pauxillo mellis rosati, aut oxymelitis simplicis, aut syrapi de moris. Quod

si gargarizare nequeat , aut nolit æger , aut id satis non sit ; eadem ope syringæ s̄æpe die , & nocte in os , faucesque injicienda (a) sunt , quidquid non nulli contra dicitent . SYDENHAMIUS (b) gargarisma è cerevisia tenui , vel aqua hordei cum melle rosarum compositum proponit , vel illud , quod sic habet :

R. Corticis ulmi drachmas sex , glycyrrhiza unciam semis , passularum enucleat . N. XX. rosar. rubrar. pug. duos . Coq. f. q. aq. ad lib. unum , & semis . Colat. dissolv. oxymel. simplic. & melis rosar. ana unc. duas . M. f. garg.

Ægro vero suffocatiōni proximo dandum etiam suadet emeticum , quo nihil interdum præstantius ; licet fateatur , id non semper saluti esse . At humor salivalis interdum acerrius est , ex quo os interius ulceratur , & quasi igne exar- det , doletque acerbe . Tunc gargarizandum ex aqua hordei lacti admixta , aut decocto radicis althææ , aut simili denivulcenti liquore ; cui ali- quid succi sedi majoris (c) , vel mali cotonei , u- tiliter adjici potest . Ulcusculis vero opportuna etiam sunt ea , de quibus , ubi aphthas explicui- mus (d) , mentio facta jam est . Quemadmodum autem ptyalismi continuatio summopere in adul- tis necessaria est , sic alvi fluxum , qui pueros corripit , sinere expedit , quamdiu vires eum fe- runt ; immo , si casu sistatur , enematibus blandis revocare , nec ulla ratione unquam in hocce sta- dio cohibere , nisi nimius , & colliquans sit . Ad summum si acer humor descendens intestina ar- rodat , & terminat citet , ut interdum , quando dysenteriæ epidemice regnant , accidit ; nam tum solum variolæ dysenteria comitantur ; ad demul- Diarrhaa quibus gubernan- teriam transse- cen-

Qua sa-  
livam a-  
crem cor-  
rigant .

Qua ul-  
cusculis  
oris re-  
medio  
fnt .

Quid si  
in dysen-  
teriam  
transe-  
cen-

cæntia licet confugere, atque ea; quæ dysenteria non aliena sunt.

- (a) SYDENHAM. op. omn. Sect. 2. cap. 2. p. 177.
- TISSOT. epist. cit. p. 42. STORCK. l.c. P. 1. p. 274.
- (b) L. c. ib. p. 177. 178.
- (c) STORCK. l. c.
- (d) Vol. I. §. CCXCVI.

## §. CCLXI.

*Crustæ* Inter hæc quibusdam os, faucesque ex pustularium iis variolosis ibi natis crusta dura, & crassâ obfovenda atque humectantur, ut respiratio, & deglutitio summodi laedantur. Tunc assidue os, faucesque fonda, ut vendæ sunt iis, quæ molliunt, ut aqua tepida decadant. lacte remixta, ut crusta decidat. Nares quoque eadem ex caussâ sæpe obstruuntur. Has autem reserat vapor aquæ calidæ natibus, aut ore attractus, aut aqua mellita per siphonem, aut syringam in nares injecta, a qua crustæ emollitæ separantur, & summum inde levamen percipitur.

*Facies* (a). Interdum etiam in variolis malignis, & con-nigrescens fluentibus, cum maturestere deberent, facies nigra evadit, aridaque crusta obtegitur, vere gangrenosa (§. CXCV.). Tunc incidenda crebris vulnusculis altius cutis est ad sanam usque carnem, & deinde fovenda decocto emolliente calido, cui spiritus vini cum camphora adjectus sit.

*Incisiones* Hinc pus multum, & foetidissimum ex incisionibus manare solet, emortuæque partes separari. feliciter exhibita. Absoluta gangrenæ digestione, cathartico alvus ducenda est. Exemplum felicis ejusmodi curationis habet MEADUS (b), nobisque aliud simile no-

notum est de GUATTANIO non ignobili chirurgo romano , qui cum puer pessimo , & gangrenoso variolarum genere laboraret, a Patre simili chirurgia servatus est , ex quo turpes in facie ei cicatrices tota vita remanserunt , conspicuae paternae audaciae , & mirae curationis testes . Nec alia ratione curandæ sunt aliarum partium gangrenæ , si alicubi forte enascantur .

(a) SYDENHAM. Op. Sect. 3. pag. 177. TISSOT.  
I. c. ib. STORCH. I. c. p. 275.

(b) L. c. p. 3.

## §. C.CLXII.

Persæpe hoc stadio nimium facies , manus , pedesque tument , tenduntur , dolent , & rubent . Auxilio sunt fatus ex aqua , & lacte tepidis , aut mollissima cataplasmata . His enim non modo dolor , & tensio mitescunt , verum pustularum etiam suppurationis facilius abfoliuntur (a) . Sed in primis ab febre secundariam , ejusque symptomata in hoc suppurationis stadio animum , curamque omnem communiter convertere consueverunt medicorum experientissimi . SYDENHAMIUS certe hanc valide oppugnandam esse duxit larga illico sanguinis missione , & catharsi , alternati adhibitis , sic tamen ut catharsi post sanguinis missiōnem tantum , & non ante decimam tertiam morbi diem uti auderet . Utraque evacuatione sanguinis inflammatoriam indolem , & purulentæ materiæ quantitatem minuere (b) sibi pollicebatur . Verum non sine aliquâ distinctione Sydenhamiano præcepto adhærere licet . Non enim semper , nec in quavis febri secundaria tutum est san-

Tumori;  
Tensiō-  
ni faciei,  
C. ma-  
num  
quænam  
prosist?

Febris se-  
cundarie  
peculiaris  
curatio.  
Sydenha-  
mii me-  
thodus.

Quando  
vene se-  
tio,quan-  
do cathar-  
sis locum  
habent.

sanguinem mittere, aut alvum medicamento du-  
cere; nec opus est semper, ut sanguinis missio  
cathartis, ubi hæc locum habet, præcedat; nec  
semper decimam tertiam diem exspectari oportet,  
ut purgatio instituat, cum ante hunc etiam ter-  
minum, & quandoque nona, vel decima die il-  
la necessaria esse possit (c). Sed de utroque eva-  
cuatiōnis genere quid sentiendum nobis videatur,  
& quando utraque, aut ulterutra admitti, aut  
omitti debeat, mox explicare instituo.

(a) STORCH. l. c.

(b) *De Febr. putrid. Variol. confluent. superven-*  
*nob. p. 628. q̄ p. 633. ad 636.*

(c) FREIND. *de Febrīb. comment. VII. q̄ MEAD.*  
*l. c. cap. 3.*

## §. CCLXIII.

*Vena se-  
tationem  
qua in-  
dicens.* Itaque ut a sanguinis missione ordiar, quæ-  
rendum sedulo est, utrum symptomata ejusmodi  
sint, quæ variolas inflammatorias (§. CCX.) de-  
signent; aut febris vehementius exardeat, cum  
pulsu valido, & duro, calore magno, ac siti in-  
genti; an corpus firmum, juvenile, exercitatum  
que sit; victui, & potui calefacienti deditum;  
aut regimine calidiori usum; aut inter initia ve-  
næ incisio neglecta fuerit; tunc utique sanguini-  
nem mitti oportebit, præsertim si symptomata  
gravia, uti phrenitis, coma, convulsio, fauciūm  
præfocatio, peripneumonia, sanguinis detractio-  
nem suadeant. Neque ab ea absterreat, si a re-  
liquis indicetur, pulsuum parvitas, aut debilitas,  
quia tum sæpe non a virium defectu, sed oppres-  
sione arteriæ subeunt, &, detracta sarcina, ple-  
rum-

rumque attolluntur, & validius emicant. Itemque notandum est, inflammatoria sanguinis diathesi prævalente, interiores sedes sæpe inflammatione tentari, atque hinc febrim secundariam pronasci, quin variolæ deprimentur; quod indicio est, non a depressione earum, neque a pure resorpto, cum variolæ extent, & pure bono turgeant, illam ortum trahere, sed a vilce in aliquorum inflammatione. Hoc etiam casu sumnum præsidium in cita, & larga sanguinis missione positum est. Contra ubi symptomata nervosæ febris, sive malignæ propria occurrunt (§. CCXI.), aut, quod deterius est, putridæ dissolutionis signa (§. CCXII.) appareant, uti in variolis confluentibus malignis, & quibusdam discretis, sed gangrænosis, & mali moris, in primis epidemicis, contingit, profecto a sanguinis missione, quam secundaria febris invaluerit, abstinere omnino convenit. In his enim noxiā esse, experimenta etiam SAGARII (a) confirmarunt.

*Interdum febris se- cundaria oritur ab aliqua interiori inflam- matione.*

*Tum va- riola ex- stant.*

*Sanguinis missionem que ve- tent.*

(a) *De Variol. Iglaviens. p. 44. 45.*

## §. CCLXIV.

Alterum erat, ut de catharticis in febre secundaria adhibendis dicerem. Plerique post SYDENHAMIUM, FREINDIUM, MEADIUM, HUXHAMIUM, aliosque his eam non solnū depelli, verum etiam præcaveri tradunt. Immo interdum nullam aliam medicinam profecisse (a) testantur, in primis addito opportune in quibusdam casibus

*Cathartics a pleris- que extol- litur non modo in confluen- tibus, sed etiam in discretis copiosis.*

calomelano , & interpositis paregoricis , TISSO-  
TIUS non modo in confluentibus variolis primo  
febris secundariæ impetu , verum etiam in di-  
scretis , sed copiosis , ingruente febri suppuratoria  
maninam præbendam esse ea dosi , ut alvus ter ,  
quater , aut quinques solvatur , præcipit ; quod  
nono , vel decimo die plerumque usui est , per-  
gendumque esse in alvo lenienda diebus etiam  
sequentibus . Adeo quippe huic medicinæ confi-  
dit . Nec profecto sine caussa ; nam notum est ,  
quanta sit inter cūtim , atquē intestina consensio ;  
& quam facile , juxta illud HIPPOCRATES ; *cutis*  
*iuxitas , alvi adstrictio , & e converso :* harum  
partium excretiones se mutuo excipient , & sup-  
plementant .

(a) HUXHAM. de æere , & morbis epidem. T. I.  
pag. 37.

### §. CCLXV.

*Limitan-* Attamen non promiscue , nec universum hæc  
*tur ejus* purgandi præceptio arripienda est , ac si nullis ob-  
*laudes* intra ju- ligata legibus esset ; nam certos & ipsa , uti san-  
*fios fines.* guinis missio , limites habet , quos ultra nequit  
recte consistere . Hoc igitur fere perpetuum est ,  
ut in febre secundaria , quæ nulla variolarum  
*Casus in* suppuratione facta , aut præmature pustulis , faciei  
*quibus* præsertim , arescentibus , ejusque tumore evane-  
*purgare* liceat . scente accedit , purgatio necessaria (a) communi-  
ter habeatur , multoque magis , si ex materia in-  
tus restitante febris ardens oriatur cum corporis  
jactatione , respiratione brevi , & crebra , urina  
tenui , vigiliisque continuis . Tunc enim post san-  
guinis missionem ; si recte ( §. CCLXIV. ) indi-  
ca-

cata fuerit, lenia purgantia ad intervalla repetita variolosam colluviem feliciter (b) detrahunt. Verum id etiam convenientissimum est, cum pustulae jam rite suppurarint, & pure turgeant, nec tamen aliquid putis e pustulis exstillet, nec per urinas feratur, neque in his sedimentum spectetur (c); vel demum si cito, aut repente variolæ subsederint, & pus intro refluxerit. Purgatione item opus est, si ptyalismo cessante, detumescenteque facie non succedat extremorum tumor, nec urinarum copia sedimentum habentium, nec alvi solutio spontanea; aut, quod deteriorius est, coma, aut delirium, aut utrumque supervenerit (d). Superveniente vero delirio, aut comate, aut angina, aut peripneumonia sic idonea purgatio est, ut ab ea nos deterrere non debeat metus, ne alvi ductione ptyalismus sustinetur, cum eo in casu praesentiorem, majoremque operi exspectandam ab alvo soluta putet TISTIUS (e), quam damnum a ptyalismi tum non sat levantis suppressione; maxime si venæ sectio, aut cucurbitulæ adhibitæ jam fuerint, & nihil juverint (f). Neque temper pulsum humilitas, Nec obstat aut depressio purgationem prohibet; cum saepe semper post eam elevantur, & vires (g) acquitunt. Compertum est experientia, utiliter etiam alvum solutam esse, ubi humor acertimus, quo variolæ arescentes scatebant, gangrenam cuti (h) induceret.

Quando  
purgan-  
dum e-  
tiam pra-  
sente pt-  
yalismo.

Nec obstat  
pulsum  
depressio,  
nec hu-  
morum  
acrimo-  
nia.

(a) MEAD. l. c. cap. 3.

(b) SALISBURY CADE epist. ad FREINDIUM scri-  
pta.

(c) FREIND. De Purg. in secund. Variol. const.  
febr. adhib. epist. ad RICHARD. MEAD.

(d) Idem l. c. hist. 3.

- (e) TISSOR. *Epist. var. arg.* p. 46.
- (f) FREIND. *I. c. histor. 2.*
- (g) FREIND. *De febrib. cap. VII.*
- (h) *Idem. de purgant. in secund. variol. conf. &c. hist. 3.*

### §. CCLXVI.

*Quando a catharsī contra abstinere omnino satius est, a catharsī abstinere quamdiu tumor faciei, atque pustularum inflammatio permanet, & saliva rite effluit, sine graviori alio symptomate (a).* Quod si facies detumescente incipiat, & ptyalismus minuatur, ut die nono, vel undecimo ab eruptione accidit in variolis confluentibus, & eodem tempore manus debito modo tumeant, & nulla deterioris notæ symptoma appareant, totum negotium naturæ committendum est (b), aut solis interim clysteribus alvum, si adstricta sit, lenire satis erit. Omitti quoque debent cathartica, si alvus sponte fluat, aut enematis ante adhibitis laxata sit, vel saltem differri ad aliquot dies possunt, ne vires penitus dejiciantur (c); multoque magis, si ita liquefacit alvus, ut hac via corpus exauriri timeatur, quod in putrida potissimum humorum omnium dissolutione adeo in malignis frequenti incidere consuevit.

(a) SALISBURY *epist. citat.*

(b) *Id. ib.*

(c) MEAD.

### §. CCLXVII.

## §. CCLXVII.

Non vero satis eo disquirere, sanguisne miti, aut alvus duci, aut utrumque fieri debeat in ejusmodi febre secundaria. Oportet etiam indagare sedulo, utrum alicubi sanies variolosa sub arefacta jam cuticula lateat? Quod facile tactu, aut disrupta epidermide cognoscitur; presso enim, aut incisione pus erumpit. Tunc igitur puri exitus citissime parandus est, cibisque idoneis corpus nutriendum, antisепticisque muniendum, ut morbum ferre possit, donec omnis materia purulenta exstillaverit, quam interdum ad diem vigesimum, ampliusque manare salvis ægri viribus vidit MEADIUS. Dum autem ex cute, discissa cuticula, purulentus humor effluit, ac via hac corpus repurgatur, ne quidquam temere quis molitur, nec sanguinis missione, aut catharsi salutarem ejusmodi evacuationem pervertat. Interea, quod semper in tertio variolarum stadio, nec non in sequenti semper faciendum est, universa cutis a pure, putridisque halitibus munda servetur frequenti indusiorum, ac linteraminum mutatione, conclaviumque prudenti ventilatione (*a*). Hic non omittam in memoriam revocare, interdum sub fine suppurationis, aut initium excisionis atrocissimos dolores osteocopos accedere, ut supra (§. CCIX.) ex SAGARIO retulimus, qui si horas duodecim, aut viginti quatuor excedant, certam necem afferunt. Hos leniri oportet sotibus anodynis ex lacte repenti, potu ex diluto florum tiliae, & papaveris rhoeados, item

*sanie  
sub cuti-  
cula la-  
tens edu-  
cenda.*

*Frequent  
indusio-  
rum mu-  
tatio.*

que syrupo diacodii in aqua florum sambucci; uti  
experientia compertum (*b*) est.

(*a*) TISSOT ep. cit. p. 40.

(*b*) SAGAR. *De variol.* Iglau. p. 19.

## §. CCLXVIII.

*Curatio specialis quarumdam Variolarum. Sydenhami curationis variolarum confluentium anomalarum.* Atque hæc omnia memoranda, animadverten- daque in ista periodo generatim erant. Nunc etiam de quibusdam peculiaribus variolarum gen- eribus, earumque curatione speciatim aliqua subnectere non alienum a proposito mihi vide- tur. Quas supra (§. CXCV.) descripsi ex SY- DENHAMIO (*a*), variolas confluentes anomalas, eas sic ipse curabat. In illis effrænis sanguinis

fervor, acritasque quasi exurens, atque omnia pene colliquans, & corrumptus deprehendebatur. Ergo hæc temperanda, continendaque quam ef- ficacissime fuit. Itaque præter hypnotica in reli- quis confluentibus alias adhiberi solita, & com- mendata, ntebatur regimine temperato, potuque liberaliore ex iis, quæ non calefaciunt, sed aestum, fervore inque ferocissimum illico mitigant.

*Decoctum album.* Ad id commendabat decoctum album, ex pane videlicet, & cornu cervi calcinati exigua quan-

titate in multa aqua factum, & saccharo leviter edulcatum. Adhibuit etiam eundem in finem hydrogalem e tribus aquæ partibus, & lactis una simul coctis, quæ agri palato, & votis, ma-

*Largior potus.* gis refrigerando, ut plurimum respondit. Nec copia potus tantummodo juvit insignem calorem sub maturationis tempore cum febre exaltatum extinguendum, verum ptyalismum etiam promoven- do,

do, & protrahendo diutius, quam exstiente ægro non contigisset. Profuit etiam immodico mensum fluxni supervenienti, dummodo ab hujusmodi sanguinis profusione pustularum depresso non timeretur, neque ideo calida remedia, quæ magis sanguinem colliquant, temere, & præpostere in usum vocarentur.

(a) Oper. sect. 3. cap. 6. p. 231.

### §. CCLXIX.

In ferali vero illa epidemicā variolarum mali-  
gnarum, & confluentium constitutione, quæ octa-  
vo, vel nono die subsidentes exitium afferebant,  
& patridi generis vere erant (§. CXCVIII.)  
cum videret Cl. HALLERUS (b) hoc symptoma fu-  
nestum universim esse, cœpit cogitare, qua ratio-  
ne tantum malum averti posset. Acida, & refri-  
gerantia ob facilem pustularum, quam dixi, de-  
pressionem, ei videbantur ancipitis eventus. Ab  
emulsionibus, clysteribus, catharticis, quibus alii  
medici magna confidentia utebantur, natas vidit  
cito paralyses, aphonia, hydrops, aut etiam præ-  
cipitem ex retropulsis variolis mortem; nec mi-  
nus exitialei calidorum medicamentorum usum  
expertus est. Aderat, ut ipse scribit, summa  
humorum alcalescentia, hinc fætor horridus tum  
pustularum, tum animæ ægrotorum. Aderunt hu-  
morum funesta stasis, quam arguebant maculæ,  
quæ exigui sphaceli sunt, tum dolores lumborum,  
urinæ paucæ, viridesque. Medicamento igitur o-  
pus erat, quod solveret, impacta, neque vasa dis-  
fringeret, quod motum versus peripheriam susti-  
neret, febrem tamen non augeret, & pustulas

Halleri  
curatio  
conflu-  
tium ma-  
lignarum.

retrocessuras foras elevaret, non alkalescentiam incitaret. Id visum ei est Camphoras. Itaque quovis occurrerant symptomata variolas mali moris præsagientia, delirium primum diei, febris valida, pectorius lumborum, pectorisve dolor, respiratio difficultis, corpus succulentum, atas adulterior, plethora, protinus dedit decoctum diluens copiose, & ad aliquot quotidie libras hauriendum, ex aperientibus sparsa, radice graminis, adiantho, hellide, ficubus. A sanguinis vero missione, et si primo intuitu alicui posset videri opportuna, ipse tamen abstinuit, quia fortasse summa putredinem proclivitas, quam in morbo agnoverat, ab *Emetici* ejusmodi præsidio ut nocuo evin deterruit. At *taudes*. vomitum fere perpetuum symptom promovit emeticum, ut octies ad minimum larga emesis sequetur. Si enim vomitum quis compressisset, funestiore eventum comparerat. Quamquam vero a sanguinis missione sedulo caveret, non tamen haemorrhagias timendas cognoverat: cum usus docuisse, eas quodammodo expetendas fuisse. Si quidem vidi in puer speciatim septenni copiosam ex ano sanguinis jacturam ante variolarum eruptionem, subsequente benignissimo morbo.

(a) *Opusc. pathol. observ. XLIV. Hist. constit, variol. anni 1737. p. 113.*

### §. CCLXX.

*Calidis regiminis effecta.* Cum vero calidis remediis variolæ domestico-rum, & familiarium consilio, aut agrorum culpa urgerentur, hæcum post ingentem anxietatem

tem præmaturo impetu erumpabant nigerrimæ ; si vero sponte die tertia prodiissent , & symptoma ipsa inde mitescerent , tamen die sexta pustulæ subsidebant , & puncto nigro notabantur , uti confluentibus malignioribus solemne est . Quando igitur alterutrum ex hisce infortuniis ægrum corripuit , mox ipse præbuit camphoram in emulsione aliqua solutam , ita ut intra duodecim horas grana viginti absumerentur . Incipiebat autem ejus usum a media nocte , febre nimicu[m] inclinare cœpta , protrahebatque ad meridiem usque sequentis diei , in sex partes totam dosim tribuens , ut una singulis binis horis sumeretur . Hora vero tertia , aut quarta , ad sumnum quinta pomeridiana dedit syrumpum papaveris albi cum nitro , & tantillo succi crudi ex malo citreo expressi . Adulto graviter laboranti dosis syrapi erat sesqui uncia , succi citrei drachmæ sex . Sic delirium sedebatur . Hanc medendi rationem persequebatur ad pustularum usque exsiccationem . Simul ac vero ptyalismum imminui in adultis , & fauces arescere , angique deprehendebat , quod a die nona ad decimam , aut undecimam eveniebat accidente simul pustularum exsiccatione , mox toto intervallo anginam funestam arcere , & ptyalismum prolicere nitebatur frequenti injectione per siphonem in fauces mellis ex rosa , & nitri , quamquam ab HOFFMANNO , sed injuria , ~~probata~~ <sup>Injectio[n]es in</sup> fauces . Interea diluentia affatim potui dabat cum acidis , & demulcentibus . Camphoræ autem quantitatem sensim minuebat , sic ut post diem nonam prorsus omitteret ejus usum , cum nihil tum , quod expelleretur , superesset , & febris secundaria immineret . Si pustulæ nigræ circa octavum

*Alvus diem evanescebant, & paullatim per rubedinem lubrica.* in pallorem languere incipiebant. Hoc ipso tempore stadio enemate cum nitro alvum laxabat, cum experientia didicisset, alvo lubrica febri secundariam diei undecimæ, & duodecimæ mitem reddi, dum hæc alioquin funesta cum novo delirio, anxietate, angina, pulsu molli, inæquali, celeri, fætore totius corporis summo evadebat.

*Cathartii.* Quod si febris gravior accederet, hanc compescetum. bat q̄ato cathartico, quod tamarindos reciperet, nec id omittebat vel in summa virium debilitate, quin immo repetebat die duodecima, & decima etiam tertia, si opus erat. His fere jugulabat, ut ipse ait, dirum morbum, ut & papaveraceis, & succo mali citrei, & omni alio medicamento commode æger careret. Religiose autem ab omni carneo, jurulæntoque victu abstinebat per omnia stadia, concessis tantummodo olesibus, fructibusque, imperatoque potu semper eodem, sed largiore, & crebro.

*Dr. acidi Vitriolici usu in tertio stadio.* Mirum profecto videbitur, SYDENHAMIUM, qui primus omnium acidum vitriolicum adhibuit (a) in variolis malignis, & gangrænosi in potu ad gratam aciditatem toto primo, & secundo stadio, suppurationis vero tempore, & in ipsa febre secundaria aut reprobasse; aut, ut supra (§. CCXVIII.) vidimus, prætermisso, HALLERUMQUE in putridissimo variolarum gente modo memorato uti suspectum, aut nouum

xium (§. CCLIX.) habuisse, immo in hoc eodem tertio stadio, cuius curationem exsequimur, ab acidis etiam vegetabilibus prope abstinuisse; cum tamen nihil ad cohibendam sanguinis dissolutionem, avertendamque putredinem præstans, valentiusque habeat Medicinæ ars universa. Acidi autem vitriolici vis singularis eminet in sanguinis mixtu, quem in hoc in primis studio soluta, & diffluens sanguinis compages excitat; nam hoc lethalissimum symptoma si cui quam remedio obtemperat, largiori certe acidorum validiorum in potu usui cessurum, spes unica est. Sed hoc in casu non prætermittenda quoque sunt ea omnia, quæ ejusmodi hæmorrhagias coercere alibi (§. CCXLII.) docuimus, uti serum lactis, quod vocant *aluminosum* \*, & alumen ipsum, & specificum HELVETII \*\*, ubi nimurum cetera irrita fuerint, nec ulla in pulmonibus, aut aliis visceribus congestio adstringentium adhibitionem vetet. Metus vero, ne salivæ fluxus acidis ejusmodi supprimatur, aut vitales vires dejiciantur, prope inanis \*\*\* est, si expertis fidem habemus, atque haud negligamus in posteriore casu acida cum cardiacis, leviterque aromaticis opportune conjungere, qualia sunt radix serpentariæ virginianæ, contrayervæ, camphora, & præ ceteris cortex peruvianus, qui etiam antisepticæ facultatis nomine vix sine piaculo in variolis putridis, gangrenosis, aut qualunque alia ratione ad corruptionem ducentibus prætermitti potest.

(a) Oper. sect. V. cap. IV.

\* Serum aluminosum Phar. Lond.

R. Lactis vaccini lib. j.

*Alumin. erud. in pulver. redacti  
drachm. ij.*

*Coque, ut fiat serum lactis  
probe a coagulo separandum.*

*\*\* Specificum Helvetii.*

*R. Alumin. crud. pulv. unc. ij.  
sang: dracon. in lacrym. unc. ss.*

*Liquetur alumen ad ignem in vase argenteo,  
aut fictili vitreato; fuso insperge sanguin. drac. iii  
pollin. tenuis. redact. Frigesfacta massa servetur in  
vase clauso ad usum. Dosis a drachma semis ad  
unam.*

*\*\*\* De Acidorum usu in curatione Variolarum ita  
apposite, sapienterque differuit Cl. TISSOTIUS, ut e  
re fore existimem ea in summam redacta hic tironi  
bus exhibere. Acida vegetabilia ab Arabibus primum,  
deinde a posteris in hanc usq[ue] diem ad variolas cu  
randas adhibita, & commendata fuere. Acidum ve  
to vitriolicum nemo ante SYDENHAMIUM potionis ad  
gratum acorem commiscuit in variolis malignis, &  
gangrenosis, sed incipiente suppurationis stadio, &  
in febre secundaria, ut noxium, ab eodem videtur  
reprobatum. Sed perperam TISSOTIO judice; nam  
acida putredini resistunt; calorem, febrim, anxieta  
tem, & pruritum minuunt; diarrhoeam colliquantem  
præcavent, nec tamen alvi libertati obstant; angina  
nam, delirium, & phrenitidem avertunt; maligni  
tatem inhibit; impediuntque ne variolæ benignæ  
in malignas degenerent; ptyalismum non suppri  
munt, urinas cient, in primis acida nitrofa potui  
largius admixta, purisque metastasis emendant. Spe  
ciatim laudantur in mictu sanguineo, & variolis ni  
gris, itemque in alcalescentia humorum, & calida  
eorum dissolutione: Epist. var. arg. a pag. 28. ad 36.  
usque. Acidi mineralis dosis vulgator, inquit QUAR  
INUS (Methca. med. febr. cap. VIII. p. 96.) est  
drachma una in die: interdum vero opus est eam  
augere ad unciam semis. aut etiam ad sex drachmas  
Infantibus, si in potu spiritum vitrioli respuant, da  
ri eum posse syrupo alicui admixtum, ut cochleatum*

sumatur, idem subjicit. At TISSOTIUS se liberaliter adhuc manu eum dedisse narrat. Interdum enim intra quatuor horarum spatium dedit tres drachmas spiritus vitrioli, aut sulphuris copioso potu dilutas, ut febrim vehementiorem, delirium, & anxietates compesceret. Alia vice in quadam muliere variolis laborante consumpsit spiritus sulphuris binas integras uncias quadraginta horarum intervallo. Concedit tamen ex longo, & largo acidorum ejusmodi usu interdum sub finem morbi oriri colicos dolores, quos opio sedari oporteat (l.c.p. 23. ad 25.). Quamquam vero acidorum amicissimus sit, ea tamen reprobatur in vapida sanguinis diathesi, & solidarum partium laxitate, nisi acidis subjungantur cardiaca, uti camphora, cortex peruvianus, radix serpentariae virginianae, mixtura simplex, aut sulphur auratum antimonii camphorae nuptum. At FARRIUS (*De acid. virib. p. 101.*) non nihil a TISSOTIO dissentit, cum admonet, non danda quidem acida, ubi circulatio sanguinis languet, sed neque ubi solidae partes nimis rigent, & fluidae nimis coactae; & densae sunt. Si quid tamen iudico, non omnia acida hic comprehendendi debent; nam vegetabilia, in primis diluta, attenuant, & solvunt; uti pariter nitrosa; nec a vero alienum est, acida etiam vitriolica, dampnabilitatem minuant, & fortasse terreum elementum, glutenque connectens extenuant, abripiuntque, laxitatem fibris conciliare posse; nec proinde ableganda, ubi solidae partes rigescere videantur.

## §. CCLXXII.

Aliquid quoque dicendum est de peculiari variolarum, quas *sanguineas* supra (§. CXCVII.) nominavimus, curatione. Quoniam autem haec nequaquam suppurant, sed lividae, & subcruente evadunt, maculis nigris, vibicibus, & peticulis ubique comitatae, atque in iis colliquescit *sanguis*,

*Curatio  
Variolarum san-  
guiniferum.*

guis , & undique diffuit , & hæmorrhagiarum varia genera efficit ; perspicuum sane est , ad putridissimum genus eas spectare , egereque quam validissimis antisепticis , incrassantibus , cogenti-

*Vitriola.* bus , stypticis . In his præferri speciatim debent  
ta , & a- cortex peruvianus , vitriolata , atque aluminosa .  
*luminose.*

*Cortex peruvia-* Hinc utilissimum est corticis peruviani drach-  
*nus.* inam , vel scrupula quatuor quarta , vel sexta  
quavis hora dare , mediis vero intervallis alum-  
nis eam dosim , quæ idonea videbitur ætati , &  
ægri constitutioni ; aut serum lactis aluminosum ,

*Serum a- aut specificum HELVETII ad scrupulum unum ex*  
*lumino- conserva rosarum , quod est efficacissimum . Pro-*  
*sum . Specificum* deest etiam quam maxime *tinctura resarum vi-*  
*helaetii .*

*triolata* , cuius cochlearia quinque , vel sex sub-  
inde sumpta pro adultis sufficient ; nec sua lau-  
de caret vinum rubrum gallicum , aut quodcum-  
que aliud subacidum , atque austерum , cuius e-  
tiam mira ad vires erigendas facultas celebratur .

*Acidum vitrioli- meracum.* Acida vero quæcunque si unquam , hic certe  
præcipuam opem præstant . Spiritus igitur vitrioli , etiam meracissimus ceteris palmam præripere  
dicitur , præsertim potui instillatus , tum maxi-  
me , cum maculæ nigræ , aut lividæ variolis in-

*Campho- rra .* terspersæ (a) sint . Neque hic reticenda est cam-  
phoræ vis antisепtica , in primis si acidis vegeta-  
bilibus admixta in usum veniat . Quod si deli-  
rium , aut sopor hoc in genere accesserit , ves-  
cantia etiam tuto admoveri affirmat MEADIUS

*De vesi- cantibus animad- verio .* (b) , quod quidem mirum videbitur iis , qui in  
ea sanguinis dissolutione , atque ad putrescen-  
dum proclivitate suspectam cantharidum vim ha-  
bere non sine causa solent . Sed interdum re-  
vellendi necessitas tanta est , ut in hac una con-  
quiescere oporteat ; quamquam tutiora tunc ha-  
ben-

benda sint epispastica ; & ex sinapi parata cata-  
plasmata .

- (a) MEAD. *de Variol.* cap. 3.  
(b) *Id. ib.*

### §. CCLXXXIII.

In *crystallinis* quoque, & *filiquisis* (*§. CLXXXIII. Curatio & CXCI.* ), quæ processu flaccidæ , inanesque <sup>*crystallinum.*</sup> fiunt ; inopina sœpe morte subsequentे , nisi eva-  
cuatio aliqua succurrat ; aquosus humor , quem primo continent , in pus nequam convertitur . Is ergo partim exspiratione diffundandus est , partim ad urinæ vias derivandus . Quod præstatur blandis <sup>*Diaphoretica.*</sup> diaphoreticis , cardiacis , ac diureticis medicamen-  
tis . Hinc pulveres bezoartici , e chelis cancro-<sup>*Cardiaca.*</sup> rum compositus , radix contrayervæ , spiritus Min-<sup>*Diureti- ca.*</sup> dereri , confectione alkermes , & in primis cortex peruviana primæ , & secundæ indicationi satisfa-  
ciunt ; terciæ vero potissimum nitrum a scrupulo ad drachinam semis ter , quaterve in die datum , reliquisque remediis , quæ dixi , interpositum . Quibusdam (*a*) placet nitrum in vino dilutiori solvere , quod sub finem ad vires reficiendas aliquanto meracius adhibent . Nitri quoque spiritus , qui dicitur dulcis , liquor terræ foliatæ tartari , syrups althææ , aliaque ejusmodi incident egregie , attenuant , atque ad urinæ vias ducunt . Præterea die a prima eruptione quinto , vel sexto imponenda jubent tum imæ colli vertebræ , tum brachiis , & tibiis vesicantia , ut morbi fo-  
mes , quo febris intendi potest , aut interior se-  
des occupari , extrorsum ducatur , excernaturque . <sup>*Vesican- tia.*</sup> Quod si tamen variolosus humor Oberret , nec  
ulla

*Cathartis* ulla naturali , aut artificiosa via extra feratur ,  
*Curatio verruco-* ad cathartica hic quoque confugere necessarium  
*sarum.* fere est . Nec dispar curationis ratio a variolis  
*verrucosis* ( §. CLXXXIII. ) exigitur . Digeren-  
 da enim est crassa earum materies , & paullatim  
 evacuanda . Hinc alexipharmacis , cardiacis , sudoriferis , diureticis , atque epispasticis ut pluriū ad id opus est ; & , ni hæc satis sint , demum alvum ducentibus . Quæ vero *media naturæ* sunt  
*Curatio media-* ( §. CCII. ), & difficulter , aut sero nimis sup-  
*rum.* purant variolæ , non aliam curationem postulant ,  
 quam quæ supra generatim exposita est . Sed jam modum excederet , nisi tandem finem faciam ,  
 sermonis prolixitas , si quæcumque huc spectant ,  
 distincte , & minute singula complecti vellem .  
 Quapropter tertio variolarum stadio relicto ad quartum , sive postremum properabo .

(a) MEAD. l. c. cap. 3.

## E X S I C C A T I O.

### §. CCLXXIV.

*Exsiccatio.* Sæppuratione absoluta , & decadente febre , e-  
 in beni- vanescientibusque symptomatibus , quod in discre-  
 medica gnis vix tis , & benignis variolis regulariter evenit , pu-  
 ope eget . Stulæ jam flavescent , & in crustas continuo sic-  
 cantur . Tunc vix quidquam est , quod medici-  
 ope egeat . Morbus enim jam finem assequitur ,  
 & pristina corpori valetudo redit . Diluentia ta-  
 men , & subacida , cubiculi ventilatio , atque ex-  
 tra lectum mora , regimenque diæticum alias  
 laudatum nequaquam negligenda sunt : sic enim  
 fe-

felicior pustularum siccatio consequitur. Si vero *Difficilius*  
 pustulæ pure plenæ, ut quandoque usuvenit, ali *crescentes*  
 cubi serius arescant, eas aperiri, atque exprimi,  
 ali *aperiantur*. *Crusta*  
 quod supra jam proposui; convenit; crustas con-  
 tra, si diutius hæreant, & duriores sint, lotio-  
 nibus, fomentationibusque tepidis molliri, ut se-  
 cedant, & delabantur. In his vero benigniori  
 bus variolis, cum ad exsiccationis finem perve-  
 nerint, vulgatior medicorum sententia est, al-  
 vum leniendam eccoprotico aliquo medicamento  
 esse, aut clysteribus laxandam, idque tertio, aut  
 quarto quoque die ad tertiam, aut quartam us-  
 que videm iterandum, multoque iugis, quod  
 suppurationis tempore, quoniam febris secundaria  
 vel omnino abfuit, vel mitissima extitit, alvum  
 nequaquam ductam fuisse, pro certo assumi po-  
 test. Si quid enim variolosæ materiæ intus re-  
 manuerit, aut non omne pus e pustulis emanave-  
 rit, id purgatione detrahi, expellique creditur.  
 Immo TISSOTIUS non exspectandam perfectam ex-  
 siccationem putat, sed mature, nempe simul ac  
 variolæ in facie flavescent, purgandum esse. Tem-  
 pestiva enim purgatione optime præcaveri ea ma-  
 la, quæ sape a variolis relinquuntur; illoque  
 tempore plus unicam alvi ductionem, dum mate-  
 ria mobilis adhuc est, & fluitat, proficere, quam  
 tres, aut quatuor serius (*a*) institutas. Non ta-  
 men hinc quisquam credat, in manu, arbitrio-  
 que medici, ejusque medicamentorum potestate  
 positum esse, residuas morbi reliquias sive in cu-  
 te adhuc hærentes, sive per corpus in circuitum  
 actas a sanis humoribus, prout libuerit, secer-  
 nere, & quo conferat, evocare. Illud tantum  
 modo certum quidem videtur, quod sordes in *Ani-*  
 ventriculo, intestinisque toto morbi curriculo *mad-*  
*Tissotii*  
*monitum*  
*de matu-*  
*randa*  
*purgatio-*  
*ne.*  
*versio in*  
*purgatio-*  
*nis vim,*  
*& facul-*  
*tatem.*  
*Certe pri-*  
*marum*  
*viarum*

*sordes tantum mod. de- pos-* coacervatae, ac collectae, aut eo paullatim delatae utiliter, & commode detrahi possunt, dum reten-  
*jici, pos-* tae ibi diutius, aut in sanguinem iterum refluen-  
*sunt.*  
*Interdum e penitio-* tes nova mala inferrent. Neque inficiamur ta-  
*ribus locis pravus humor ex-* men, quandoque e penitioribus corporis latibulis  
*certum.* pravos, noxijsque humores excuti, atque ad in-  
*testina prolixi, ut inde magno ægri emolumen-* tio-  
*cutitur.* emittatur; sed quis possit sibi certo polliceri, hoc  
*Sed id minime* ipsum semper ex animi sententia cessorum, ita ut  
*certum.* omne malum, quod impendeat, purgatione aver-  
*cedant, jure attribui quæant?* Quid si cathartici  
*Immo interdum metastases a pur-* actione a peripheria variolosum tabum intro re-  
*gatione* vocatum, in aliqua interiori sede consistat, le-  
*funt.* thalemique metastasim faciat? Peritissimi igitur, &  
*cavissime* omnia perpendentis medici erit ita in  
*purgatione exsequenda se gerere, ut nulla inde*  
*noxa oriatur.*

(a) Epist. cit. p. 46.

## §. CCLXXV.

*Curatio febris secundaria quo usque continuanda in ipsa exsiccatione.* At in confluentibus malignisque variolis, quo-  
 niam febris secundaria cum tetris symptomatibus plerumque sub earum adhuc exsiccatione protra-  
 bitur, continuanda omnino est ea curationis ra-  
 tio, quam supra (§. CCLXII. ad CCLXVIII.) pluri-  
 bus verbis explicui; scilicet si febris adhuc urgeat, & spiritus difficulter trahatur, aut me-  
 tastasis aliqua immineat, aut fauces pituita opple-  
 te suffocationem comminentur, simulque alvus adstricta, aut pigra sit; tunc non solum altero, aut tertio quovis die ea clystere, aut sero la-  
 etis, aut tamarindorum decocto, aut cremore tar-

tartari caute molliri, & laxari debet, apertaque servari, sed etiam, ni jam ante id satis peractum fuerit, aliquanto validius duci syrupo aureo ex senna, manna & tartaro, aut electuario lenitivo, aut sale polychreste, aut foliorum senne diluto, similiue alio medicamento, non omis-  
sis interea diluentibus, uti decocto hordei, radis graminis, & althæ cum oxymelle, nitro, roob baccarum sambuci copiose hauriendo, cui pro re nata acidi vitriolici aliquid (*a*) adjectum sit. Nec alienum quoque est, si sanguis antea missus non fuerit, aut non satis detractus, & calor vehemens extorreat, pulsusque duri deprehendantur, nec vires fractæ sint, sanguinis missio-  
nem tentare, aut repetere (*b*). Nec desunt ma-  
gni viri, qui die demum vigesima prima, abso-  
luta videlicet exsiccationis variolarum confluen-  
tium periodo, ubi scilicet gravior, & acutior fue-  
rit (*c*) morbus, sanguinem mittendum, alvumque  
ciendam judicent. Verum tam in venæ sectione,  
quam catharsi decernenda semper ea præ oculis  
habeantur, quæ alias, & maxime superioribus paragraphis in utramque partem disputata fuere,  
ne quid temere, & cum ægri pernicie delibera-  
tur.

Potissimum al-  
vus la-  
xanda ad  
interval-  
la.

Quando  
etiam  
sanguis  
mitti pos-  
sit.

Sanguinis  
missio, &  
alvi du-  
ctio pro-  
ponitur  
finita e-  
tiam exsic-  
catione.  
Sed non  
semere  
ultra de-  
cernenda.

(a) MEAD. l. c. cap. 3. & STORCK. l. c. p. 275.  
276.

(b) MEAD. l. c. tb.

(c) SYDENH. Oper. sect. 2. cap. 2. p. 180.

## §. CCLXXVI.

*ulcera ve-*  
*scran-*  
*tium diu* Quod si suppurationis stadio ob aliquod gra-  
*aperta* vius symptoma , uti coma , delirium , convulsio-  
*reserventur.* nes , difficilem , anhelosanque respirationem , re-  
 vellentia ; episistica , & speciatim vesicantia ad-  
 hibita fuerint , horum ulcera in hoc etiam po-  
 stremo stadio aperta , & quidem diu servari de-  
 bent , ut omne pus variolosum via hac excerna-  
 tur . Id quoque necessarium est , si in ipsa exsic-  
 catione similes ob caussas ulceranda cantharidibus  
*Tussis su-*  
*perveni-*  
*ens quo-*  
*modo cu-*  
*randa.* brachia , aut crure fuerunt . Alibi ( §. CCIX. )  
 tussim variolis accedere , plerumque uti epigeno-  
 menon , dictum est . Quando id a principio in-  
 cedit , fere catarrhalis est , aut peripneumoniæ  
 symptomatica . Tum iis , quæ catarrhis opportu-  
 na ( a ) sunt , aut quæ peripneumoniæ tollendæ  
 apta posuimus ( §. CCXLIX. CCLIV. ) , curan-  
 da omnino est . Si in gressu morbi a pustu-  
 lis fauces , laryngemque obsidentibus oriatur ; di-  
 lucentibus , & demulcentibus , itemque mucosis ,  
 oleosisque mitiganda ( §. CCLIV. ) est . At si  
 sub finem per metastasim materiae variolosæ ac-  
 cesserit , disquirendum est , an pulmones male ha-  
 beant ex infarctu pituitæ multæ , & lentæ , an  
 vero a tenui , acrique humore tantum irritentur ?  
 Primo casu sputa crassa , & viscida educuntur ,  
 quæ difficilem respirationem , & pectoris oppres-  
 sionem , anxietatemque mirifice levant . Hæc tunc  
 promovenda sunt potu aperiente , atque attenu-  
 ante adjecto nitro , & melle , aut eclegmate ali-  
 quo ex manni , melle , atque oleo seminum lini ,  
 aut amygdalino . Ubi valentius incidere , atque  
     ana-

anacatharsim adjuvare opus est, id præstabit oxy-  
mel scilliticum, stibium diaphoreticum non ablu-  
tum, kerme. minerale, minimæ sulphuris aurati  
antimonii doses, inspiratus aceti vapor, aliaque  
eiusmodi (b). Altero demum casu hordei deco-  
rum, lac aqua dilutum, syrupus papaveris albi,  
mucilaginosa, aquæ tepidæ vapor opem ferunt.  
Interdum cum incidendi, tum revellendi cauſa  
in utroque casu vesicantibus uti oportet, ut ni-  
hil de sanguinis missione dicam, si peripneumo-  
niae signa adeflent. Atque hæc fere eadem or-  
thopnoæ, ex memoratis cauſis natæ adhiberi con-  
ſueverunt.

*Orthop-*  
*mæ pe-*  
*ripneumo-*  
*uica ea-*  
*dem me-*  
*acla.*

(a) *Vid. Vol. I. §. CCCXI.*

(b) *STORCK. l.c. pag. 278. TISSOT. l.c. pag. 25.*  
& p. 37.

### §. CCLXXVII.

Exsiccationi etiam variolarum interdum salivæ fluxus succedere visus est, salutem afferens; qui alias secundo tantum stadio supervenire, & plerumque tertio, ut notatum supra est, desinere solet. Eum igitur sustinere, & adjuvare par est potu calido, diluente, mellito saepe dato, simulque cavere, ne critica ista evacuatio (a) catharticis, aut narcoticis, aut frigore subito turbetur, supprimaturve. Nec rarum est suppuratione ad fænum vergente, aut exsiccatione jam inchoata, immo interdum finita tumores quosdam, furunculis similes, sub cute variis corporis sedibus ex oriri, quos efficit pus variolosum non satis per pustulas expurgatum. Hos anteverti dicunt, sicuti etiam variolas secundarias, quæ primas exsic-

*Ptyalismus su-*  
*perver-*  
*niens ad-*  
*juvandus.*

*Tumores*  
*subcuta-*  
*nei sup-*  
*purandi,*  
*et ape-*  
*riendi*  
*sunt.*

caras s<sup>e</sup>pe excipiunt, catharsi maturius instituta.  
**Quandocumque** vero ejusmodi tumores prodeunt,  
 considerandum mox est; num molles sint, &  
 materia in ipsis liquida, & fluitans appareat.  
 Tunc enim ciuiissime, uti abscessus, sectione ape-  
 riendi sunt, diuque digerendi, ut omnis puru-  
 lentus humor via hac efferatur. Sin vero duri  
 reperiantur, & rubeant, & doleant; cataplasma-  
 te emollienti, & anodyno ex panis mica, & la-  
 ete, aut unguento althææ, & butyro, aut Dia-  
 chylo simplici ad maturitatem perduci debent, &  
 demum ferro incidi, quemadmodum de perioribus  
 dictum est.

(a) MEAD. l.c. cap. 3.

### §. CCLXXVIII.

*Metasta-  
ses ad os-  
sa & ar-  
ticulos.  
Resolutio-  
primum  
sanguinis  
missione  
tentanda;  
deinde ex-  
terius, in-  
ternisque  
remediis.* Non nunquam morbi<sup>d</sup>i humoris pars aliquæ transfertur ad articulos, aut ad ossa ipsa, ibique defigitur atroces dolores excitans, quin tamen ul-  
 lus tumor exterior cernatur, aut rubor. Hinc s<sup>e</sup>pe, aut ankylosis, aut caries subsequitur prope ins<sup>an</sup>abilis. Quando illud accidit, ut tam dita, & pertinacia mala præcaveantur, si vires vigent, & pulsus sit durus, tentanda est resolutio iterata sanguinis missione, interpositisque alternatim idoneis catharticis (a). Si tamen dolores osteocopi pertinaciter persistant, & ossium, aut articulo-  
 rum corruptionem intentent, præter externas fo-  
 mentationes, & cataplasmata anodyna, & discu-  
 tientia, quæ apprime indicata videntur, a STOR-  
 OKIO (b) intrinsecus danda proponuntur extracta  
 cicutæ, aconiti, & flammulæ Jovis, methodo  
 jani ab eodem in peculiari Tractatu de horum  
 re-

feinediorum viribus, usuque tradita. Fereque hæc *Ulceræ a variolis*  
 ipsa adhibenda suadet in ulceribus malignis; & *re relieta fe-*  
*diuturnis crurum, aliarumque corporis partium, re eisdem*  
*quæ variolas quandoqæ subsequuntur, corpùsque*<sup>*curantur.*</sup>  
*consumunt.* Aliis vero magis arrident decocta *Que aliis*  
*sarsaparillæ, ligni sancti, radicis chinæ, & rubiæ*<sup>*magis ar-*</sup>  
*tinctorum, æthiops mineralis, antimonium cru-*<sup>*rideant.*</sup>  
*dum, atqæ extrinsecus fricationes ex linimento*  
*mercuriali.* Sed magni hic fieri debet camphora *Campho-*  
*ram extrinsecus, quam intrinsecus adhibita, que-*<sup>*ra, & cor-*</sup>  
*madmodum a COLLINIO celebri Vindobonensi Me-*<sup>*tex pe-*</sup>  
*dico in singulari de Camphoræ usu libello propo-*<sup>*ruvianus*</sup>  
*nitur. Cui si corticis quoque peruviani adjaceris*<sup>*vi tra-*</sup>  
*opem, egregie traumaticam, major affulget spes,*<sup>*matica*</sup>  
*ulcera felicius coalitura esse.*<sup>*pollens.*</sup>

(a) STORCK. l.c. P.I. p. 283.  
 (b) Ibid. p. 286.

### §. CCLXXIX.

Dum autem hæc (§. CCLXXVII. CCLXXVIII.)  
 accidunt, præsertim tumoribus, quos memoravi,  
 suppurantibus; febris nunquam ex toto definit,  
 plerumque pomeridianis, aut vespertinis horis in-  
 valescens, matutino vero tempore plus minus re-  
 mittens. Symptomatica enim est, & a suppura-  
 tione procedens, ideoque suppuratione absoluta,  
 plerumque & ipsa evanescit. Nihilo tamen mi-  
 nus dum tenet, & urget, mitigari, & quodam-  
 modo coerceri ea potest temperantibus, nitrosis,  
 & leviter antisepticis, nec non subinde alvum  
 lenientibus. Quod si periodum intermittentium  
 assumat, cortice peruviano eam plerique adoriun-  
 tur; qui sane, ni sefbriuga vi hic prosit, prode-  
*Febri*  
*sympo-*  
*matica*  
*suppuran-*  
*tium ta-*  
*morum.*  
*Quibus*  
*auxiliis*  
*mitigan-*  
*dis.*

rit tamen roborando , & putredinem arcendo ,  
 cum maxime , cum copia puris manantis univer-  
 flos fere sanos humores in pus converti , & pu-  
 Febres  
 vere in-  
 termit-  
 tentes  
 cum va-  
 riolis  
 complicata  
 corti-  
 cem po-  
 susans :  
 effectus esse solet in febribus vere intermittentibus primariis , quas interdum complicari cum variolis vel ab ipso initio , supra ( §. CCIX. ) moratum est . Has igitur , quocumque stadio se prodiderint , antidoto americana protinus sisti oportet , ne variolarum naturalis cursus pervertatur (a).

(a) MEAD. l.c. cap. IV.

## §. CCLXXX.

*Viribus* Scire quoque licet , simel ac febris secundaria *languen-*  
*tibus sub* decedit , & variolæ exsiccantur , sè penumero æ-  
*finem quo-* gros viribus languere , destituique videri . Huic  
*modo pra-* languori succurrit vinum aqua dilutum , aut se-  
*spiciens-* rum lactis vinosum , aut simile aliud analepticum .  
*dum :* Si vero ista virium defecto , finito etiam mor-  
 bo , convalescentes diutius premat , ut difficillime  
 ad pristinam integratatem redeant ; nihil eos ci-  
 tius , efficaciusque restituit , quam lac , cortex pe-  
*Viëtus* ruvianus , & corporis exercitatio (a) . Expiatis au-  
*paullatim* tem , ut supra præceptum est , primis viis , paullo  
*augendum* Iergiori cibo sensim dato corpus alendum est , do-  
 nec ad priorem viëtus rationem perveniatur . Tan-  
 dem exsiccatis , delapsisque penitus pustularum cru-  
 stis universa cutis balneo tepido abluenda est ,  
 aut spongia ex decocto hordei lacti admixta , vel  
 ex aqua sapone leviter imbuta , vel ex melicra-  
 to calentibus expressa leniter detergenda est , ut  
 expiratio insensibilis revocetur , omnisque morbi-  
 dus

dus fomes , qui cinti adhæserit , auferatur . Mundato sic corpore vestimenta , & linteam ita omnia , lectusque ipse permutentur , ut contagionis semina procul a sanis arceantur . Ad cicatrices quod attinet , si quæ profundius infuderint , deleri , aut saltem minui creduntur , si lacte asinino , aut aqua florum fabarum ; aut amygdalarum dulcium emulsione , saepe , & diu abluantur ; vel linimentis mitissimis , inter quæ oleum e vitellis ovarum recentissime expressum in primis celebratur , penicilli ope illiniantur .

*Dentum  
corpus abla-  
tuendum;  
detergen-  
dumque.  
Mutatio  
vestimento-  
rum, &  
lecti .  
Cicatrica-  
ces faedio-  
res que-  
bus auxi-  
liis emen-  
dantur.*

(a) TISSOT. *Epist. cit. p. 48.*

### §. CCLXXXI.

Ex iis vero , quæ post exsiccatas variolas , morbo non perfecte soluto , relinquuntur , exercentes convalescentes , non nunquam est febricula quædam lenta , hæticæ similis , quæ corpus paulatim depascitur , atque extenuat . Hac modo ab acri varioloso retento , modo a purulenta caco-chymia , modo a puris copia ex cute , ejusque ulceribus manante , & alibilem succum subirahente , modo ab interiorum viscerum labe , & præsertim phisica pulmonum corruptione originem ducit . Pro caussarum diversitate ejus quoque curatio varianda est . Generatim tamen , nisi interiores partes tale vitium ceperint , quod omnem artis opem aspernetur , oppugnanda est blandissimis eccoproticis ; sero lactis defœcato ; lacte , hocque solo , vel aqua diluto , vel decocto corticis peruviani , qui etiam per se a MORTONO , aliisque hic præstantissimus perhibetur ,

*Febris  
lenta a  
variolis  
relieta.*

*Ejus mut-  
tiplex or-  
tigo.*

*Si cura-  
ri posset;  
quænam  
remedia  
id pra-  
sent.*

lactis parti , aut paullo majori quantitati nuptio  
 (a) ; emulsionibus feminum frigidiorum ; cremore  
 hordei , aut avenæ , victu vegetabili , sed præ  
 ceteris aere puro , aprico , rurali ; vescione , &  
 Meadius <sup>interdum</sup> <sub>utilem</sub> <sup>sanguinis</sup> <sub>missionem</sub> <sup>prædicat.</sup>  
 Quando <sup>ea locum</sup> <sub>babeat.</sub> moderata , lenique exercitatione . MEADIUS (b)  
 auctor est , ut , præter alvi ductiones , sanguis  
 etiam e vena mittatur ; cuius consilii utilitatem  
 SAGARI quoque (c) experientia confirmatam le-  
 gimus . Siquidem fieri interdum potest , ut a dia-  
 thesi quadam sanguinis phlogistica isthæc febricula  
 foveatur ; quam cum pulsus durus , calor acer ,  
 atque alia id genus non obscure declarabunt .

(a) MORTON. l.c. TISSOR. l.c. p. 33. 47.

(b) L.c. cap. IV.

(c) De Variol. Iglaviens.

## §. CCLXXXII.

Oculorum <sup>afforbi.</sup> Oculos etiam multisariam a variolis male affi-  
 ci , supra (§. CCVIII. ) narratum est . Neque tan-  
 tummodo variolis erumpentibus , aut suppuranti-  
 bus id evenit , verum etiam iis jam superatis ,  
 & absolutis . Quoniam vero hactenus nihil a no-  
 bis traditum est de ejusmodi vitiorum , quibus  
 oculi subjacent , curatione , nunc exponam ; quid  
 singulis eorum in utroque tempore conyenientif-  
 simum sit . Incipiam vero ab iis , quæ extieriores  
 palpebra- <sup>Tumori</sup> <sub>rum</sub> <sup>et</sup> <sub>dolori que</sub> <sub>utilia</sub> partes , palpebrasque patiuntur . Hæc interdum in-  
 tumescunt valde , tenduntur , dolent , oculosque  
 eccludent . Sub his lympha lacrymalis acri vario-  
 loso infecta conjunctivam irritat , inflamat , un-  
 de dolor increscit , & lacrymæ calentes , acres ,  
 molestæ exprimuntur . Quando hoc incidit , hu-  
 me-

metari, soverique oculi debent tenuissima; mol-  
lissimaque spongia, aut linteolo aqua, & lacte  
tepido madefactis. Sic dolor, & tensio mitescit,  
acrimonia temperatur, acris materia restitans ab-  
huitur, inflammatio discutitur, rosio avertitur,  
atque oculi aperiuntur. Quod si ejusmodi fomen-  
tatio jam ab initio instituatur, & singulis horis  
repetatur, saepe fit, ut ista mala præcaveantur,  
& nunquam penitus palpebræ claudantur, Ad id  
etiam decoctum hordei, aut seminum psyllii ac-  
commmodatum est. Egregie enim lenit, & demul-  
cet. Alii ab ejusmodi noxis oculos præservare  
student sola aqua rosarum albarum tepide, &  
crebro adhibita, vel aqua simplici frigida, aut  
ignito chalybe medicata, eo videlicet consilio, ne  
variolæ palpebris, aut oculis innascantur (*a*).  
Quod si malo facto variolæ innascuntur, tum  
aqua spermatis ranarum, malvæ, vel forum sam-  
buci (*a*), vel cataplasmata levissima ex lacte iis  
imponenda sunt (*c*). Præstantissimum illud est,  
præsertim dolori leniendo; inflammationique com-  
pescendæ, quod ex pulpa pomorum dulcium, &  
lacte conficitur. Sed plerumque soli fotus ex a-  
qua, & lacte sufficiunt, sedulo simul evitata li-  
ce, & quiete imperata. In graviori casu, majo-  
rique inflammationis metu, non prætermittenda  
sunt diluentia intrinsecus, antiphlogistica, sangu-  
nis missio; balnea pedum, & reliqua ad revel-  
lendum idonea.

*Quæ præ-  
servent.**Pustulis  
oculis in-  
natis quo-  
modo oo-  
curren-  
dum.**Ophthal-  
mia gra-  
viori e-  
tiam vene-  
fictio ne-  
cessaria.*

(*a*) AZZOGUID. *Lett. cit. pag. XXXII. XXXIII.*

(*b*) *Id. ibid.*

(*c*) TISSOT. *Epist. cit. p. 48.*

## §. CCLXXXIII.

*Ophthalmia sub finem ordinata simili- bus cura-* Nec aliter succurrendum est , quam sanguinis missione , diluentibus , antiphlogisticis , sero latetis , atque eccoproticis , ophthalmiae illi , quæ sub finem variolarum interdum supervenit (a) . Quo

casu etiam cutim cantharidibus exulcerare ad revellendum plurimum consert ; in primis si malum diu trahatur , aut recidivum fiat . Quod si tanta horum morborum vis fuerit , ut abscessus , hydropya , aut oculi destruetio consequantur , horum curatio , si qua esse potest , e chirurgia petenda est . Communissima vero vitia , quæ a variolis reliquuntur in oculis , sunt potissimum albugines ,

*Ceteris vitiis temporis natu- rumque noxia.* leucomata , curneæ ulcera , phlyctenæ , epiphoræ , & chronicæ ophthalmiae , sæpæ , & levi quavis caussa redeuntes . Multa , & varia singulis hisce morbis proponi solent cum a Medicis , tum a Chirurgis , quorum tamen maxima pars aut noxia ,

*Temporis naturæ vis efficacissima.* aut supervacua esse consuevit , Laucomata , albulgines , ulcuscula cornea , phlyctenæ sæpiissime so- la naturæ ope , & temporis beneficio evanesce- ma .

*Internis potius re- medii confidere oportet.* re , aut saltem plurimum imminui visa sunt ; collyriis vero , aquis ophthalmicis , linimentis , suffi- tibus , & præ ceteris pulveribus variii generis , qui in oculos insuflari , aut infundi solent , plu-

rium exasperari , augeri , atque in deterius pro- labi . Maximum vero præsidium quæri debet in regimine diæteticō , atque iis , quæ acres , pra- vosque humores emendant , ab oculis avocant ,

*Horum enumeratio.* & leniter , paullatimque e corpore excernunt . In his excellunt succi herbarum refrigerantium , aut earundem decocta , aquæ minerales , balnea aquæ

aquæ dulcis , & repetita ad intervalla catharsis. Serum quoque lactis caprilli , lac asinum , decocta sarsaparillæ , & radicis chinæ hic commendatissima sunt pro varia temperamenti , anni temporis , habitusque corporis , aliarumque circumstantiarum ratione . In epiphoris contumacibus , ophthalmiisque recidivis , & chronicis non semel plurimum emolumenti perceptum vidi ex largo vesicanti inter scapulas applicito , & diu aperto , & postea cauterio in altero brachiorum inusto ; quod quantum ad prophylaxim conferat , nemo nisi expertus noverit . Interdum in oculis remanent dolores diuturni , & pernolesti , ad quos abigendos , sicuti etiam ad maculas corneæ discutiendas laudatur a STORCKIO extractum pulsatillæ nigrae minima dosi magnesiæ albæ adjectum , & per vices datum (b) . Animadvertisendum tamen est , ab ejusmodi medicamento non nunquam oculos inflammari , & graviter affici , sic ut magna cautione , & prudentia ejus usus indigeat .

(a) STORCK. l.c. P.I. p. 285.

(b) Ibid. & formul. n. 48. in Part. 2.

## §. CCLXXXIV.

Nec desunt sua quoque auribus (§. CCVIII.) mala . Dolores , inflammationesque fere eadem requirunt , quæ oculis accommodata (§. CCLXXXIII.) laudavimus . Abscessus vero , atque ulcera subsequentia abstergi leniter debent , diuque manare fini , neque facile exsiccari , nisi tentatis prius incassum iis , quæ totius corporis malum habitum , sanguinisque dyscrasiam corrigere apta sunt . Cu-

hi-

Vesican-

tia , &

fonticuli

multum

ad pro-

phylaxim

conferant.

Exera-

etum pul-

satillæ

nigræ al-

dolores ,

& macu-

las reli-

gas.

Aurium

vitiæ

quomodo

medean-

sur .

hibito enim ante debitum tempus puris fluxu metastases plerumque fiunt, noxio humore ad cerebrum translato. Sed de malis variolas comitantibus, aut eas subsequentibus satis. Superest talis non in frequens, ut de quodam peculiari symptome variolis in quoconque stadio supervenire solito, sed præcipue in eruptione, aut suppuratione frequenti, *Ischuria* nimis, alibi (§. CCVII.) indica-ta, dicere aliquid non prætermittam. Huic plerumque remedio est, *SYDENHAMIO* (*a*) notante, & lecto surgere, & leniter per cubiculum deambulare: Quando id malum vitio vesicæ contin-git, fomenta etiam hypogastrio, & perineo im-posita, itemque enemata, quæ molliunt, & laxant, urinam eliciunt. His vero postremis maxi-mo utendum retur *MEADIUS* (*b*), ubi timor est, ne frigus surgendo susceptum variolas reprimat; demum, si vesica tumeat, doleat, nec cetera ju-verint, cathetere urina educi potest; maxime in adultis. Diuretica autem locum non habent, nisi in *Ischuria*, ut vocant, *spuria*, in qua nempe urina deficit, quia in renibus non secernitur. Si ardorem *urine que* deinceps ardor simul cum stranguriosa difficultate leniant. molestiam creet, demulcendus is est internis, & externis laxantibus, & præsertim potu emulsionis seminum melonum, atque amygdalarum dulcium, addito syrupo althææ, aut decocti hordei, radicis althææ, glycyrrhizæ, florum malvæ, verbasci, similiisque.

(a) Oper. sect. 2. cap. 2. p. 176.

(b) L. c. cap. 4.

## §. CCLXXXV.

Tandem aliquando eo per ventum est, quo curationi variolarum naturalium verarum finem imponam. Fortasse justo longior fuisse videbor iis, qui in medendi arte jam diu instituti, & enutriti rerum præcipuarum synopsim malunt, quam fusio rem de singulis tractationem. Sed hi veniam dabunt, cum sciverint, hæc non ipsis, sed tironibus, quibus multa desiderantur, præscripta esse. Quorum in gratiam sane necessarium duxi, non solum quid in quovis stadio generatim usui esse possunt, verum etiam quid quibusdam in generibus, singularibusque symptomatis opportunum, ordinate, & distincte referre; quod gratum, commodumque iis futurum spero. Illud tamen dedita opera prætermisi, quod ad variolarum crebram cum peticulis, ant miliaribus exanthematis (§. CCV.) complicationem attinet. Nam quando hæc secundaria sunt, vix aliam curationem poscunt, quam ipsis variolis accommodatam. Ubi vero primaria; si quid aliud opus iis fuerit, id expositum cum exstet in sequentibus decimo, & undecimo capitibus, facile inde peti posse, arbitratus sum. Sed jam ad variolas insititias progediamur, de quibus modo dicere ordo jubet.

## V A R I O L E I N S I T I T I A E.

## C C L X X X V I .

*Inocula-  
tio multi-  
plex.* Jam de Variolis *insititiis*, sive *artificialibns*, quod supra ( §. CLXVI. ) recepi, dicere aliquid oportet. Ita vocant illas, quæ *insitione*, sive *inoculatione*-procreantur. *Inoculationis* vero plura sunt genera, de quibus cum innumeri pene doctissimi Viri cumulatissime scripserint \*, ut vix hodie ullus sit, qui *inoculationem*, ejusque *instituendæ* multiplicem rationem perspectam non habeat, nobis satis erit, eam e multis deligere, atque exponere, quæ simplicissima, commodissima, ac tutissima omnium nunc a plerisque existimat.

*Inocula-  
tionum  
omnium  
probatis-  
sima.*

\* Ex multis sequentes legere poterit quisquis uberiorius erudiri hac in re voluerit.

EMANUEL TICUONI Epistola ad Jo. WODWARD. 1713.

PILARINI Nova, & tuta variolas excitandi per transplantationem methodus. Venet. 1715.

J. KIRCKPATRICK Analysis of inoculation &c. London. 1754.

TISSOT. l' Inoculation justifiée. A' Lausann. 1754.

CONDAMINE Memoria sull'inoculazione del Vajuolo. Livorno 1755. Seconda Memoria del medesimo. Livorno 1759.

SAVER. MANETTI Della Inoculazione del Vajuolo. Firenze 1761.

Reflexions sus les préjugés qui s' appoient aux progrès, & à la perfection de l' Inoculation par Mr. GATTI Médecin consultant du Roi, & Professeur en Médec. dans l' Université de Pise. A Paris 1764.

ANGELO ZULATI *Notizie degl' Innesti del Vajuolo fatti in Cefalonia nel 1764. Vide Giornal Medico Venet. T. VI. N. XXXIV. &c seqq.*

GIO: B. LUNARDI *Del metodo d' innestare il vajuolo. In Urbino 1766.*

*Nouvelles reflexions sur la Pratique de l' Inoculation par Mr. Gatti. A Paris 1767.*

*The present method of inoculating for the small-Pox &c. e tradotta in Toscano dalla quarta edizione di Londra del 1768. Vedi Magazzino Toscano T. I. P. I, &c seqq. ann. 1770. di TOMMASO DIMSDALE. PORTA il Juniore Discorso in favore dell' Innesto del vajuolo. Milano 1774.*

## S. CCLXXXVII.

Postquam hæc ab imperitissimarum gentium, <sup>A Medicis quaque de præparatio-</sup> atque empyricorum manibus ad Medicos traducta est, cogitari etiam cœptum est, qua ratione ad artis leges ea exigi posset, ut utilior, certiorque ejus usus redderetur. Tunc primum visum est rationi consentaneum corpora, quibus inoculatio subeunda esset, opportuniora, aptioraque facere. Hinc plethoram, aut cacochemiam, si qua erat, prius tollendum sanoguinis missione, purgatione, diæta, aliisque medicinæ præsidiis, sancitum est. *Præparationem ad inoculationem* dicunt. Sed hodie hæc fere omnino exolevit. Nam <sup>Sed hodie præparatio pene exolevit.</sup> inoculatorum peritissimi sic ratiocinantur: inoculandi vel sani sunt, vel ægroti. Si sani, præparatione non egent; possunt enim per eam sic alterari, ut a perfecta valetudine desciscant. Si ægroti, a morbo, quo laborant, priusquam inoculentur, liberari debent, ut valeant, atque adeo inoculationi idonei fiant. Quapropter omnem præparationem rejiciunt, uti supervacaneam, aut

*Quorum-* noxiā , nisi hac voce intelligendam velimus  
*dam in-* ipsam valetudinis redintegrationem , quoties ipsa  
*noculato-* labefactata fuerit .  
*rum ra-*  
*tione.*

### §. CCLXXXVIII.

*Quinam sani , & bene valentes infitioni sub-  
 sani di- ciantur . Sanos autem dices , qui facile , alacri-  
 cendi ? ter , & sine ulli molestia , aut lassitudine actio-  
 nes œconomiae animalis obeunt ; qui bono habi-  
 tu prædicti sunt ; qui leniter spirant ; quibus hal-  
 tus oris inodorus est , & minime fœtet ; qui nec  
 convulsionibus , nec morbis cutaneis obnoxii ,  
 qui viribus pollut , bene appetunt , digerunt ,  
 egerunt , somnoque placido utuntur ; qui cutim  
 mollem , teneraque habent , & facile ; si casu  
 saucietur , consanescente ; qui neque scorbuti-  
 ca , neque venerea , neque scrophulari labe , ne-  
 que alio quocunque notabili humorum vitio con-  
 taminantur . Hi ergo ad inoculationem aptissimi  
*sani ad* reputantur , quamquam dissimulandum non est ,  
*inocula-* inoculatos interdum fuisse non perfecte sanos ,  
*tionem* sed valetudinarios , atque infirmos , qui tamen  
*eligendi.* variolis benignissimis (a) affecti sunt .*

(a) STORCK. *Diatrībe de infitione variolarum ē germanico in latinum idioma versā.* Vid. FRANC. XAVER. DE WASSERBERG *Fascicul. I. pag. 2.* Item *Instruz. med. pratic. P. I. p. 293.*

## §. CCLXXXIX.

Nulla ætas, nullus sexus, nullumque anni tempus ab innoculatione communiter excluditur; non infantes, non pueri, non adolescentes, non fœminæ, non ætate proiecti. In omnibus enim his facta pericula demonstrarunt, innocue, felicitas inoculationem sæpenumero tentatam fuisse. Gravidæ tamen, puerperæ, & pubertatis tempus vitari debent. At ætas omnium opportunitissima censetur, quæ a quinto anno ad decimum, aut duodecimum extenditur; anni vero tempus vernum præ ceteris, deinde autumni principium, quamquam autumnus a multis damnatur, quod morborum immitium, diarrhoearum, dysenteriarumque feracissimus esse consuevit. Multo magis vitandæ videntur insalubres aeris constitutiones, in quibus scilicet morbi maligni, exanthematici, aut putridi populariter vagari cernuntur; quia timor est, ne pravam morborum epidemicorum, aut stationariorum naturam variolæ quoque sequantur, aut cum iis complicantur. Locum vero, quoad fieri possit, eligere expedit, qui sit a contagii seminis quam maxime immunis, ruripotius, quam in oppidis, sub cœlo temperato, propitio, salubri; in domo per ampla, conclavibus magnis, & fenestrarum in quamque plagam obversis prædita, cui neque viridaria amœna, & oculos oblectantia, neque ambulacula altis scepibus, aut muris utrinque munita, aut pergulis desuper obumbrata desint, in quibus inoculati spatiari possint innoxie.

## §. CCXC.

*Nonomnis* Deinum non omnis præparatio , saltem quæ a  
*præpara-* victus ratione procedat , penitus negligenda nobis  
*tio dam-* nanda . videtur . Quare decem , aut duodecim diebus an-  
*nanda.* te inoculationem victus instituatur simplex , blan-  
 dus , magna ex parte vegetabilis , & temperans .

*Viatus ra-* Juscula oryzæ , hordei , & panis ; carnes tenerio-  
*tio ante* res ; olera , fructus ; ova recentia in primis aliis  
*inocula-* eduliis permixta , & fercula farinosa concedi so-  
 lent ea quantitate , quæ appetitui , & consuetu-  
 dini respondeat . Qui robustiores sunt , sanguine-  
 que abundant , aut servidiore temperamento do-  
 nantur , hos a carnibus abstinere præstat , juribus  
 tamen earum concessis , reliquisque , quæ indica-  
 vi , alimentis . Pisces fluviatiles , ranæ , & pastæ  
 tenuiores in carnium locum suffici quoque pos-  
 sunt . Nec lac , atque ex eo parata , quibus arri-  
 deant , cuiquam denegantur . Potui vero datur  
 aqua pura , subinde succo mali medici , aut au-  
 rantii , & paucō saccharo medicata . Novimus ta-  
 men non nullos , qui consuetam vietus rationem  
 nequaquam mutandam esse censem ; exemplisque

*Quando* adductis evincunt , id innoxie factum . Quod fa-  
*nihil mu-* cile largiemus iis , qui innocuo vietu nti solent ,  
*tari licet* in vietu . quique neque copia , neque qualitate ciborum  
 peccant , neque acribus calidisque cibis , aut po-  
 tationibus abutuntur . Nec alienum duxerim , si

*Ubi pur-* primæ viæ sordibus scatere videantur , aut de  
*gandum* vermis suspicari liceat , alvum semel , aut bis

*Quando* leni medicamento ducere , aut anthelmintica  
*soli cly-* querdam in usum vocare . Secus ; sufficiet alter-  
*keres suf-* ficient . nis diebus enemate alvum , si compressa sit , ape-  
 rire ,

tire , apertamque servare . Sunt etiam qui ap-  
propinquante inoculationis die totum corpus uno  
vel altero balneo tepido foveri (*a*) præcipiunt ;  
quod in primis laudarem , ubi cutis arida , & ri-  
gida nimis , qualis in adultioribus , atque exer-  
citatis fere offenditur , mollienda , & leniter la-  
xanda videatur .

(*a*) LUDWIG. *Institut. medic. Clinic. P. I. cap. I.*  
*Subsect. VII. §. CCVIII.*

### §. CCXCI.

Absoluto præparationis tempore ad inoculatio-  
nem transitur . Inter varia , quæ ad eam præstan-  
dam adhiberi possunt , puri varioloſo primas de-  
ferunt inoculatores , idque recens esse volunt ,  
quo certius contagium impertiat . Effœtum enim ,  
atque evanidum variolis excitandis impar est .  
Præfertur vero illud , quod ex pustulis suppurare  
incipientibus extrahitur . Id enim cum liquidius  
sit , multo facilius inseritur , cumque absorbenti-  
bus vasis communicatur , quam magis coctum ,  
& crassius , quod pustulæ plenam maturitatem a-  
deptæ suppeditant . Fortasse etiam benignius est  
maturiori , si vera narrant inoculatores . Mitioris  
vero naturæ illud esse perhibent , quod ex pu-  
stulis eorum , qui variolis insititas habent , edu-  
citur . Ex hoc enim variolæ multo benigniores  
gigni dicuntur ; earumque benignitas tanto ma-  
jor fieri creditur , quo per plures inoculationes  
successivas idem virus varioloſum transfusum (*a*)  
fuerit (\*). Sed loci quoque , in quo insitio in-  
stituatur , delectus habendus est ; nam quamquam  
quælibet pars ad id accommodata non nullis  
*Pus va-  
rioloſum  
inſitioni  
aptius .*  
*Quale  
eſſe de-  
beat ?*  
*Inficio  
benignio-  
res va-  
riolas  
excitat .*  
*Quinam  
locus in-  
ſulationi  
opportu-  
nieri .*

quandoque visa sit , tamen experientia docuit ; duas speciatim reliquis anteponendas esse , quarerum altera est ea exterioris manus pars , quæ inter indicem , & pollicem media jacet ; quoniam ibi laxior , flaccidiorque cutis minorem , dum inflammabitur , molestiam excitare debet ; & praeterea epidermis ibi crassior , & firmior est , infectionique opportunior , cum facile , & sine diruptione e cute sejungi , & elevari possit . Altera porro est superior brachii pars , in qua quilibet locus ad inoculandum idoneus habetur . Sunt qui eum seligunt , in quo fonticuli inuri solent ; sunt qui anteriorem , aut exteriorem malunt , medium quasi inter cubitum , atque humeri caput . Inferiores vero artus omnium partium inexactissimi multis de caussis reputantur , sed potissimum quia difficilius in cruribus variolosæ pustulæ arescunt , & quia ulcera ibi nascuntur , quæ ægerrime (b) sanantur , ut in confluentî genere sæpe videre est .

(a) GATTI *Nouvell. reflexions* p. 82.

\* Nos minime latet , STORCIUM ; aliosque quocumque variolosi puris genere usos esse , indiscriminatim , quin ullum inde discrimen in inoculatis variolis detexerint .

(b) GATTI l.c.

## §. CCXCII.

Inseritur autem virus vel ope acus ad apicem *insitio fit*  
 aliquantulum complanatae, qui antiquissimus, *vel acus,*  
*vel lanceola.* commodissimusque modus est; vel ope lanceolæ, id est scalpelli, quo venæ inciduntur, quoque speciatim hodie plerique inoculatorum utuntur. Sive acus vero, sive lanceola magis arriserit; alterutra pustula variolosa pure; quale dixi; scatens pertunditur; ut pure expresso bene imbuatur. Sic pure imbūta aut conspersa defertur in cubiculum; in quo inoculandus existit; nam is ab ægrōtante; ex quo pus deponitur, procul esse debet; ne aut ejus intuitu, aspectuque terreatur, aut ore; & naribus contagiosa effluvia ab ejus corpore manantia attrahat; sequē contaminet. Tum cuspis acus, aut scalpelli leniter, transversumque epidēmidem inter, & cutim inseritur; sic ut spatiū unius līneæ cum dimidia, aut duarum circiter transcurrat. Deinde pavillum ibi detinenda, commovendaque est; ut pus defluat, cutique adhærescat. Demum digito de super imposito comprimitur epidermis, simulque retrahitur acus, sive lanceola, prout una vel altera adhibita fuerit, sicque omne pus, quod delibuta erat, intus remaneat, necesse est. Nec opus est, ut cuspide, aut acie cutis subter sauciatur, quod aliquid ad certiorem insitionis effectum obtinendum præcipiunt. Dexterrimi enim inoculatores cauent a quocumque vel levissima sanguinis effusione. Quod si quis dubitet, utrum unica insitio ad variolas excitandas valeat, quæ si plures fiunt, quid observandum sit?

infestationes faciat, binas videlicet ex uno latere, unam vero ex altero, quibus certe contagium, si corpus ad illud arripiendum comparatum sit, *Copia, & communicabitur*. Non enim integrum est inoculationes temere multiplicare; quod usu constitit, variola-  
rum res-  
pondet pu-  
ris quan-  
titati in-  
seriae. *gravitas* eos, qui pluribus vulnusculis, sive infestationibus inoculati sunt, variolas & copiosiores, & gra-  
viores passos esse, quam qui una, vel altera in-  
fistione usi sunt. Ex quo patet, copiam, & gra-  
vitatem variolarum plerumque puris inserti quan-  
titati (a) respondere. Retracta acu, sive lanceo-  
la, non tegi emplastro, nec deligari ullo modo  
vulnusculum debet. Virus enim sic applicitum  
per se satis adhaeret, & in venas certo sibi viam  
aperit.

(a) GATTI Nouv. reflex. p. 78. 79.

### §. CCXCIII.

*Acus pu-*  
*re infecta* Animadvertisendum autem est, acutum, aut lan-  
*dii ser-*  
*rat suam* ceolam pure, ut supra, delibutam suam faculta-  
*vim.* tem ad aliquot dies servare, itemque eam diu  
servari in pure e pustulis expresso, & in vascu-  
*Puri sub-*  
*rogatur* lum vitreum indito, dummodo probe clausum  
*pulvis* ab aeris attacku arceatur. Quod si prius recentis  
*crustarum* copia nobis non fiat, crustae variolarum exsicca-  
*decidua-*  
*rum;* tæ, & in tenuem pulverem redactæ ei subroga-  
ri possunt. In hujusmodi pulverem inditur filum  
xylinum, aut sericum, diuque in eo morari si-  
nitur; immo eodem probe confricatur, ut in se  
*Eius ad-*  
*hibendi* vim contagionis arripiat. Filum hocce epidermi-  
*ratio du-*  
*plex:* dem inter, & cutim ad duas, aut tres lineas  
acu trajicitur. Trajicitur, inquam; non enim  
ibidem relinquendum est, ut quibusdam placet;  
quia

quia quidquid extraneum, alienumque est, irritatione inflamat, noxamque infert. Fili loco etiam acus, vel lanceola pulvere varioloſo confricata, quo dixi modo, inferti potest; neque opus est, ut pulvis cum ea epidermidem inter, & cutim tradatur (*a*), videlicet ne molestam irritationem pariat. Atque hæc est methodes, quæ præ ceteris probanda.

(*a*) GATTI l.c. p. 83. 84.

## §. CCXCIV.

Inoculatæ variolæ sua & ipsæ habent stadia. *Primum stadium.*  
*Primum* incipit a puris insitione, extenditurque ad levis usque cujusdam inflammationis apparitionem, quæ se in loco insitionis ostendit. Nihil autem prima, & secunda die circa vulnusculum apparet notandum; immo ejus oræ ita coivisse videntur, ut vix incisionis vestigium oculis patet. At *tertia* ut plurimum die levis accedit insitionis loco inflammatio, cum præritu interdum conjuncta: atque hinc *secundi stadium* exordium *secundum stadium.* dicitur, quod tres circiter dies perdurat, antequam vera febris superveniat, interiora a contagio affici significans. Ista vero inflammatio est quædam variolosæ eruptionis species, a generali deinceps futura eruptione non dissimilis, eumdemque processum habens, quem reliquarum partium pustulæ habere solent. Hoc tamen ab illis differt, quod sine febre, & sine interiorum partium affectione in conspectum veniat, utpote effectum contagii proxima tantum loca adhuc occupantis. Modo unicam pustulam exhibet, in cuius centro punctum quoddam cernitur, morsui

*Ejus de-* pulicis simile, vulnusculi videlicet vestigium; mo*scriptio* do congeriem pustularum, veluti corymbum variolarum confluentium, representat. *Quarta die* rubor in circulum dilatatur, pulicari quidem latiori maculae parem; sed aliquantulum supra cutim reliquam extantem. Saepè pruritu eo in loco percipitur; dolorque sub axillis, atque in sumpta brachii parte molestat. Paullatim pustulæ augentur, dolent, elevantur, tactui renituntur, & vere inflammantur. Interea dolor sub axillis increscit, propagaturque ad scapulas usque. Interdum similis dolor inguina premit. Denum accedit capitis gravitas, aut cephalalgia, itemque lumborum cruciatus quandoque ægritudo, virium lapsus, atque in nonnullis uberior urinæ excretioni.

*Antecedentia febris*: quæ symptomata proximam febris accessiōnem, sive tertium stadium præmonstrant. Non

*Febris accessio*, nunquam tamen hæc vel omnino absunt, vel lessimæ, ac brevissimæ sunt, citoque a febre exceptive tertium stadium. cipiuntur, quæ febris certum indicium præbet actionis, quam in totum jam corpus exercet variolosum virus.

### §. CCXCV.

*Febris eruptio* nem, Febris hæc non ubique, neque in omnibus generalem eodem post inoculationem tempore corripit. Com-

*Antecedens.* muniter in regionibus calidis citius, in frigidis serius. In Italia quinto, vel sexto ut plurimum die.

*Ejus symptomata.* Nec aliter video evenisse iis, qui Vindobonæ verno tempore, & ad aestivum vergente a cl. STORCKIO inoculati fuere. Febrim comitantur calor intensus, sitis, nausea, dolor capitis, lumborum, & totius fere corporis, oculorum languor, lingua albida, pulsus frequens, inæqualis;

ce-

celer, somni turbati, & reliqua, quæ natura-  
lium variolarum propria habentur; sed plerum-  
que multo mitiora omnia, & qualia in benignis-  
simi discretarum genere esse consueverunt. In-  
terea pustulæ in loco insitionis ortæ tenui aliquo  
humore repleri, & pellucere incipiunt. Circum  
eas rubor latius se se diffundit, cutisque magis  
tenditur, ac dolet. Altero, & tertio a febris  
accessu die modo horrent, modo calent alterna-  
tim ægrotantes, vehementius febricitant, viribus  
magis languent, vertiginem, doloremque capi-  
tis, colli, oculorum, dorsi, immo membrorum  
omnium apertius queruntur, valde sitiunt, ter-  
ranique variolosam mephitim, peculiarem, & hu-  
jus morbi propriam exhalant. Pustulæ interim  
circa insitionem validam inflammationem susti-  
nent, atque ad suppurationem properant. Si mul-  
ac vero variolæ in facie, & reliquo corpore  
erumpunt, febris cum omnibus suis symptomatibus  
minuitur, quin immo prorsus cessat.

*Interea  
pustulæ  
circa in-  
sitionis  
locum  
suppu-  
rant.*

*Altero,  
& tertio  
die febris  
augetur.*

*Interim  
pustulæ  
insitionis  
latius  
suppu-  
rant.*

*Eruptio  
generalis  
febrim fu-  
git.*

### §. CCXCVI.

Ab hac generali variolarum eruptione exordi-  
tur quartum stadium. Si febris sexto, aut se  
ptimo die inyaserit, nono, vel decimo eruptio  
fiet. Solet enim secundo, aut tertio die appare-  
re, postquam febris accessit. Interdum tamen  
differtur ad diem usque undecimum. Sub eru-  
ptione autem ipsa pustulæ supra insitionem, quam-  
quam jam verum, maturumque pus contineat.  
Altero vero eruptionis die ægri jam bene ha-  
bent, pulsu propemodum naturali, & tranquil-  
lo. Dum variolæ numero increscunt, decrescit  
rubor stigmatum insitionis, immo postero die

*Quartum  
stadium,  
sive Eru-  
ptio va-  
riolarum.  
Pustule  
insitionis  
pus ve-  
rum jam  
continent-*

*Secundo  
eruptio  
die jam  
bene ha-  
bent.*

*Rubor omnino evanescit. Eruptio intra tres ; aut qua-  
stigmatum tuor dies ita perficitur , ut die duodecima , de-  
evanescit. cima tertia , aut decima quarta , prout nimirum  
citius aut serius apparuerit , variolæ jam suppura-  
re incipient ( *quintum hoc stadium vocatur* ) ;  
decima vero quinta perfectam , absolutamque ma-  
*Suppura-*  
*tatio, sive* turitatem consequantur . Nec suppurationis tem-  
*quintum* pore ulla febris secundaria , saltem notatu digna  
*stadium.*  
*Nulla fe-* insurgit , nisi pro secundaria habeas pulsuum ali-  
*bris se-* quam elevationem , & celeritatem , quæ vespel-  
*cundaria.* inis præsertim horis ut suppurationis effectus non  
sine horripilationibus vagis , pustularum dolore ,  
& nocturni somni aliqua perturbatione accidit ;  
quamquam hæc tunc solum accidentia , cùm pustu-  
larum numerus ingens fuerit , quod ratum tamen  
*Vires, ap-* est . Maturitate variolarum apparente vires , ap-  
*petitus,* petitus , somnus tranquillus mox redeunt . Insitio-  
*quies re-* deunt .  
*Pustulae* nis pustulæ exsiccantur , & paullatim crusta inde  
*infectionis* orta secedit , demumque decidit cicatricem rotun-  
*decidunt.* dam , sive mavis maculam rubram relinquens .  
*stadium* *sextum* , Variolæ item mox a suppuratione *exsiccationis sta-*  
*fice ex-* dium , quod est *ultimum* , ingrediuntur . Exsic-  
cantur vero eodem omnino modo , quo discretæ  
benignæ , id est sine ullo gravi symptomate .*

## §. CCXCVII.

Atque hæc est communissima, maximeque ordinaria variolarum insititarum historia. Sæpenero adeo benignæ sunt, atque exigua adeo earum eruptio, ut paucissimæ pustulæ ad cutim prodeant, ac proinde levissima tam inflammationis, quam suppurationis symptomata eas comitentur. Quin immo non infrequens est, febri inoculatione subseuenti nullas variolas succedere; quo in casu etsi vera eruptio desit, pustulæ tamen circa insitionis locum exortæ omnem miasmatis infecti vim per se solas exantlare dicuntur. Quare certum, ratumque est, febrim variolosam interdum sine variolis observari, eaque sola immunem, qui inoculatus fuit, a variolis credendum esse, æque ac multis variolis conspersus (*a*) fuisset. Non tamen inficiari licet, variolas insititas quandoque in aliquibus confluentes, & periculo sas exstittisse; in aliis complicatas cum alio aliquo morbo exanthematico (*a\**); in multis ulcera diuturna, erysipelata, abscessusque varios reliquisse, itemque nonnullos, qui insititas jam habuissent, in naturales, sive spontaneas deum incidisse (*b*), quod tamen infortunium commune est iis quoque, qui naturalibus laboraverint.

*Quot modis variolæ insititiae a communi trahuntur ab aliudant.*

*Variolæ fine variolis.*

*Interdum confluent, & periculo non vacant.*

*Non semper naturales avertuntur.*

(*a*) GATTI *Nouvel. reflex.* p. 143. 144.

(*a\**) Recentissimum exemplum variolarum inoculatorum, quæ cum morbillis complicatæ fuerunt, & summopere, & cum vitæ periculo confluxerunt, videtur in T. IX. *Journ. de Mèd. ann. 1783.* p. 120.

(*b*) GATTI *l. c.* p. 11.

§. CCXCVIII.

*Unde carum benignitas?* At benignæ , & tutæ vix non semper esse con-  
sueverunt . Benignitas vero , securitasque earum  
non medicamentis , quorum non egent , sed fere  
tota , atque universa infitioni ipsi , & regimini  
diætetico debetur . Regimen autem paucis quibus-  
dam præceptis totum innititur . Ab infisionis die  
ad febris usque adventum nihil sive in victu jam  
proposito , aut consueto , sive in vestimentis præ-  
ter consuetudinem innovandum est . Aeri solum  
libero , atque assiduis deambulationibus , animi-  
que variis oblectamentis inoculatus paullatim af-  
suefaciendus est , ut deinceps , ubi hisce præsidiis  
*Pulvis Dimsdalii* magis indigebit , lubentius eis operam navet . I-  
nutilis , ntile , ac supervacaneum , ni etiam anceps consi-  
aut <sup>nō</sup> xius . lium arbitror primo statim die , ut quidam ino-  
culatorum proponunt , pulverem DimsDALII , eme-  
tico-catharticum , ex calomelano , tartaro emeti-  
co , & absorbentibus conflatum præbere . Nam sæ-  
pe nauseas , vomitus , ventrisque dolores , aliasque  
turbas excitat ; aut , licet eo omisso , variolæ ta-  
men , dummodo reliqua in regimine serventur ,  
*Alvus non ducenda , nisi quid urgeat.* æque benignæ esse solent . Neque quodvis aliud  
medicamentum , quod alvum ducat , propinandum  
est , nisi nausea , appetitus dejectio , aut alia do-  
ceant , primas vias sordibus prægravari . Quo ca-  
su , nisi antea jam id præstitum sit , licebit alvum  
eccoprotico solvere . Alias satis erit alternis die-  
bus alvum , si compressa sit , enemate injecto ape-  
rire . Recte faciunt , arbitror , qui primis mox die-  
bus ab inoculatione ad plenam usque variolarum  
eruptionem pedes in aquam moderate calidam quo-  
vis vespere per semihoram demittendos jubent .

## §. CCXCIX.

Oborta vero febre , tum primum ad eruptionis usque finem necesse est , ut inoculatus aerem liberum , purum ac frigidum ducat , & quidem renovatum assidue sic , ut quis mel pulmone egres-sus est , non iterum respiretur . Præterea is interdiu a lecto , & speciatim a somno religiosæ abstineat . Quod si ob ætatem , veluti infantibus , necessarius etiam interdiu sonnus sit , in ære a-perto , & frigido capi sinatur . Mœror quoque omnis , aut tedium procul arceatur jocis , fabu-lis , cantiunculis , musicis concentibus , aliisque pro ætate oblectamentis , sed præserrim lenibus deambulationibus , quæ nimirum mentem exhila-rent , exspirationem adjuvent , non vero corpus , sanguinemque exagitent . At si vires ita langue-ant , ut inoculatus pedibus consistere , aut incedere nequeat , tunc deferatur in aerem apertum , ibique relinquatur , donec quasi reviviscens spon-te pedibus insistere , & deambulare incipiat . Tan-ta quippe est puri , frigidi , liberique aeris vis \* , ut vires illico resurgent , anxietas conquiescat & febris plurimum deferveat . Sin vero nequaquam id liceat ; aut ex voto non cedat ; curru , aut rheda eum vehi oportet per amœna viarum , aut spatiofa , apertaque ambulacra . Quod si tem-pe-stas pluviosa , aut ventis agitata , aut humida , ac nebulosa , aut subitum acre frigus impedit , quo minus foras prodeat , domo quidem se se conti-neat , sed per cubicula hic illuc vagetur , cavens quidem a temporis injuriis , non vero ab aeris accessu , & renovatione prudenti . Sic toti dies transfigendi sunt , excepto prandii , & cœnæ tem-

*Quando  
necessa  
sit , regi-  
mine uti  
accura-  
tiori .*

*Aer pu-  
rns duc-  
tur .*

*Abstinenc-  
tia a le-  
cto & so-  
mnodiurno .*

*Infanti-  
bus so-  
nnus in  
aere aper-  
to conce-  
ditur .*

*Inter ob-  
lettamen-  
ta prima  
est deam-  
bulatio .*

*Ejus boni  
effectus .*

*Vestio .*

*po-*

Caven- pore, quo residere licebit. Sed etiam a longa  
 dum est sessione cavere oportet, ne vires amittantur, &  
 a longa sessione. membra torpescant. Cubitum demum petat hora  
 Quando consueta, & prope fessus; dormiatque in amplio  
 dormien- conclave, & bene ventilato. Quod attinet ad vi-  
 dum.  
 Qualis etum, toto febris, atque eruptionis tempore ci-  
 cibus? bi arbitrio, & gustui ægrotantis accommodentur,  
 dummodo ex eorum genere sint, quorum supra  
 Natura (§. CCXC.) mentionem feci. Natura rectius,  
 consulen- quam medicus cibi quantitatem definiet; nam si  
 da. appetiu spurio, & fallaci ægrotans ad edendum  
 impellatur, statim sitietatem queretur, & absti-  
 nebit. Quantum igitur cibi, & quando sumi li-  
 Potus. ceat, natura ipsa docebit. Potui autem aqua fri-  
   gida, & palato grata datur; quam succo mali me-  
   dici, & saccharo gratiorem, utilioremque redde-  
 Tentacu- re fas est. Qui jenaculo assueti sunt, uti pueri  
 lum. jejunium minime ferentes, poterunt illud sume-  
 Morenda. re, cui jam assueverint, idemque de merenda  
   præcipitur.

\* Nemo ullus fortasse pluris fecit aeris frigidium,  
 quam celeberrimus inoculator noster GATTUS. Ne quis tamen credat in ejus laudibus modum non  
 esse debere, audiamus eum ita loquentem. Je me  
 borne done à demander que les inoculés, pendant  
 la maladie, évitent également les excès de la cha-  
 leur, & du froid; qu'ils respirent un air frais,  
 que le degré de cette fraîcheur soit déterminé  
 par leur bien être: qu'ils le conduisent, par rap-  
 port à cela, comm' ils se conduiroient en pleine san-  
 té, s'ils ne cherchent que leur plaisir dans l'air  
 qu'ils doivent respirer. Nouvel. reflex. p. 112.

## §. CCC.

Tale regimen etsi a quibusdam observandum ad finem usque (a) eruptionis tantummodo proponatur, quasi hic malum a variolo miasmate proficisciens finem haberet, & reliqua stadia, suppurationis videlicet, & exsiccationis seorsum considerentur, tamquam pustularum inflammationis effecta, quæ sponte, & sine medica ope feliciter terminari solent: tamen alii & suppurationis, & exsiccationis tempore pergendum in eodem regimine volunt, suadentque etiam in plena suppuratione, ut ægri in aere aperto, & frigido assidue versentur; neque eos audiendos esse centent, cum horrore se, & frigere ajunt; nam nihil hinc mali unquam derivari affirmant. Nos vero neque necessarium omnino tunc temporis refrigerans ejusmodi regimen, neque temere corpus suppurantibus variolis conspersum aeris inclemenciam obiciendum, cum nocumento id prorsus non vacet, arbitramur. Sanius, tutiusque consilium erit, si ab aere frigidiori, & nimium acri caveant, brevioremque moram extra domum trahant, diutiusque in cubiculis, non tamen undique clausis, sed opportune cum aere libero communicantibus se contineant, &, quantum per pustulas dolorificas, qubus pedes, & crura afficiuntur, licebit, deambulent, & recreentur. Illud etiam animadvertendum est, pustulas pure distentas, ni sponte dehiscant, aperiri acicula, puseque exprimi posse; quod & dolores lenit, & exsiccationem accelerat, impedimentoque est, quo minus pus variolarum intro refluat. Exsiccatione purgatio absoluta, mos apud clinicos obtinuit, semel, bis, in fine aut

Cautius  
sub suppuratione  
in aerem liberum  
prodeant.

Pustula  
qua aperienda.

Purgatio  
in fine.

aut ter ad intervalla convalescentes purgandi ; quod improbari nequit , si imiti , atque ætati , temperamento , & corporis habitui accommodato

*Corpus u-*  
*niversum*  
*lavan-*  
*dum.* medicamento id fiat . Delapsis demum pustulis totum corpus lacte & aqua tepentibus quemadmodum in variolis naturalibus fieri diximus , ablendum , abstergendumque est . Non nullis magis placet lac ex seminibus melonum expressum , in quo camphoræ aliquantulum solutum sit , adhibere . Ex hoc calente spongiam exprimunt , eaque blande cutim fricant , & mundant , & postea panis lineis siccis impositis omnem humiditatem absorbunt . Interim pro appetitus ratione paullatim sim ad sa- ad pristinum ciborum usum revertendum est . Non prius vero ex hisce variolis convalescens alios ,

*Fit gra-*  
*dus sen-*  
*sim ad sa-*  
*norum vi-*  
*etum.* qui variolas passi non sunt , conveniat , quam prius re- quadraginta dies ab inoculatione præterierint , no- dire . li- vaque vestimenta insectis substituta fuerint .  
seat .

(a) GATTI l. c. p-132.

### §. CCCI.

*si qua in-* Quanquam vero insititiae hujusmodi variolæ be-  
*cidant* graviora nignæ , & regulares solo regimine ad felicem exi-  
*symptoma-* tum perveniant ; si quando tamen ab ordinaria  
*ta, hac* ut in na- benignitate deflectantur , & gravia symptomata sibi  
*turalibus* variolis adsciscant , quæ soli regimini non obtemperent ,  
*curantur.* poscantque validiorem medicinæ opem ; tunc non  
alia curandi ratio in auxilium vocanda est , quam  
*Interdum* quæ variolis naturalibus adhiberi consuevit , quæ  
*non modo* que jam supra exposita est . Nec solum interdum  
*graves* variolæ insititiae graves , & periculosæ evadunt ,  
*sunt, e-* verum etiam lethales , licet hoc rarissimum plane  
*tiam le-* ejusmodi sit , si cum naturalibus comparentur , quibus tu-  
*thales*  
*eiusmodi*  
*variolæ.* tio-

tiores benignioresque non injuria reputantur. Argumenta vero, quibus inoculationem variolis  
 spontaneis anteponendam communiter contendunt, assertamque ab impugnatoribus, vituperatoribusve  
 vindicant ejus patroni, ad quædam præcipua re-  
 diguntur, nimirum 1. Quod in sanis corporibus,  
 aut rite præparatis institui potest. 2. Quod ætas,  
 annique tempus magis accommodatum deligitur.  
 3. Quod ferales epidemicæ constitutiones vitan-  
 tur. 4. Quod minima puris variolosi particula ad  
 insitionem adhibetur, & cuti tantum applicatur,  
 nec ore aut naribus miasma attrahitur, ut in na-  
 turalibus variolis usuvenit majori cum periculo.  
 5. Quod contagium sic communicatum minorem  
 in œconomia animali perturbationem inducere  
 experientia compertum est. 6. Quod pubertatis  
 tempus, graviditas, puerperium, senectus, &  
 morborum malignorum grassatio per inoculatio-  
 nem declinantur. 7. Quod venustati faciei pro-  
 plicitur. 8. Quod qui hereditaria quasi labe pes-  
 simas, fatalesque variolas sibi timent, infortu-  
 nium istud prævertere insitione, quæ benignas,  
 & discretas ut plurimum excitat, non sine proba-  
 bili fundamento possunt. Quæ postrema ratio tan-  
 ti momenti visa est nostris temporibus, ut sum-  
 mi, potentissimique Principes, quorum progeni-  
 toribus variolæ spontaneæ perniciössimæ exstite-  
 re, prolem, nepotesque caríssimos a tanto discri-  
 mine per inoculationem eximendo eventu fortu-  
 natissimo curaverint.

Inocula-  
 tio cur  
 præfera-  
 tur var-  
 violis  
 sponta-  
 neis.

Exempla  
 a Princi-  
 pibus du-  
 eta.

## FEBRIS VARIOLOSA SINE VARIOLIS.

## §. CCCII.

Ut variolæ sine febre ( §. CLX. ), sic febris variolosa sine variolis interdum occurrit. Hæc in primis tempore, quo variolæ epidemice vagantur, observari solet. Non desunt tamen, qui eam in dubium revocent; sed, ni valde fallor, injuste.

*An detur  
febris va-  
riolosa si-  
ne vario-  
lis?* In quibusdam, aperte inquit LUDWICIO (a), li-  
cet paucissimis febris variolosa sine eruptione ex-  
ane vario-  
anthematum accedit. Cum LUDWICIO consen-  
tiunt non pauci alii magnæ auctoritatis (b) scri-  
ptores. At nemini frequentius, manifestiusque  
ipsa se ostendit, quam variolarum inoculatoribus,  
ut supra animadversum (§. CCXCVII.) est. Con-  
sueto enim ab insitione variolosi puris tempore  
febris non raro supervenit, quæ perstat ad ali-  
quot dies, demumque decedit, quin eam vario-  
larum eruptio subsequatur. Quis eam non vario-  
losam dixerit?

(a) *Instit. Medicin. Clinic. P. I. cap. I. subsect. VII. §. 176.*

(b) AZZOGUID. *Lettera sopra il Vajuolo.* Nec ab  
horum sententia abhorrere videtur cl. TISSOTIUS.

## §. CCCIII.

*Descriptio.* Incipit autem hæc febris, progrediturque eiusdem prope stipata symptomatibus, quæ variolarum eruptionem antecedere consueverunt; nec alia ratione curatur, quam quæ variolis opportuna est. Interdum etiam ptyalismum, qualis va-  
rio-

riolarum confluentium proprius est, comitem habet (a), quo loculentius ejus variolosa natura demonstrari videtur. Non una vero est in ea durationis ratio. Modo brevius, modo longius spatium percurrit. Finiri autem sine variolis creditur, quod miasma variolosum mitius, & dilatius <sup>Cur defit variola-  
rum crux.  
ptio.</sup> vasa cutanea laxiora potuerit, quin ea irritatione coarctaret, aut densitate obstrueret, præterlabi, & in auras avolare. Illud etiam verisimile esse potest, quod miasma variolosum non intime se cum reliquis humoribus commiscuerit, neque eos sibi satis assimilarit, ideoque quodammodo vagans, & diffluens, neque ullo modo irretitum per vasa cutanea, quin in iis consistat, & aut hæreat, facile evaporetur. Quandoque tamen in ejusmodi febre inibi videre contigit partem ejus, quod difflari debuisset, in adiposæ membranæ spatiis alicubi depositam, atque accumulatam abscessum genuisse, quo febris critice solveretur.

(a) HAEN. *Divis. febr. p. 97.*

### §. CCCIV.

Cognoscitur igitur *febris variolosa sine variolis* ex contagio prægresso, ex epidemica constitutione, ex symptomatibus exanthematicarum febrium communibus, & variolarum propriis, ex solutione demum sine ulla exanthematum variolosorum eruptione. SYDENHAMIUS (a) descriptit febrem quamdam, cui *variolosa* nomen dedit, quia variolarum symptomata, & speciatim ptyalismum criticum, quo solvebatur, præseferebat. Utrum vere hæc Sydenhamiana cum nostra, de qua sermo est, congruat, vehementer dubito;

*An febris variolosa  
Sydenhamii cum nostra  
congruat?*

nam

nam et si constitutionem variolarum ann. 1667.  
68. & 69. comitatetur ; prædominantisque morbi  
mores indueret ; quod fere faciunt omnes morbi  
intercurrentes ; tamen longitudine durationis, &  
exanthematibus petechialibus ; alia longe diversa  
a modo descripta nobis videtur :

(a) Oper. Sect. 2. p. 161. edit. Patav. 1700.

## VARIOLÆ SPURIÆ \*.

### §. CCCV.

*Discri-*  
*men, in-*  
*ter veras*  
*& spu-*  
*rias.* A variolis veris tam naturalibus , quam insiti-  
tiis multum differunt *spuriæ* , sive *illegitimæ* , sed  
in primis levitate , & brevitate morbi . Plerum-  
que nulla , aut exigua admodum , & diariæ simi-  
lis febris eas antecedit . Ac nisi prima ; altera  
certe die erumpunt numero non multæ ; sed illi-  
co satis conspicuæ , & prominentes , sparsim loca-  
tæ , & mutuo inter se dissitæ ; & discretæ . Pu-  
stulas referunt in marginibus valde rubras , in  
medio diaphanas , quia ibi vesiculam humore lym-  
phatico ; aut mucoso plenam habent ; quam ob-  
*Lymphati-*  
*ca, aut*  
*crystalli-*  
*na etiam*  
*dissitæ.* caussam *lymphaticæ* etiam , aut *crystallinae* vocan-  
tur ; a crystallinis tamen , de quibus alias ( §.  
CLXXXIII. ) loquuti sumus , aperte differen-  
tes . Celerrime suum augmentum attingunt ad  
pisi saxe magnitudinem accedentes . Intra bi-  
duuin , aut triduum media vesicula plerumque  
disrumpitur ; & pustulæ exsiccantur . Hinc exiguae  
crustæ exortæ decidunt , nullas ut plurimum ci-  
catrices , aut quedam tantummodo vestigia , quæ  
cito evanescunt (a) , relinquentes . Fereque mor-  
bus totus tribus , quatuor , aut quinque diebus  
ab-

absolvitur. Raro diutius durat, & si quando lenius procedit, septima utique die penitus dissipatur.

\* *Synonyma.*

*Variola lymphatica SAUVAGESII*, *Nosol. cl. 3. ord.*

i. gen. 2. spec. 2.

*Varicella VOGELII*, *de cognosc. & curand. loc.*

§. CXXVIII.

*Varicella, & variolæ volatice ANGLORUM.*

*Variolæ lymphaticæ spec. i. SAGARII*, *cl. X. ord.*

i. gen. 2. sp. i.

*Variolæ simplices crystallinæ MACERIDI*, *Introd.*

*Method. T. 2. cap. XIII. p. 78. Lauson. 1683.*

Raveglione, & Morbiglione, ETRUSCIS, vulgo vajuolo salvatico. Schiopetti aliis Italiae populis. FANTON. *Diss. de Antiquit. & progr. Febr. miliar. p. 65. Crystalli quorumid. FANTON. ib. p. 65. Petite vèrole volante, aut Verrete, aut verolette GAL- LIS. Esclapete OCCITANIS.*

(a) *SAGAR. Cl. X. ord. gen. & spec. cit.*

§. CCCVI.

Morbus per se levis omnino est, & periculi fere expers (a). Interdum sporadice, interdum epidemice (b) oberrat. Infantes, & pueros corripit, reliquos vix unquam. Modo ante, modo post veras variolas infestat: sed qui spuriæ expertus est, non ideo a veris immunit censendus est; in veras enim incidet alio tempore, non secus in alii solent. Non alia curatione egent spuriæ ejusmodi variolæ, quam blando regimine diapnoico. Hieme moderatus lecti tepor, & diluta calida florrum tiliæ, ut sambuci plerumque sufficiunt. Si vero quid ingruat præter consuetudinem, ex iis, quæ ad curandas variolas veras proposita sunt, op-

*Levis morbu. est modo sporadi- cus, modo epide- micus.*

*Variola spuriæ non pra- servant a veris.*

por-

portuna adjumenta petantur. Ad summum, finito morbo, alvus leni eccoprotico laxari poterit.

- (a) LUDWIG. *Instit. Med. clin.* §. 177.  
 (b) HAEN. *divis. febr.* p. 10.

### §. CCCVII.

*Verrucosa benigna.* Harum veluti varietas quædam sunt variolæ *benignæ*. *verrucosa benignæ*, sive *acuminatae*, ut a VOGELIO nominantur. Pustulas hæ quoque referunt rubras, sed duras, & verrucis simillimas supra cutim existantes, quæ septem fere diebus evanescunt. Ob mitem, innocuamque naturam *verrucosæ benignæ* dicuntur, quo ab alibi (Paragr. CLXXXIII.) descriptis discriminentur. Alteram varietatem spuriarum habet VOGELIUS (a), quibus duris ovalibus nomen est. Hæc, inquit, post aliquot plerumque dierum febrem tubercula format obscurius rubentia, dura, ad ovalem figuram accendentia, halone rubro cincta, verisque variolis paullo majora. Quæ post duos, vel tres dies non nihil ulcerantur, & paullatim cum nigrore exarescant; dentique pallescunt, & subsident; aliis interdum novis interea exclusis, ut, octiduo plerumque finitus morbus, nunc ad aliquot hebdomadas producatur vel sine febre, vel cum febricula lenta. Num hæ ad variolas spurias vere spectant?

(a) L. c.

FINIS VOLUM. III.







